00055047

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
Town Hall, Bombay.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 July, 2018

FX·h·6

PROSPERI ALPINI,

MAROSTICENSIS,

PHILOSOPHI, MEDICI,

In celeberrimo Lyceo Patavino Pharmaciæ Profeſſoris
Ordinarii, Hortique Medici Præfecti,

HISTORIÆ ÆGYPTI NATURALIS

PARS PRIMA.

Qua continentur

RERUM ÆGYPTIARUM

LIBRI QUATUOR.

OPUS POSTUMUM

nunc primum

Ex auctoris Autographo, diligentiſſime recognito, editum; atque ex eodem Tabellis Æneis XXV. illuſtratum
& uberrimo Indice auctum.

55047
ac.

LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE ROYAL ASIATIC SOCIETY.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET,
MDCCXXXV.

00055047

JOANNI EMO,

Patritio Veneto, Ædis Divi Marci Procuratori, Bartholomæus Sellari

S. D.

Cum ſæpe cogitarem, Senator Præſtantiſſime, qua ratione quod exoptabam votis omnibus poſſem efficere, ut publica aliqua ſignificatione meam in Te ſummam obſervantiam & Tibi, & omnibus notam facerem, videremque non eam eſſe in me facultatem, ut aliquid ipſe proferre poſſem, quod Nomi-

DEDICATIO.

Nomini Tuo dicatum teſtatam faceret hanc meam in Te voluntatem, præſertim cum mea me vitæ ratio ab ineunte prope ætate ſuſcepta alio avocaſſet; dolebam acriter vicem meam, quærebamque aſſidue qui mihi facem præferret, & viam aliquam commonſtraret, qua ad id, quod tantopere cupiebam, aliquando pervenirem. Ecce autem dum perſto propoſiti tenax; occaſio oblata mihi benignitate Viri inter Patavinos non ſolum genere, ſed etiam litteratura nobilis, Ludovici Campolongi, qui cum plurima præſtiterit mihi, & adhuc præſtet ſingularis humanitatis officia, etiam illud addidit, ut copiam faceret Bibliothecæ ſuæ; in qua magna cum voluptate frequenter verſatus, inter alios egregios Codices, Opus Manuſcriptum animadverti de rebus Ægyptiis a Proſpero Alpino compactum, Philoſopho ac Medico magni nominis, in Gymnaſio Patavino olim Pharmaciæ Profeſſore, Hortique Medici Præfecto; quod cum ſemel iterum ac ſæpius libentiſſime perlegiſſem, digniſſimum viſum eſt quod e tenebris erutum lucem aſpiceret; propterea quod & utiliſſima multa contineat & jucundiſſima.

Agit enim de victus ratione Ægyptiorum, eorumque balneis, exercitationibus, cibo, potu, temperamento atque habitu, morbis quibus conflictantur, medicamentis quibus utuntur: Salem exhibet Ægypti-

ptiacum, atque nitrum, chalcanthum, alumen, lapides, plantas, radices, frutices, arbores; de quadrupedibus, piſcibus, inſectis Ægypti ſermonem inſtituit: Ægyptum inſuper deſcribit doctiſſimorum virorum monumentis adeo celebrem, urbeſque præcipuas regionis illius, quas ipſe obivit, pyramides ejus, ſepulchra, regimen, opes, ludos, populorum mores, ac religionem: Nili præterea fluminis incrementum, dimenſionem, inciſionem ad agros irrigandos ob oculos ponit, aliaque pertractat, quæ mirum quantum prodeſſe poſſint, & inquirentibus eruditionem, & Medicinam facientibus.

Hæc itaque mente reputans enixe rogavi, perpulique Virum cætera comem, deque litterarum gloria apprime ſollicitum, ut, quando poſſet litterariam Rempublicam locupletare, quæ tanto bono careret, hanc mihi veniam daret, ut Codicem Alpini publici juris facerem. Cum impetraſſem, nullam moram interpoſui quin ſtatim opus eximium typis committerem. Id autem eo feci libentius quod mearum partium ſemper eſſe duxi, qui Cancellarii munere jam diu fungor in Lyceo Patavino, ea omnia diligenter curare, atque colligere, quæ ad ejus ſplendorem, famam, exiſtimationemque quocumque modo pertinerent. Quod & feci antea pro virili, cum in moribus legibuſque ejuſdem colligendis, ac recenſendis diu multumque deſudavi, cum Profeſ-

ſorum ſeriem indagavi, ac monumenta perluſtravi, & faciam in poſterum quanta maxima potero ſedulitate, dum vivam, dum ætas valetudo vireſque permittent. Quæ me cauſæ impulerint, ut librum viri Clariſſimi ante hac nunquam editum evulgarem, expoſui: quæ vero moverint ut Te Auſpicem appellarem, multæ ſunt, magnique momenti; quas perſequi ſingulas neceſſe non eſt, ut pote minime obſcuras. Movit inprimis longe lateque diffuſa Nominis Tui amplitudo, quæ exteras quoque barbaraſque gentes implevit; quas cum adiiſſes lectus ab immortali Republica, ut Venetam Majeſtatem pro dignitate ſuſtineres, tanta prudentia & maturitate, tanta fide & integritate, tanta eloquentia & dicendi vi ſuſtinuiſti, ut non ſolum cumulate ſatisfeceris Patribus Sapientiſſimis, quibus nihil probatur niſi ſingulare, ſed etiam nationes illas nihil alioqui præter ſe ſuaque extollentes, in admirationem pertraxeris. Non ignota loquor, ſed omnibus manifeſta, & conſilii orbis terrarum ſapientiſſimi judicio graviſſimo comprobata, a quo virtutis tuæ præmium conſecutus es, in Ampliſſimum Ædis Divi Marci Procuratorum Collegium honorificentiſſimo decreto cooptatus. Movit etiam incredibilis illa bonitas naturæ tuæ, qua in alto licet Faſtigio collocatus, neminem ſoles à te rejicere, omnibus præſto es, omnibus benefacis. Qua factum eſt, ut cum Te potiſſimum Patronum habere cuperem,

rem, cujus ſe præſidio, & auctoritate tueretur Auctor jam inde ab initio præteriti ſeculi fato functus, quantum mihi timoris incutiebat Magnitudo tua, ne ad Te accedere auderem, tantum mihi adderet animorum perſpecta palam incomparabilis humanitas tua, ne haſtas abjicerem, deque bono exitu deſperarem: præſertim cum univerſorum teſtimonio ſcirem, Te & litteris probe excultum eſſe, omnigenaque eruditione inſtructum, qua emines inter Reipublicæ Proceres, & non modo litteras adamare, ſed etiam earum cultores impenſe fovere, atque, omni ope juvare: quem ſi boni ſuperi ſtudiorum Moderatorem Gymnaſio Patavino aliquando dabunt, præclare ſecum actum judicabunt, reque ipſa ſentient qui ſe litteris abdiderunt, honeſtiſſimæque huic paleſtræ operam navant. Ita enim mihi perſuadebam, fieri nullo modo poſſe, ut qui optimis diſciplinis à prima ætate imbutus fuiſſes, qui flagrares immenſa cupiditate diſcendi, qui longe a Patria maria terraſque emenſus multa notaſſes, Proſperum Alpinum non benigniſſime exciperes, natum educatumque in ſinu feliciſſimæ Venetorum Reipublicæ, a Principibus expetitum, Medicinam profectum tanta cum laude in ipſa Alma Urbe Venetiarum, mox datum ab Auguſto Senatu Gymnaſio atque Horto Patavino ejusdem Scientiæ Præceptorem, illum inquam Alpinum, qui eorum quæ ſcripta reliquit ad memoriam ſui nominis ſempiternam,

nam, ad utilitatem Reipublicæ litterariæ, ad fructum uberrimum ſtudioſorum, pleraque non ab aliis tradita accepit, ſed præſens ipſe vidit, præſens obſervavit, præſens ſcrutatus eſt; quæ autem præſens non vidit, a viris hauſit peritiſſimis, ac fide dignis, qui longo temporis tractu iis in locis verſati, atque in hoc unum intenti ea detexerunt. Quod ſi rem altius repetere velimus, & tempora jam pridem elapſa percurrere, alia occurret peculiaris ratio, eaque graviſſima, cur opus hoc Tibi præcipue debeatur, tuumque proinde ſit; quodque neceſſario conſequitur, non modo Auctorem, ſed etiam Editorem in tuam tutelam recipias. Cum enim ex ea Familia ortum habueris habita inter Nobiliſſimas, ex qua cumplures exiere qui Venetum Nomen rebus præclare geſtis domi, foriſque illuſtrarunt, inter quos (ut de aliis taceam, quos nimis longum eſſet enumerare) is, qui Tibi in eadem Dignitate raro exemplo ſucceſſit, Angelus, Frater tuus, Byzantium miſſus turbulentiſſimis, quæ adhuc durant, illius Imperii temporibus, eadem qua Tu geſſiſti, ſapientia, & dexteritate traditam Sibi difficillimam Provinciam adminiſtrat: tum ille prodiit perenni memoria dignus Georgius Emus, qui, cum centum & quinquaginta ab hinc annis in Ægyptum profectus eſſet, functurus ibi pro Veneta Republica Conſulis munere, hunc ipſum Alpinum quem nunc Tibi ſiſto tanti fecit,

ut

ut eum comitem ſibi ſumpſerit; quocum toto illo tempore ſplendidiſſimæ Procurationis ſuæ conjunctiſſime vixit, quem deinceps protexit ſemper validiſſimo Patrocinio ſuo. De quo Viro illud hoc loco nequaquam ſilentio præterire poſſum, quod idem Alpinus hoc eodem in Opere de illo narrat, tantum illius ſapientiæ famam, tantum auctoritatem apud Ægypti Dynaſtas valuiſſe, ut cum Hebraimus Baſſa, qui tum Ægyptum cum Pro-regis poteſtate gubernabat, maximam, ſpecioſiſſimamque Pyramidem evertere avaritiæ cauſa ſtatuiſſet, quod ibi ingentem auri vim defoſſam latere arbitraretur, ſententiam mutavit mirifica Georgii facundia permotus, qui, quantum periculi Cairo, urbi propinquæ, totius Ægypti facile principi, imineret, ſi ea moles indito atque accenſo tormentario pulvere disjiceretur, apertiſſime oſtendit. Sed quoniam omnem inſtituti mei rationem Tibi aperui, reliquum nunc eſt, ut Te etiam atque etiam obteſter: primum quidem ut conſilium hoc meum æqui bonique facias: deinde, quandoquidem Auctorem ſatis Tibi commendat Opus ipſum, reſpectuſque inſuper Georgii tui, me, qui etſi nihil habeo quo me commendem, ſtudio tamen, & obſequio erga Te nemini concedo, ne ea ſpe fruſtrari patiaris quam cepi, Te mihi propitium futurum vel propter hoc ipſum, quod Majorum tuorum beneficentiam in ſuos imitari conſueviſti. Fac ergo excelſa iſta indole

dole tua, & fave clienti addictiſſimo, votique compotem redde. Ita & beabis cupientem vivere in Tutela, & ſub Auſpiciis tuis, & ad alia conanda addes ſtimulos proſecuturo beneficia tua memoria ſempiterna.

Patavii VIII. Calend. Maji MDCCXXXV.

PROSPER ALPINUS

BENEVOLO LECTORI.

Cum ego olim magna cupiditate in Ægyptum profectus medicinæ cauſa, ſcilicet ad Venetæ Nationis Illuſtriſſimæ valetudinem, publico ſtipendio per aliquot annos ibi moratus, ampliſſimam maximeque percelebrem urbem ab Ægyptiis Masvè, & a noſtris Cairum vocatam aſſidue habitaverim, per illud tempus perluſtratis ſæpius illius Provinciæ urbibus, oppidis, villis, fluminibus, lacubus, agriſque; illud unum mihi eveniſſe gaudeo; quod ingenue dicam, & fatebor: eam moram plurimis de cauſis mihi acceptiſſimam, maximæque voluptati ſemper extitiſſe, quod ea occaſione facile Ægyptium Regnum, ab omnibus gentibus olim tam miris laudibus haud immerito concelebratum, & videre & cognoſcere potuerim;

nec minus etiam urbes ipſius celebres, templa, ædes, obeliſcos, pyramides, ſphinges, antiqua ſepulcra, quæ mumias vocant; hominumque mores varios, leges, diſciplinas, artes, Nilum flumen, ejusque famoſum incrementum, quaſi miraculo quotannis, ſoli magnam omnium rerum opulentiam, aëris ſalubritatem, medicinam Ægyptiis conſuetam, morbos inibi familiares, medicamenta illis gentibus cognita, nec non magnas illius Regni divitias, merces familiares, atque aromata ex finitimis provinciis adducta, Turcas Ægypti præſides, militiam, animalia inibi viventia, plantas, atque ea etiam quæ in terræ abditis metallica vocant. De quibus id unum dicam, poſtquam ex ea regione abii, patriæ reſtitutus, uſque adeo earum rerum, quæ in Ægypto obſervavi, recordatione me fuiſſe oblectatum, atque eximia voluptate adfectum, ut me continere haud potuerim, quin de iis omnibus hiſtoriam contexerem. Horum verò quædam, & multorum teſtimonio confirmavimus; quædam relatione & Ægyptiorum, & aliorum Exterorum, qui in ea regione longam moram traxerunt, fideliter accepimus. A multis enim nos fatemur in multis fuiſſe in hac re non parum adjutos, præſertimque ab uno clariſſimo Paulo Mariano, cive Veneto, pro Rege Galliarum inibi Conſulatum gerente, quem tunc temporis ſupra triginta annos in Ægypto mercaturæ cauſa conſtat fuiſſe moratum: à Reverendo etiam D. Antonio Palmerio Anconitano altero presbytero, qui à ſecretis cum multis Venetis Conſulibus triginta & ipſe fere annos in ea provincia vixit. Sed longe majori plus mihi fuit adjumento Joannes Jacobus Mannus

Me-

Medicus Salodienſis, qui ante me annos ſeptem apud Venetam nationem, & apud proceres tum Turcas, tum Ægyptios, & Arabes medicinam magna cum laude fecerat, potiſſimumque de multis ad artis medicæ cognitionem facientibus, deque uſitatis nonnullis medendi modis apud medicos Ægyptios annotarat. Hunc ipſum celebrem medicum anno 1580. in Cairi civitate inveni, qui poſt multos menſes in Syriam ad Petrum Michaelem Venetum, conſulem Illuſtriſſimum pro Veneta Natione in urbe Alepo commorantem, ad medicinam faciendam evocatus eſt. Quo tempore in ea provincia medicinæ cauſa Joan. Thomam Minadoum Rhodiginum medicum perilluſtrem, nunc in Gymnaſio Patavino maximo cum ſtudioſorum medicinæ applauſu & concurſu è prima ſede *practicæ medicinæ profeſſorem*, reperit. Per id temporis quo Cairi manſit, mihi fuit is maxime familiaris, atque adeo, ut medendo ambo una ubique locorum ſemper fuerimus. Vir fuit doctiſſimus, in Arabica locutione maxime verſatus, qui paulo poſt ex Alepo Byſantium iter faciens, à Turca milite prætoriano cuſtode ſuo in itinere occiſus eſt. Dolenda ſane amici mors fuit, ſed præſertim ab Arabicæ medicinæ ſtudioſis, quod una perierint commentaria ab eo doctiſſime compoſita in librum ſecundum Avicennæ, in quo egit de ſimplicibus medicamentis. Pollicitus quoque fuerat ſe totum opus Avicennæ correcturum ab innumeris erroribus quibus ſemper ſcatuit, quod ſane immatura morte præreptus perficere non potuit. Dominicus etiam à Rege, qui in Ægypto plures annos moratus, pharmacopola Venetæ nationis, & Chi-

rurgiam exercens, non parum mihi auxilio in multis fuit. Tandem Matthæus Carbonus, qui ſeptennio Cairi magna cum laude & Venetis, & Turcis, atque Ægyptiis medicinam fecit, meam hanc hiſtoriam in aliquibus plantis rarioribus, & ſerpentibus itidem in ea regione familiaribus ad me miſſis, non parum adauxit. Accipe igitur candide Lector meam rerum in Ægypto obſervatarum Hiſtoriam, nunc ſtudioſis evulgatam. Quod ſi tibi grata fuiſſe aliquando intellexero, longe plura polliceor me ſtudioſis evulgaturum, nimirum libros de plantis exoticis nuperrime cognitis, de uſu partium in plantis, atque fortaſſe de Horto noſtro Patavino Medicam Hiſtoriam. Vale.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

CAP.

I. *DE iis, quæ Ægyptum celebrem, atque valde admirabilem reddere videntur.*

II. *De Nili Fluminis incremento, dimenſione, atque inciſione ad agros irrigandos.*

III. *De aquæ Nili Fluminis bonitate, atque præſtantia.*

IV. *De Inſula Delta, atque de Urbe Alexandria.*

V. *De magna Civitate Cairi, deque rarioribus in ea obſervatis.*

VI. *De Ægypti Piramidibus, atque de magno Coloſſo Sphinge.*

VII. *De conditis Ægyptiorum corporibus quæ vulgus Mumias appellat, deque ipſorum Sepulchris.*

VIII. *De Raiſit, & Damiata, Ægypti nunc Urbibus.*

IX. *De Calice in Templis Domibuſque Ægyptiorum, atque de ipſius Hiſtoria.*

X. *De Ægypti gubernatione, atque de Turcis, qui præficiuntur Ægyptio regno.*

XI. *De Ægypti opibus, ſcilicet de reditibus, de equis, de equitibus, atque de ipſorum ludis.*

XII. *De Ægyptiorum ſervis.*

XIII. *De Nubis.*

XIV. *De Stragulis Ægyptiorum, deque ipſorum accubandi modo, deque vaſis quæ apud eos in uſu ſunt.*

XV. *De itinere ad Mecham, quod quotannis menſe Septembri devotionis & mercaturæ cauſa fit.*

XVI. *De Comediis quæ in Nili Fluminis inciſione fiunt: de Circulatoribus, atque de ruſticis mulieribus ſaltatricibus, & alia ludi genera facientibus.*

XVII. *De cibis quibus Ægyptii utuntur, deque potu.*

XVIII. *De Ægyptiorum temperamento atque habitu.*

XIX. *De morbis quibus Ægypti regio divexatur.*
XX. *De Arabibus Ægyptum habitantibus.*

LIBRI SECUNDI

CAP.

I. *De Scientiis quibus Ægyptii delectantur.*
II. *De Mahemetana religione, atque de Lege in qua plerique Maurorum vivunt.*
III. *De Orandi modo, quem Mauri obſervant, atque de viris Mauris religioſis.*
IV. *De Chriſtianis qui Ægyptum habitant, & primo de Græcis.*
V. *De Chriſtianis Cophtis, & de Reverendis Jeſuitis, qui in Ægyptum miſſi fuerunt a Pontifice Maximo Gregorio XIII. ut Natio Cophta Eccleſiæ Romanæ conciliaretur.*
VI. *De Paulo Mariano Conſulatu Gallorum a Pro-Rege Ægypti ſpoliato, deque Reverendis Jeſuitis carceratis, quid fuerit deliberatum.*
VII. *De Chriſtianis Cophtis qui in deſerto Divi Macharii vivunt, vitam aſperrimam ducentes.*
VIII. *De Hebræis Ægyptum habitantibus, atque de Natham Coëm ditiſſimo ex vectigalibus portoriis Alexandriæ.*
IX. *De Medicina Ægypti, atque de Medicis Ægypti.*
X. *Quibus modis Ægyptii ſanitatem tueantur: qua occaſione de victus ratione, de evacuationibus, purgationibus, deque exercitationibus, balneis, capillorum cultu, & de variarum partium præſervatione agitur.*
XI. *De Prolificæ facultatis in Viris præſervatione, ac proinde de iis medicamentis, quæ ad augendam Venerem Ægyptiis ſunt familiaria, agitur.*

LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI TERTII

CAP.

I. *De tractandis in hoc Libro, & primum de Terris, quas Ægyptus producit.*

II. *De Sale in ſolo Ægyptiaco proveniente, atque de Nitro.*

III. *De Lapidibus Ægypti.*

IV. *De Smaragdis, qui in Ægypto effodiuntur.*

V. *De Vaſis Murrhinis, & variis Conchiliorum generibus.*

VI. *De Lapidibus aliis, quibus Ægyptus abundat.*

VII. *De Calchanto, alumine, pompholyge, atque aliis metallicis medicamentis, quæ in Ægypto obſervantur.*

VIII. *Stirpes, quæ in Ægypto proveniunt.*

IX. *De ſingulis plantis eſculentis apud Ægyptios naſcentibus, & primum oleraceæ herbaceæque conſiderantur.*

X. *De Loti radicibus, quibus Ægyptii quotannis familiarius veſcuntur.*

XI. *De radicibus quas Ægypti Culcas appellant, atque noſtri colocaſſias, quibus coctis familiarius veſcuntur.*

XII. *De reliquis radicibus eſculentis in Ægypto naſcentibus.*

XIII. *De plantis Cerealibus, atque de leguminibus quibus Ægyptii abundant.*

XIV. *De plantis non eſculentis, quæ in Ægypto naſcuntur, atque de ipſarum uſu.*

XV. *De quibuſdam aliis fructibus, & arboribus, quibus Ægyptus abundat.*

LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI QUARTI

CAP.

I. *De animalibus, quæ in Ægypto vivunt, & primum de volatilibus ibi degentibus.*

II. *De Piſcibus qui in Nilo Flumine, & in lacubus Ægypti, atque in mari capiuntur.*

III. *De Inſectis animalibus, quæ in Ægypto vivunt.*

IV. *De Serpentibus Ægyptiis Familiaribus.*

V. *De Animalibus lacertoſis in Ægypto viventibus.*

VI. *De Animalibus quadrupedibus domeſticis, quæ Ægyptiis ſunt familiaria, & primum de Equis, Aſinis, & Mulis.*

VII. *De Camelis, & Dromadibus, qui in Ægypto aluntur.*

VIII. *De quibuſdam aliis quadrupedibus apud Ægyptios viventibus, ſcilicet de Bobus, Bubalis, Capris, Suibus, Canibus, & Felibus.*

IX. *De quadrupedibus Sylveſtribus in ea regione viventibus, quippe de Urſis, Lupis, Vulpibus, Leporibus, Cuniculis, Gazelis, Juvencis Sylveſtribus, Apris, Cervis, Gliribus, Muribus, Muſtelis, atque de Ichneumone.*

X. *De Elephante, Camelo-Pardali, Leone-Pardali, Tigri, atque Zibetho.*

XI. *De variis Simiarum generibus, quæ in Ægypto obſervantur.*

XII. *De Cheropotamo, & Hippopotamo, feris in Nilo Flumine viventibus.*

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS

RERUM ÆGYPTIARUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De iis quæ Ægyptum celebrem, plurimumque admirabilem efficere creduntur.

NE complurium rerum maxime admirabilium in Ægypto obſervatarum grata memoria obſoleſcat, merito hic ſcriptis illa omnia conſignanda duximus. Neque ſingula, in ea regione obſervata, narrare inſtituimus, præſertimque à multis veterum ſcriptorum poſteritatis memoriæ conſignata, ſed ea dumtaxat, quæ nos eo tempore quo ibi moram traximus, & ab aliis obſervata, & nobiſmetipſis cognita, ſcitu digna exiſtimavimus. Pri-

mum autem conſiderabimus quæ Ægyptum celebrem, maximeque admirabilem efficere videntur, ſcilicet cælum iis gentibus & jucundum, & ſalubre, Nilum flumen, urbes, ædes, templa, lacus, viridaria, opes, merces, quæ in ea provincia ex conterminis regionibus convehuntur, Pyramides, columnas, obeliſcos, balnea, antiquorum ſepulcra, bibliothecas, diſciplinas, religionem, plantas inibi familiares, terras, lapides, cæteraque foſſilia iis nota, atque demum & animalia huic provinciæ & domeſtica, & familiaria. Quæ profecto illis, qui & regionum variarum, & diverſorum hominum morum cognitione delectantur, haud injucunda fore credidimus. Namque etſi tot ſæculis Ægyptus apud omnes nationes maxime celebris extiterit, quippè ob cæli ſalubritatem, antiquitatem, urbium numerum, regni amplitudinem, ſitusque pulchritudinem, ſuperba ædificia, Nilum flumen regionem hanc totam opibus ditans, maximèque ob varias diſciplinas, & præſertim ob rerum cæleſtium cognitionem, quibus Ægyptios cæteros alios nationum homines longe antecelluiſſe conſtat: non minus tamen & hoc tempore eam regionem plurimi æſtimandam nobis fuit perſuaſum, tum ob illa quæ diximus, tum etiam quod nova quædam ſcitu digna, & uſus complures apud eos populos poſtea innotuerint: Quæque animos legentium neque parum delectare poſſunt. Jam ad Ægyptum venimus, quæ ideo ab omnibus concelebratur, quia cælo ſubjacet ad gradum ſexageſimum primum ſuæ latitudinis, uſque ad ſexageſimum tertium: Ad altitudinis verò gradum vigeſimum nonum ad trigeſimum uſque fere primum. Salubri autem cælo quamvis calido, neque multum intemperato tota hæc regio gaudet, exceptis diebus fere quinquaginta à Paſchate reſurrectionis Domini, quos Ægyptii Champſim vocant, in quibus venti auſtrales vehementer calidi ſpirant, quique una cum magno caloris æſtu arenas veluti à calore inflammatas in aërem levantes pleriſque Ophthalmias inducunt. At de iis poſterius. Ab hoc tempore poſtea nova æſtas eſſe videtur. Ea gens prole abundat, quæ non ſolum corpore eſt pulcherrima, ſed quæ acutiſſimo etiam & ingenio & judicio valet. Quo illud

ubique

ubique in adagio fertur, cum promptus quis ad reſponſa invenitur, ipſum Ægyptium eſſe. Optima ferè ſemper valetudine gaudent, ni aliquis externus accidat error, tamque longam vitam vivunt, ut complures nonagenarios robuſtiſſimos, vel etiam ad generationem viros potentes inibi ubique locorum invenias. Ægyptii adverſus peregrinos valde humani ſunt, falſoque illis imponitur,* exteros homines ſcilicet hoſpitio non libenter ſuſcipere, cum in nulla provincia homines vivere credam, qui libentius ipſis, honorificentiusque advenas amplexentur, ſuo quemque more, & vivere, & veſtimento uti permittentes. In iisdem quoque pietas inſignis maximis laudibus videtur concelebranda, qualem vel etiam Hippocratem, ut in libro de aëre, locis, & aquis legitur, non latuiſſe, conſtat, cum inibi dixerit, regionem Ægypti Græcia eſſe manſuetiorem, illiusque gentis mores & benigniores, & cultiores obſervari. Eſt & ſitus Ægypti pulcherrimus à multis non immeritò maxime laudatus. Etenim ex una parte Erythræum mare habet, & ſinum Arabicum; atque ex altera Ægyptio mari alluitur, per mediamque regionem à meridie ad ſeptentrionem excurrit Nilus, totamque Ægyptum irrigat. Quo fit ut facillime quotanis ex India omnium aromatum genera, aliæque merces magni pretii convehantur. Nili fluminis navigatio quantum delectet, dictu eſt incredibile; cum ad ipſius ripas innumera ſint pomaria miro ordine conſita, quæ Nili aqua perpulchris artificiis irrigua fiunt. Extant & ſegetes ſuo tempore adprime pulchro proſpectu delectantes, tum & florum varietas, quæ in iis fluminis ſuperciliis copioſa, & quaſi luxurians ſpectatur. Hæc omnia excedunt aucupium, & venatio, & varia piſcationis genera quibus Ægyptii inibi maxime delectantur. Quod ſi hæc in toto Nilo navigantibus grata ſunt, ad Cairum vero Deltamque vocatam Inſulam tantopere ab antiquis concelebratam, in qua proceræ & complures arbores miro ordine conſitæ cernuntur, itidem navigantibus erunt longè gratiſſima; taliſque, ac tantus ex variis arborum, aliarumque plantarum floribus odor exſpirat, exhalatque; ut non injuria Nilum è Paradiſi fluminibus originem habere Ægyptiis fuerit

perſuaſum. Pro quo cum tantæ illis ſit utilitati, & voluptati, grates infinitas quotidie Deo optimo maximo agunt. At de hoc flumine à nobis ſermo accuratior futurus eſt, cum de iſtius regionis temperie præſertim agemus. De qua nunc dicimus, eam calidam, ſiccamque eſſe, minus vero ſiccam obſervari in locis mari adjacentibus. Siccior vero aër iſtiuſce regionis eſt, quo à mare per ipſam remotius itur, atque ſerenior. Ex quo olim Ægyptii merito ob aëris puritatem, claritatemque omnia aſtra in cælo vel etiam minima (quanquam ocularia ſpecillo cryſtallina hac ætate ſolummodo inventa, non habuerint, quibus à Galileo, Florentino Mathematico, in Patavino Gymnaſio perilluſtri, quatuor ſydera errantia nova obſervata, atque cognita ſunt) magna facilitate videre, ac obſervare potuerunt. Nunquam ſane vel hyeme, vel æſtate, vel in aliis anni temporibus, per totum illud tempus, quo in Ægypto viximus, cælum ita obſcurum viſum eſt, ut Sol, Luna, reliquaque alia aſtra, vel etiam ex minimis, orientia, aut occaſum petentia, commode conſpici non potuerint. Cælum itaque in locis à mari remotis, & ſiccius, & calidius eſt, unde mirum non videatur, ſi in iis locis nunquam, vel rariſſime modicum pluat, namque pluvia quam ſemel omnibus annis quibus inibi moram traximus, ſolummodo videre potuimus menſe Novembri, haud major viſa eſt, quam apud nos ſoleat ros æſtivus obſervari. In locis autem mari proxime poſitis, veluti in Alexandria, Raſſit, & Damiata, menſibus Martio, & Aprili largiſſimas pluvias è cælo cadentes vidimus, atque multo plures in hyeme. Quibus mirum non eſt ſi iſthic aër ſit longe humidior atque minus calidus. Vereque dictum eſt in Civitate Cairi aërem eſſe & ſicciorem, & calidiorem, qui (exceptis diebus iis circiter quinquaginta ob ventos Champſinos vocatos à meridie in ſeptentrionem per zonam torridam dictam magno cum caloris æſtu, ut nuperrimè etiam meminimus, tranſeuntes, ſcilicet menſibus Martio, Aprili, Majo, cum Junii medietate, nimirum quoad ſol pervenit ad tropicum Cancri, in quibus aër inæqualis maximè ſentitur) fere per totum annum æqualis, & non immoderatè calidus percipitur, inco-

incoliſque ſatis temperatus, atque ſalubris exiſtit. Verum tamen, ut quicquam peculiare de illiuſce aëris inæquali intemperie dicamus, in Ægypto menſe Martio circà vernum æquinoctium ubique locorum aër incipit fieri admodum inæqualis ex ventis Champſinis, à Cambyſis exercitu arenis iis ventis ſubactis ſuffocato ita vocatis, quaſi venti Cambyſis dicantur, à Cambyſis nomine corrupto, Camſi appellati. Hi tunc temporis flare incipiunt perſeverantque quoad Sol ad Tropicum æſtivum pervenerit. Aliquibus annis brevius, & aliquibus prolixius durantes, finienteſve, nunquam tamen ii venti ultra tropicum cancri, æſtivumve permanent. Etenim hoc tempore perpetuo flare incipiunt venti contrarii, ſcilicet à ſeptentrione, & ab occaſu aërem refrigerantes, Eteſiæ vocati. Hi per totam æſtatem jucundiſſimè, placidiſſimèque ſpirantes, continenter diu, noctuque cæli calorem immodicum temperando, aërem maxime temperatum, & ſalubrem efficiunt. Quo tempore rectè *valere ſolent. O ſummam* Dei Optimi Maximi *Providentiam in Ægyptiorum* commodum: namque niſi ii venti, ſcilicet Eteſiæ vocati, ſummè placidi, poſt Champſinos ſpirare inciperent, & continenter aërem refrigerarent, non abſque maximo Ægyptiorum damno, & fortaſſe non ſine multorum interitu aër ille ſummè æſtuoſus, maximeque inæqualis, & maleficus adhuc in longius protraheretur, permaneretque. Itaque hic ver ita æſtuoſus, & inæqualis ab iis ventis calorem immodicum ſpirantibus plerumque ſolet incipere circa vernum æquinoctium, & uſque ad tropicum æſtivum perſeverat. Perflant ſane hi venti æſtuoſi continenter diu, noctuque, nonunquam trium dierum intervallo, aliquando quinque integris diebus, & nonnunquam ſeptem, quandoque etiam novem; quod ſi fiat, aër redditur veluti peſtilentiſſimus, quippe qui innumeros ferè in tota civitate Cairi exitiali eo morbo epidemico quem Demelmari appellant (opthalmiis exceptis quæ ubique locorum peſſimè graſſari ſolent) vel etiam unius tantum horæ ſpatio, jugulet. His vero ventis Champſi*nis* finitis, poſtea per aliquot dies, quippe tribus, aut quinque, aut ſeptem, aut denique novem, quoad denuo Champ-

ſini æſtuoſi redeant, ſeptentrionales frigidi valenter ſpirant; ex quo ibi maximæ temporum mutationes fiunt, quare mirum non eſt ſi morbi innumeri, exitialeſque hoc tempore graſſentur. De ſimilibus aëris mutationibus & Ariſtotelem, & Hippocratem locutos fuiſſe, nobis haud injuria viſum eſt, cum dixerint, *Maxime aëris mutationes morbos pariunt*. Hicque aëris morboſus ſtatus, ut etiam diximus, permanet uſque ad ſolſtitium æſtivum, ſcilicet quod die nunc vigeſima prima Junii menſis fit. Mox, ſublatis Champſinis ventis, Eteſiæ ex ſeptentrione, atque occaſu placidiſſime ſpirare incipiunt, quæ die noctuque ſpirantes aërem adeouſque contemperant, atque æqualem efficiunt, ut per totam æſtatem in qua hæc placida aëris conſtitutio continuat, cuique jucundiſſimus, & ſaluberrimus evadat. Accedit etiam ad augendam eam aëris benignam, ſalubremque conſtitutionem, Nili fluminis augmentum, quod ſeptima die menſis Junii incipit, atque ad finem ferè menſis Septembris perſeverat. Hiſque Eteſiis ventis placidiſſimè ſpirantibus eo profecto tempore in quo auctio fluminis fit, cum Ægyptii optima valetudine utentes maxime gaudeant, vitam in ludis, deliciis, & voluptatibus ducentes, ab omnibus ſolitis laboribus abſtinent, ipſoſque ſolatii loco intermittunt. Ab aqua fluminis aucta, ferè Ægypti planities utrinque ad flumen poſita uſque ad menſem Novembrem exundata, ac veluti obruta jacet. Hocque menſe ſolummodo, aqua ex toto abſorpta, terra conſpici ſolet. Tanto enim tempore aqua Nili aucti terræ Ægypti ſupernatat, atque ipſam inundat. Qua ex tota abſorpta plerumque in locis multis, nulla ejuſce terræ, quæ veluti limus apparet, præmiſſa cultura, agricolæ triticum, linum, trifolium, atque legumina ſerunt. Quæ ſemina terræ ſic commiſſa in aqua naſci, & creſcere, ſæpius vidimus. Segetes verò omnes uſque adeo cito creſcunt, atque ad maturitatem perveniunt, ut ad finem menſis Novembris ſeges adeo aucta eſſe videatur, quod linum ubique flores produxerit, trifoliumque ita auctum eſt, ut & equis pro pabulo tunc temporis & metent atque viride exibeant pro tuenda equorum valetudine. Metunt inquam, atque in manuales faſciculos ſiccatum

tum colligunt, atque ad animalium uſum ſervant. Quo pabulo equi Ægyptii non continuò veſcuntur, ſed aliquibus diebus, ipſorum enim hordeum perpetuum illis eſt cum paleis tritis nutrimentum. Triticum verò perpetuo ad Nativitatem Domini ex toto ſpicas profert, quod initio menſis Martii maturum colligitur. Aër menſibus Novembri, Decembri, atque Januario frigidior eſt, ita ut Itali, & Turcæ etiam in ea regione pellibus utantur, quod nimirum aër per id temporis, etſi vere haud multa in ipſo ſit frigiditas (quando inibi nunquam pruina, nunquam nix, nunquam gelu, nunquamque vel etiam grando ab Ægyptiis fuerit viſa) veruntamen aër eſſentiæ ſubtilitate corporum meatibus die ob aliquem calorem apparentem laxatis; plus frigoris quam habeat partibus corporis penitioribus, calidioribuſque profundius penetrando, inducere videtur. Sed de iis nos diligentius ſcripſimus in libris de Medicina Ægyptiorum præteritis annis editis. Eſt præterea Ægyptus maxime amæna, *oculiſque gratiſſima*, *cum perpetuo inibi arbores complures vireant*, *ut palma*, *ſycomorus*, paliurus Athenei, Acacia, Caſſia fiſtula, Tamariſcus, Lablab, Limonium, malum Aurantium, malum Medicum, Muſæ, atque ſimiliter aliæ arbores, frutices, atque herbæ, præſertim oleraceæ, cujuſmodi eſt Collocaſſia, quæ uſque adeo foliorum amplitudine, atque jucunda viriditate in vaſtiſſimis planiciebus luxuriat, ut ameniſſimo ejus aſpectu oculi ſummè delectentur, recreenturque. Non minus quam faciat Saccarinarum cannarum viriditas. Exceptis vite, perſico, malo punico, ficuque, & aliis non multis, reliquæ aliæ ſtirpes in Ægypto nunquam ſolent folia abjicere. Ficum vero quæ in horto ædis illuſtriſſimi conſulis Veneti jam annos multos vixit, per illud tempus quo inibi viximus, ſcilicet quadriennio ferè, obſervavimus ſine foliis in hyeme manere ſpatio dierum vigintiquinque, initioque Februarii hæc nova folia ſemper producebat.

Caput II.

De Nili fluminis incremento, dimenſione, atque inciſione ad agros irrigandos.

Sed ad Nilum flumen venimus, cujus præſentia tota illa regio accolitur, fæcundatur, atque ditiſſima redditur, ſine quo non foret Ægyptus habitabilis, cum primis illis temporibus tota ea regio veluti lacuna, paluſtriſque fuerit, ut rectè etiam Herodotus, atque alii tradiderunt. Nilus vero quotannis limum continue ſecum multum longa annorum ſerie in illiuſce regionis ſolum adducendo, paludes, lacusque limo replendo, ſiccandoque terram illam ſiccam habitabilem effecit. Quæ veritas eo argumento præſertim videtur confirmari, quod Herodoto, atque aliis referentibus flumen olim octo vel parum plus cubitis auctum ſatis fuerit ad totam Ægypti planitem aquandam: Quoniam tunc temporis ſolum Ægypti longe humilius, quam nunc ſit, exſtiterit. Hac autem ætate Nilus cum ad irrigandum ſolum Ægyptiacum non niſi decem, & octo cubitibus auctus ſufficiat, nobis indicio eſt, quod iſtiuſce regionis à limo quotannis ex ipſo Nilo adducto plurimum terra aucta ſit. De quo quidem flumine tria à nobis conſiderabuntur, ſcilicet augmentum, ejuſdem aquæ dimenſio, atque denique inciſio, ad agros irrigandos; etenim Nilus flumen æſtate accedit hyeme autem recedit, pinguiſſimo limo ad ferendum relicto, in quo ſane & Dei donum, & naturæ miraculum valdè mirari licet. Nam cum hyemè ubique locorum flumina augeantur, æſtate autem ferè exſiccentur: contra Nilus maximè dum in aëre calores vigent, tum ipſe augetur, imbrium autem diebus decreſcit. Levat etiam Ægyptios à ſtercorandi labore, arandi, atque oblimandi agros. Sæpe vidimus menſis Novembris principio nondum aqua à terra ex toto abſorpta, projectis in aqua ſeminibus ſegetes naſci. Antiqua in Ægypto conſuetudo eſt, ut dum Nilus creſcit, ſumma lætitia tota Ægyptus afficiatur, & quod maximè naturæ ſapientes admirantur, ex terræ Ægyptiæ gle-

bæ

bæ pondere, etiam ubilibet ſumpta fuerit, quam nunquam Nilus madefecerit, annonæ caritatem copiamve prævideant. De qua ſane obſervatione nos aliàs abundè ſcripſimus in primo libro de Medicina Ægyptiorum. Principium iſtiuſce fluminis incrementi ſemper ab antiquitate uſque ad hanc ætatem incipere die XVII. Junii (non obſervata hic anni Gregoriani correctione) conſueviſſe narrant, nunquam ante, & nunquam poſtea à quoquam hoc principium fuiſſe obſervatum. Patrio more, quoad creſcit flumen, aquæ auctionem quotidie dimetiuntur, ad quod munus domus ad ripas Nili fuit conſtructa quam Beit el Chazar nuncupant, quæ à Cairo quingentos paſſus diſtat, quæque tot gradus ex marmore habet, ut Nili fundum ferè tangat, ſuper quos quotidie mane aquæ incrementum transverſo pollice dimetiuntur. Auctione vero cognita varii præcones, civitatem, nobiliumque domos percurrunt, tot digitis Nilum ea die auctum fuiſſe nuntiantes, omnique accuratione quotidie id faciunt, quoad ſexdecim, aut decem & ſeptem cubitis quotidianam aquæ altitudinem ſuperaſſe offendant. Cum vero aquæ altitudo decem & octo cubitos ſuperaverit, Nilum incidunt, illamque diem, in qua inciſio fit, Jacum el Chazar, ideſt inciſionis diem, vocant, qui quidem adeo ab Ægyptiis colitur, adeoque ipſis Auguſtus eſt, ut in eo vel homicidium fiat impune. Fit autem hodie inciſio hæc eo modo quo apud antiquos Ægyptios fieri fuerat conſuetum. Foderant Ægypti Reges magnum alveum, quo Nili aquam in urbem ducerent. Hic hyeme ſiccatur, & clauditur, clauſumque in hunc uſque inciſionis diem ſervant, quoad inciſionis tempore reſecetur; ex quo Nili inciſio nil aliud quam alvei hujus apertio eſt: quæ triplici de cauſa fit, tum ut Reges oſtendant ſeſe Nili præſtantiſſimi fluminis poteſtatem habere, tum ne quis ante hunc diem Nilo ſuos campos irriget: quod ſi quis facere auſus fuerit, capite punitur: tum poſtremo ut hac aqua adducta totam urbem delectent: ex qua per mediam urbem excurrente magnam voluptatem capiunt Ægyptii, utpote qui aqua cæleſti ut plurimum carent. Ita per urbem magna omnium lætitia Nili aqua primo delabente, incolarum complures in-

inſignem illam voluptatem intus cohibere nequeuntes, variis ludis oblectantur, unde illorum quosdam videas inibi ſe lavantes, natantes alios, naviculis quosdam flumen transfretantes, canentes alios, aliosque & viros, & fœminas continuò in aquam veſtitos ſe projicientes, atque alios cujusque generis flores aſpergendo, quaſi flumen ipſum tanquam numen divinum colere, & adorare videantur. Tota urbs hac die ad alveum iſtum (quem Chalez vocant) ſpectandum transfertur; unde domus, quæ prope ſunt, citius, cariusque multis locantur. Ad locum vero ubi Nilus inciditur Ægypti Proreges, Ducesque pulcherrima in triremi veniunt, per totam noctem inciſioni præcedentem ſe ipſos variis modis oblectantes, quos alii fere omnes milites cum innumeris fere naviculis magno applauſu concomitantur. Dictu fere incredibile videtur, quanta illiuſce gentis turba die noctuque Nili fluminis ripas illuc impleat, ibique, & fœminæ multæ cum viris pernoctent, gaudeant, atque ut ludis variis, qui per noctem ſupra flumen in variis, fereque innumeris cymbis ab Ægyptiis nullam aliam ob cauſam fiunt, quam ut intuitu aucti fluminis oblectentur. Equeſtres milites eo ſe conferunt, & aqua denuò dimetita Deo Optimo Maximo datori primum omnes gratias agunt. Tum Prorex, Baſſa vocatus, gladio apprehenſo, ut incidant, illis imperat. Mandatumque tam citò peragitur, ut factum dicto præiſſe putes. Prorex cum ſuis, & ante, & poſt inciſionem, placentas, pepones, nummos, aliaque ſimilia in aquam projicit, perinde ac flumen quaſi adorare videatur. Quæ omnia Arabes innumeri, nautæ, piscatores, ac peritiores in arte natandi, intercipiunt, quorum non parva in Ægypto copia eſt. Adeoque ſunt in hac arte periti, ut veſtibus in veru impoſitis, ipſoque capiti adligato, equorum ephippia deferentes, ac equos ſecum ducentes, in flumen ſe conjiciant, ipſumque nullo labore tranent, qua arte ſæpius Turcas deceptos, prædæ pleni, relinquunt, qui cum natare haud ſciant, eos inſequi minimè audent. Multis ante, & poſt inciſionem diebus, ſcaphæ, cymbæ, omniumque navicularum genus in flumine viſitur, quibus huc illucque discurrentibus ignes arte factos, (in qui-

quibus parandis omnes alias nationes Mauri antecedunt) excitant, componuntque, ut ſpectatores maximè oblectent. Ad inciſionis locum, neque Hebræis, neque Chriſtianis accedere licet, nulli denique admittuntur, qui ipſorum ſectæ minimè addicti, tanquam profani, aquarumque faſcinatores, quorum præſentia minime bonis, felicibusque auſpiciis inciſionem fieri autumant, adeo ut ego, qui inciſioni intereſſe maxime deſiderabam, habitum mutare, ſectamque mentiri adactus fuerim. Longus nimis ſim, ſi quæ hiſce diebus lætitiæ ſigna eduntur enumerare vellem, quibus ſuos unusquisque agros irrigare, feliciſſimumque annum, ut ita dicam, ſibi comparare licet. Atque hæc de iis, quæ & ante, & poſt inciſionem Nili fluminis fiunt, à nobis dicta ſufficiant. Nunc de iſtius fluminis aquæ ſumma præſtantia atque bonitate agamus.

CAPUT III.

De aquæ Nili fluminis bonitate, atque præſtantia.

Nili aqua merito omnibus aliis præfertur, quod ipſa alvum ſubducat, menſes pellat, ut propterea rarò menſium ſuppreſſio in Ægyptiis mulieribus reperiatur. Potui ſuavis eſt, & dulcis: ſitim promptiſſimè extinguit: frigida tutò bibitur, concoctionem juvat, ac diſtributioni auxilio eſt, minime hypochondriis gravis, corpus firmum, & coloratum reddit. Theophraſtus (ut auctor eſt Athenæus) in libro de Aquis inquit, Nili fæcundiſſimam, & dulciſſimam eſſe aquam, & ventrem ſolvere cum bibitur, ob admixtam quandam vim nitroſam; ob fœcundiſſimam vero utriusque aquæ naturam, & uſum ſalubrem Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem Berenicæ filiæ, Antiocho Syriæ Regi nuptæ, usque in Syriam aquam Nili ut ea ſola ad potum uteretur, miſiſſe. Athenæus idem in 2°. libro Deipnoſophiſtarum tradidit. Nonnulli auctore Avicenna Nili aquam laudarunt, tum ob emanationis longitudinem, tum ob locorum, per quæ fluit, bonitatem: Tertio ob ejus copiam;

atque demum quod flumen à meridie ad ſeptentrionem tendat. Neque ii injuria in haſce cauſas bonitatem aquæ Nili fluminis retulerunt: Namque longiſſimo in eo itinere, quod hoc flumen à meridie incipiens in ſeptentrionem ad mare mediterraneum usque perveniens facit, aqua plurimum extenuatur tenuiorque redditur. A multis aquæ non ſolent commendari bonitate, quæ currunt a meridie in ſeptentrionem. Oribaſius tamen de iis ita habet: „ Quanquam autem aquas, quæ ad meridiem fluunt „ non laudem; Nilum tamen ita commendo, ut aquæ bonitate, „ paucis fluminibus comparari poſſe videatur, & quia ipſius iter „ ſit per loca calidiſſima mirum quoque non eſt ſi etiam ab eo „ calore plurimum alteratur, & quaſi ex toto excoquitur." Habet & Nilus (cum & terra ſit rotunda, atque ejus iter ſit ad minus milliarium Italicorum quatuormillium, ſi verum eſt à tropico Capricorni ortum ſuum nanciſci, & ultra alterum tropicum per gradus ſeptem in mare terminari, atque ſic longitudinem illius itineris recta via habere gradus quinquaginta quinque ad minus; ſed iter ejus longius eſt cum non rectam ſemper, at obliquam, tortuoſamque viam habeat) complures ex præruptis locis altiſſimis deſcenſus (cataractas Plinius vocat) in eo longo itinere habet, proximiorque Ægypto cataracta eſt, quæ inter Lybiæ, atque Æthiopiæ montium anguſtias ſit. Quare aqua Nili ex iis cauſis mirum non eſt ſi tenuiſſima, & maxime excocta reddatur. Unde medici Ægyptii eam crudam, at diligenter tamen clarefactam, ægrotis exhibent ad potum, atque ex ea etiam diſſolvunt potiones purgatorias, à quibus etiam eam ad libras magna cum utilitate ſuperbibunt. Ex locorum quoque, per quæ defluit, qualitate bonitas deprehenditur, quando fundum Nilus habeat maxime concoctum, & pingue, nihil cruditatis recipiens. Quo etiam cum iſtiuſce terræ ſubſtantiæ pinguiſſimæ particeps ſit; mirum haud eſt ſi Ægyptiis fuerit perſuaſum, ipſam aquam corpora nutrire. Quod autem ejus uſu corpora nutriantur, cuique ibi degenti eſt plane notum, corpora ſiquidem macra, extenuata, ejus uſu bonum habitum nanciſcantur, atque multum pinguefiant. Mihi vero, cum Ægyptum attingerem graciliſſimo corpore conſtanti, ex illiuſce

largo

largo aquæ potu quem ſemper toto illo tempore quo ibi moram traxi, continuavi, bonum habitum, & pinguem fieri contigit; Quod ſi aliquandiu moram longiorem in ea regione feciſſem, obeſitatem in corpore nactus profecto fuiſſem. Quare ab illius aquæ uſu corpora ali non eſt dubitandum. Unde Ægyptii pro certo habent aquam eam ſanguinem in corporibus gignere, ſimilemque vim gignendi ſanguinem obtinuiſſe poſteaquam miraculo à Moſe, ſanctiſſimo Propheta, olim in ſanguinem fuerunt mutatæ. At corpora præſertim calida, & ſicca ob ejus aquæ uſum bonum habitum nanciſci ſanè poſſe & nos quoque affirmamus, ſed non in eo quod ſanguinem hæc aqua gignere apta nata ſit (tametſi fortaſſe haud omnino negandum eam aquam aliqualis ſubſtantiæ alimentalis eſſe participem) ſed in eo quod hepar ſanguinis officinam maximè contemperat ac proinde in biliosis corporibus jecoris calore contemperato plus ſanguinis gignatur, ex quo plus nutriuntur, & in carne augentur. Nili itaque aqua in frigiditate eſt temperata, & in humiditate eſſentiæ tenuiſſimæ, haud omnino expers alimentalis ſubſtantiæ, unde ipſa, ut cæteræ aquæ, non inſipida, ſed ſubdulcis guſtui apparet: alvum lubricam ſervat, urinam, atque menſes movet, in quam cauſam medici Ægyptii referunt, quod raræ mulieres in Ægypto ſint, quæ laborent menſium ſuppreſſione. Quam ſuavis, & jucunda ad potum ſit, dici ſatis non poteſt, eoque argumento etiam intelligitur, quod homines, vino quoque aſſueti, ipſum ſpernant, aquamque libentius complectantur. Nec mirum eſt ſi Peſcennius Niger in Ægypto exercitui tumultuariè vinum petenti, dixerit. *Nilum habetis, & vinum quæritis?* Hoc ſcripſit Flavius Vopiſcus in ejus vita. Parum quoque nutrit, corporaque ad calidum diſtemperata contemperat, alimenti diſtributionem optimam facit, atque nutritionem. Renum calorem ita contemperat, ut probè clarefactæ uſus calculorum productionem prohibeat, atque etiam genitos calculos per urinam expellat. Quod nobis calculo renum vexatis contigit, qui ex largo iſtiusce aquæ potu calculum magnum per urinam rejecimus. Addimus, hanc aquam Ptolemæum Philadelphum tanti

 feciſſe

feciſſe ad potum, ut Berenicæ, Antiocho nuptæ, ejus filiæ, ex Ægypto perpetuo in Syriam ad ejus uſum miſerit, ſuppeditavetitque aquam Nili fluminis.

Caput IV.

De Inſula Delta, atque de Alexandria.

Producit Nilus flumen inſulas multas, & ſinus efficit, atque, ut omittam, quæ ſupra Cairum cingit, tacendum minime duxi illam nunquam ſatis encomiis concelebratam Inſulam Deltam vocatam, quod ſua forma literam Δ imitetur, quam non longe à Cairo duo rami Nili nunquam verſus mare ſe conjungentes conſtituunt. Alter quidem ramus verſus Peluſium delabens, alter vero Canopum, quæ hodie Ruſſit vocatur. Intra hos duos ramos, atque mare Mediterraneum Delta inſula conſtituta eſt. Quæ *inſula* eſt adeo fæcunda, ut in ea naturam maxime luxuriaſſe dicas. Hanc Arabes Gizirdaabi, *hoc eſt Inſulam auream*, appellant. Saccharum in magna copia ſingulis annis producit, eoque ſemper abundat. Orizæ ſumma copia in ejus ſolo, & ſelectiſſimæ quidem gignitur, quam profecto per mare Turcæ Byſantium convehunt, atque ad omnes Turcarum provincias, cum ſit in omnibus iis communis, & gratiſſimus cibus. Hanc Turcarum Imperator Uxori Reginæ dono dat. In ea quoque prope mare ſalis albiſſimi copia foditur, quod præ copia non venditur, ſed unicuique colligere quantum libet fas eſt. Iſtius Inſulæ urbs præcipua eſt Fuè. Quæ usque adeo omnibus ad victum attinentibus perpetuo abundat, ut nulla alia ſit in ea provincia abundantior, omitto panis tritici optimi abundantiam, orizam, legumina, animalia pro carnium uſu cujuscumque generis terreſtrium, & volatilium. Ovis usque adeo abundat gallinaceis, ut pro ſextertio argenteo nummo, ſexaginta, & plura quandoque coëmantur. Piſcibus itidem ſcatet optimis. At quid de fructibus? Muſas optimas copiosè illud ſolum producit, uvas, melones, angurias el Mavi vocatas, cucumeres Cathi dictos, quorum uſus iis populis eſt ſalu-

ſaluberrimus, nunquam illis noxius, Perſica mala, citria, limonia, aurantia, paliuros, palmas omnium generum, & mala Punica incredibilis magnitudinis, quæ habent acinos ceraſorum communium magnitudine, dulciſſimos, ex quorum ſucco paratur ab Ægyptiis ſyrupus ille ſolutivus de granatis, qui inter leniter ſolventia præſtantiſſimus eſt, guſtuique acceptiſſimus. De aliis vero urbibus quæ in Ægypto ſunt, deque ipſarum vetuſtate, atque antiquorum veſtigiis, quæ in iis ſuperſunt, etſi omnibus nota videantur, pauca tamen perſtringenda duxi, in gratiam præſertim illorum qui hæc non viderunt. Apud Babilonem, Thebasque apparent veſtigia antiquitatis pulcherrima derelicta, coloſſi, obeliſci, qui hucusque tam hic quam alibi reperiuntur, qui à Cambiſæ ruinis fuere ſuperſtites. Extant vetuſta Regum ſepulcra in ſpecubus inſculpta, pulchris inciſionibus exarata. Nec non antiquitatem teſtantur, quæ hucusque in Heracleotica provincia, vel etiamnum ſpectantur, pulcherrimus ſcilicet Labyrinthus, ac domus illa inſignis *ad omnes nationes excipiendas ædificata: pulcherrimum quidem eſt viſere domos illius civitatis ex integro lapide contectas.* Heliopolis magnæ ſacerdotum domus, ubi Platonem, Eudoxum, eo eruditionis cauſa profectos, quatuordecim annos manſiſſe ferunt. Id confirmat & locus in quo Eudoxus res cæleſtes contemplabatur. Philonis villa, Oſiris Aſylum, ubi multis in locis ſepulcrum eſſe finxerunt, ut Typhoni ipſum quærenti, abſconderetur. Idem oſtendunt Templi Herculis veſtigia, quæ in Heraclea ſunt in campo Serapidis. In Taposiri vero Veneris itidem Templi ruinæ: apud Alexandriam Neptuni. Ægyptus rurſus olim maximè celebris reddebatur Muſæo quod Alexandriæ fuit, quodque ſemiſepultum jacet. Tum non minus ibidem monumentum, in quo Alexandri cineres recondita fuerunt. Non minoris ornamenti fuit magna illa quondam Bibliotheca quæ Alexandriæ extitit, miris laudibus ab antiquitate concelebrata. Ad hæc Ægyptum illuſtrant veſtigia itidem templi Minervæ, Lucinæ, Apollinisque, & Jovis delubra, Latonæque, quæ Lacopoli extant. At nunc ex illuſtrioribus Ægypti urbibus ad Alexandriam venio, quam Galenus

Per-

Pergamenus, medicorum poſt unum Hippocratem omnium facile princeps, Magnam Alexandriam vocare ſolet. Hæc etſi hac ætate majori ex parte ſemidiruta jaceat, atque ferè ſemiſepulta, tamen ruinæ quæ extant, & veſtigia, ipſius amplitudinem, & majeſtatem declarant, ædificiaque potiſſimum, quæ tam ſuperba extructa fuere, ut tam alte defoſſa, quàm ſupra terram ſuperſtent, appareant. Tota Civitas nunc etiam columnis marmoreis ſuſtentatur, altèque defoſſa loca omnia vacua habet aqua Nili fluminis plena, quæ per ramum (Caliz vocatum) ſingulis annis cum flumen in ſuo eſt augmento, in ea loca ſubterranea defluit. Extant in ea Civitate veſtigia, ut putant, palatii Regalis olim Cleopatræ. Nos vidimus juxta ea veſtigia fuiſſe effoſſa duo capita marmorea, nihilo ab antiquitate vitiata, ſed integra, & omnino perfecta, quorum alterum Cleopatræ effigiem affabrè referebat, alterumque Marci Antonii. Extat & columna, quam Pompei vocant, inſignis profecto longitudinis, atque latitudinis; & pulcherrimus obeliſcus litteris *Ægyptiis inſculptis* (Hieroglyphica vocant) exaratus. Ex latere habet lacum Mareotim vocatum, qui ex dulci aqua à Nilo excurrente marinæ permixta efficitur. Etenim ipſe plurimum auctus mari ita miſcetur ut id ipſum mare eſſe videatur. Antiqua civitas aliud ferè quam ruinæ, & veſtigia urbis antiquiſſimæ non eſt, pauciſſimoſque habitatores habet. Unde aër longè inſalubrior quam antea redditus eſt, præſertimque menſe Auguſto, cum ob aquam, quæ ſtagnans, atque ſemiputris eſt (propterea quod cœnoſa & putrida ferè omnino propter ipſius paucitatem effecta eſt, neque prava ejus qualitas prius corrigitur, quoad menſe Septembri ex Nilo aucto renovatur, multa quippe aqua optima ex flumine de novo affluente, ſuccedenteque) tum ob ventos ſemiputridos ex lacu Mareoti, itidem tunc & ſtagnante, & ob corruptam aquam ſemiputri, perflantes, in quam cauſam eo tempore febres peſtilentes ferè Epidemicæ in ea civitate graſſantes ab indigenis referuntur. Cœperunt abhinc plures annos multi à civitate fugientes terræ partem mari adiacentem frequentius habitare, propè ſcilicet Arcem Alexandriæ, in qua parte omnes

nes Hæbrei nunc habitant, unde altera civitas, & ab ipſis, & ab aliis nunc ibi quaſi facta eſt. Viridaria hæc civitas pulcherrima habet, & quædam juxta littus maris in ſolo arenoſo extra mænia civitatis, ut mirum ſit quo modo hortenſia olera, atque fructus itidem hortenſes in ſola arena vivant, perfectique reddantur, ut anguriæ, melones, cucumeres, bauſia, melochia, lactuca, ficus, mala perſica, armeniaca, muſæ, & ſimiles alii: Terra capparibus ſponte naſcentibus non ſpinoſis ita abundat, ut magna ipſorum copia ſale conditorum in varias regiones, & provincias quotannis mittatur. Sylvæ dactilorum ſunt, Caſſiæ catharticæ complures, ſycomori, paliuri Habac ab Ægyptiis vocati, cujus poma jucundiſſimi guſtus ſunt, magnitudine, & figura plane ſimilia fructibus meſpili Aroniæ, at non ſunt ita adſtringentes. Uvæ creſcunt ibi copioſius, pulcherrimæ, atque optimæ, quæ ad cibum in uſu ſunt, non tamen ad vinum, cum neque Alexandrini eas ita copioſas habeant, ut & ad cibum, & ad vinum ſat ſint. Hæ menſe Majo maturæ fiunt: nos enim die decima quarta Maji in quodam horto ibi, & albas, & nigras uvas probè maturas vidiſſe meminimus. Hæc pauca obiter de Alexandria dicta ſint, quando longè plura ab aliis ſcriptoribus fuiſſe poſteritati tradita, nos non lateat.

CAPUT V.

De magna Cairi civitate, deque rarioribus in ea obſervatis.

An Cairum (quam urbem Ægyptii Masvè vocant) ſit illa celeberrima totius Ægypti civitas, quam Memphin à veteribus nominatam olim fuiſſe conſtat, à nonnullis dubitatum eſt, & uno præſertim argumento, quòd Ptolemæus Memphim meridionaliorem quam ſit nunc Masvè, vel Cairum, quod gradibus XXVIII. ab æquatore diſtat, & Memphim habuiſſe altitudinis ab æquatore gradus ferè triginta conſtat. Verum neque Babilonem antiquam civitatem eſſe, quam Ægyptii nunc

C Masvè

Masvè aſtie, ideſt Cairum antiquum, Babilon dictum, nominant; dubitatur, cum & illa antiqua Babilon diſtaret, Ptolemæo auctore, ab æquatore, gradibus itidem XXX. Utcumque res ſe habeat, plerique Ægyptiorum non dubitant affirmare Cairum eſſe antiquam Memphim. De qua civitate illud nunc erit animadvertendum, quippè olim Ægyptios aliam partem ſoli Ægyptiaci habitaſſe, ſcilicet verſus Topanà, in pulcherrima planitie, quæ in proſpectu erat eam ad montis apertionem, latitudinis fere XXV. Italicorum miliariorum, qua via eſt ad Sues, & ad montem Sinai, atque ad Mare Rubrum. Ibi enim maximæ civitatis veſtigia, atque ruinæ conſpiciuntur. Situs enim hic longè amæniorem, ſereniorem, & liberiorem aërem habebat. Nunc vero ſub monte omnes habitant, qui eſt terminus Arabiæ Petreæ ad Nilum flumen tendentes. Civitas hæc excurrit per longum ab Oriente in Occidentem, à Nilo flumine incipiens uſque ad montem terminata. Nunc duplex cernitur, antiqua mæniis, tamen non ex toto cincta, quæ incipit à porta Babzuele vocata, quæ ad alteram Portam Babnaſcir nuncupatam (ideſt portam fortunatam, nimirum ita vocatam, quia Selim Turca per eam portam ad Cairi civitatem primum fuit ingreſſus) recta via terminatur. Iſtius civitatis mænibus cinctæ magnitudo non minor eſt quam Patavium eſſe videatur. Altera vero extra mænia antiquæ urbis cernitur longè amplior, mihique viſa eſt veluti complurium ſuburbium, villarumque, ſeu pagorum magna congeries. Hæc per montis radices, procedit ad Nilum flumen fere deſinens, mediaque ipſius via latiſſima, longiſſimaque longe procedit, cujus longitudo ſex milliarium eſſe creditur, in qua & altera Civitate, ſeu Civitatis parte, innumeræ plateæ, in quibus à Cadis vocatis cauſæ litigantium audiuntur, atque merces omnis generis venales habentur, quæ plateæ non nominibus, ſed numeris vocantur. Creditum eſt numero fere ducentas. In hac civitate eſt arx pulcherrima, & ampla ſupra montem lapideum poſita, in qua olim Reges Ægyptii habitare conſueverunt, nunc Prorex, ſive Ægypti Præfectus; quem Baſſà vocant à Turcarum Imperatore pro tempore miſ-

ſus,

ſtis, ipſam itidem inhabitat. Hæc verò in tres partes diviſa eſt, in quarum prima, ut dictum eſt, Baſſa Domicilium habet, aulamque auditoriam inſigni latitudine, ea autem longitudine, ut à principio ad finem uſque hominem cognoſcere vix facilè poſſis. In hac totius Ægypti Prorex audit litigantes; controverſiaſque judicat, atque de rebus ſecretis pertinentibus ad iſtius Regni gubernationem cum Turcis proceribus agit; quippe cum Cadi Laſcher, & aliis Cadis, Tefterdaris, Sangiachis, Beis, & Chiaus itidem multis; qui omnes ibi bis in ſeptimana ea de cauſa conveniunt. Altera pars arcis undiquè clauſa muris eſt, unamque ſolummodo portam qua ingreſſus patet, habet. In ipſa olim Regum mulieres cum mancipiis, quæ ferè numero quadrigentæ fuerunt, commorabantur. Nunc Prorex ea ad eumdem uſum utitur. Ultima pars militum eſt, quæ adeo eſt magna, ut parva civitas videatur, duas verò portas ferreas habet, eſtque ad iſtius radices viridarium pulcherrimum in quo variæ arbores aluntur, ſcilicet mala citria, aurantia, limonia, poma Adami vocata, mala Armeniaca, perſica, paliurus, muſa, & ſimiles aliæ arbores, aſpectu ſemper virentes. Adſunt & fontes ex aqua limpidiſſima ex marmoreo lapide confecti, quorum aliqui veluti è ſpecu deſcendunt, alii in altum aquam emittunt. Adeſt ibi & pulchra quoque Domus oſtiis eburneis, feneſtriſque permaximis ferro interclusis. Ad viridarium eſt & ſtadium maximum muris cinctum. Stadium autem Midam Ægyptii vocant, atque ad ipſum adeſt & permaxima platea, quam Romele nuncupant, in qua quotidie plurima animalia venduntur; & quamvis arx altiſſima ſit, aſcenſumque habeat difficilem, tamen aqua ex Nilo flumine ſpacio quinque milliarum quibuſdam artificiis per murum copioſius deducitur. Mirumque maximè videtur quo pacto poſſit aqua ex imo Nili alveo ita eo rotarum artificio in altum extolli, ut arcis altitudinem ſuperare queat. Hoc illius arcis fortitudini plurimum eſt detrimento, etenim belli occaſione, facilè poteſt, & rupto artificio quo in altum elevatur, & diſrupto itidem muro per quem in arcem defluit, aquâ arx ipſa deſtitui. In medio quoque Arcis in loco eminenti extat

prope magnam plateam magnus porticus, ſive deambulatorium quadratum, mira altitudine extructum, cujus tectum columnis marmoreis ſuſtentabatur, ſingulis ſimul quaternis poſitis, quæ numero bis ſexdecim exiſtunt, quarum quatuor ſimul junctæ angulum tecti ſuſtentant, & aliæ quatuor alium angulum, & ſic de aliis duobus angulis. Aliæ verò medium porticum eodem ordine quaternæ ſimul ſuſtinent. Templa complura Cairum ornant, quorum illud maximum eſt, in urbis medio poſitum, quod Giemalazar appellant, in quo tota civitas convenit, & quotidie Mahometana lex legitur, atque interpretatur, maximeque in die Veneris, in qua die multi illorum ab omni opere ceſſant. Ibi etiam libri complures cujusque materiæ venduntur. Hic quotidie prædicatur itidem lex ipſorum, & conveniunt legis periti, quos Talismam nuncupant, atque iſti legem ſcriptam ſemper in manibus geſtant. Hocque templum eſt ubi mortuis juſta perſolvuntur, maxime autem procerum, conſuetudo enim eſt apud Ægyptios, ut cadavera antiquorum more extra urbem ſepeliant: quod antequam faciant, ea ad fani portas ferunt, ibique exequias concelebrant, dein ipſa ad ſepulchra efferunt, quæ præcedunt canendo magnis vocibus dicentes Deum magnum eſſe unum, ejusque Prophetam eſſe Mahametem, ſed ut in antiquo more etiam fuit, parentes mortuorum conducunt mercede Arabas mulieres, quæ & domi mortuos deplorent, & ipſos ad ſepulchra flebilibus clamoribus concomitentur. Proceres mortuos ad ſepulchra deducunt equites, ducesque equitantes. In hoc etiam templo eſt diſciplinarum omnium Gymnaſium celebre in quod ſingulis annis tercentum millia aureorum impendi fama eſt, victusque & veſtitus omnibus Doctoribus in Gymnaſio diſciplinas profitentibus, tum juvenibus ibi ſtudentibus publico ære ſuppeditatur. Eſt & alterum longè majus templum, Arzuele vocatum, juxta arcis radicem orientem verſus poſitum. Circuitus eſt ferè miliaris, cujus muri usque adeo ſublimes, ut vix quæ in faſtigio ſunt, oculis comprehendi queant: cui marmoreæ cornices circumſtant mirandæ magnitudinis, habentque ſummitatem nullo tegumento munitam, adeo ut medium templi ſub dio jaceat; quod

quod ceteris aliis omnibus templis eſt commune. Hujus pavimentum miro artificio ex lapillis marmoreis variorum colorum confectum viſitur. Ab hoc templo paululum verſus occidentem adſunt ædium quarundam regiarum veſtigia, quas plures exiſtimant fuiſſe domicilium Joſephi quondam totius Ægypti præfecti. Maximum apparet Palatium circuitus fere milliaris Italici, muris ex lapidibus magna ex parte marmoreis atque lateritiis ex calce confectis, ita præaltis, ut vix acies oculorum ad faſtigia attingat, ſuperſtant circum faſtigia marmoreæ cornices altitudine quatuor fere cubitorum, nudo perpolitoque lapide. Intra muros vero externos omnia ruinis plena ſunt. Haud procul hinc cernitur Ægypti Horreum Sonè ab iis nuncupatum. Planities eſt muris præaltiſſimis cincta, duorum ferè milliarium circuitu, ſub dio poſita, nullo ſcilicet tegumento cooperta, aërique idcirco tota expoſita. Quem locum ſingulo ſeptennio tritico replent, ex eoque intra eos muros acervi montium inſtar tritici fiunt; qui eminus ſupra muros conſpiciuntur: paucos poſt dies quam ibi triticum fuerit repoſitum, eoque totus ille locus fuerit repletus, tritici ex rore copioſo cælo noctu cadente ſuperficies corrupta, atque à nimio ſolis calore plurimum ſiccata, & indurata, cruſtas duriſſimas contrahit palmi ferè craſſitie, intra quam triticum (quod ad aëre nihilo tangatur, altereturque) ſeptennio incorruptum conſervatur, quo tempore finito Proregis mandato continuo depromitur, populoque diſpenſatur, ac denuo ex recenti locus impletur. Ægyptiorum non paucis perſuaſum eſt, hujusmodi Horreum fuiſſe olim à Joſepho totius Ægypti præfecto ad evitandam annonæ caritatem exædificatum. Mirum profecto non eſt, ſi tantæ frumenti quantitatis in magna Cairi civitate fiat proviſio, ne ſi forte aliquando ex Nili fluminis aquæ nimis pauco, aut immoderato incremento, annonæ caritas ſuccedat, ut iis omnibus ea proviſione proſpiciatur. Etenim in hac civitate hominum vivere ad minus bisdecem centena millia & plures etiam eo argumento, ſive conjectura aſſecuti ſumus, quod anno 1580. peſte Cairi interiiſſe deprehenſum fuerit quingenta millia hominum, qua ſublata continuo cum hanc urbem ſeptimo ſcilicet men-

ſis Julii ingrederemur, vix paucis hominibus civitatem defeciſſe nobis viſum fuerit, ita illam gentibus innumeris repletam vidimus, ut propter hominum multitudinem non abſque magna difficultate per vias regias ire hominibus concederetur. Accedit etiam, Turcas è peſte interemptis in libro mortuorum neque pueros, neque mulieres, neque mancipia adnotare: unde eo anno ex peſte, quæ quinque menſibus urbem fuit depopulata, forte interiiſſe ad minimum decies centena millia hominum, facile conjici queat. Sunt in hac urbe ædes complures magnificentiſſimæ, atque auguſtiſſimæ, quarum pulchritudo, & magnificentia minime foris conſpicua apparet, namque muri ſolummodo quibus ædium loca cinguntur, foris ſpectantur, intus vero præclara illarum & pulchritudo, & præſtantia conſpicua fit. Palatia hæc profecto ſunt auguſtiſſima, in quibus pro mulieribus ſunt ædes ſeparatæ, quarum pavimenta ex ſelectiſſimis lapillis porphyriticis variorum colorum undique ſplendentibus miro artificio extructa ſunt, tecta ædium omnium aurata mirificè ſplendent. Habent Balnea ibidem pulcherrima, quibus mulieres, & ad valetudinem conſervandam, & ad ornatum corporis, frequentius utuntur. Habent & fontes marmoreos continue frigidam aquam fiſtulis plumbeis in aërem die noctuque ejaculantes, circum quos æſtate prope dormiunt. Habent & viridaria ſeparata ab iis, quæ in virorum ædibus ſunt, amæniſſima, & lacus magnos, in quibus omnis generis volatilia, aquatilia, atque piſces nutriuntur; unde illis non deſunt piſcationes, & in viridariis aucupia. Ædes vero pro viris pulchritudine, atque magnificentia illis mulierum minime cedunt, in quibus loca etiam habent pro viris mancipiis, & ſtabula equorum, mulorum, & aſinorum, pulchritudine, & munditia nullis aliarum nationum poſtponenda, uſque adeo ea elegantia, & munda ſunt, ut cameris hominum elegantibus comparare queas. Unum addo: quamlibet domum circa medium ipſius habere latiſſimam fiſtulam ligneam, aut ex alia materia confectam, ex toto cavam, & perviam, quæ fere ab imo ædium pavimento incipiens ad ſummum faſtigium, inſtar campanæ latiſſimi oris expanditur; cujus pars ſuprema verſus ſepten-

trionem eſt aperta, perque eam apertionem ventus ſeptentrionalis frigidus exinde reſpirans excipitur, atque deorſum fertur, ad univerſam domum refrigerandam. Quemadmodum in frigidis regionibus propter inſignem aëris frigiditatem, ut homines à frigore ſe tueantur calida hypocaſta in uſum veniunt, ita in locis magno calore æſtuantibus * hujusmodi fiſtulæ ad defenſionem a calore uſum ibidem habent.

Itaque ex prædictis domibus magnifice conſtructis Cairi complures cernuntur, quas ſolummodo Turcæ primates, atque Ægyptii habitant, ſcilicet Sangiachi, Beï, Cadi, Teſterdari, Chiauſi, atque Chielebi, ideſt nobiles Ægyptii. At de ædibus nobilium in hac civitate ita obſervatis, mirum non eſt ſi eas laudes dixerimus: ſed quid de plebeorum domibus? Tanta eſt in ea urbe habitantium ſuperbia, ut nullus non ſit vel etiam artifex, qui ædem non habitet magnificè extructam, quæ aulam præſertim non habeat amplam, cujus tectum ſit undique auro cælatum, atque pavimentum ex lapillis marmoreis ſelectiſſimis variorum colorum ſplendentibus miro artificio confectum, cum fonte marmoreo frigidam aquam plumbeis fiſtulis continuo ejaculante. Balnea in hac civitate multa, magnificentiſſimè extructa viſuntur, miræ pulchritudinis, atque amplitudinis, quæ innumeras ferè cameras habent, in quibus homines lavantur, ſudant, refrigerantur, fricantur, atque ea faciunt, quæ ad conſervandam ſanitatem Ægyptii facere ſolent, atque ad corporis ornatum. Singula habent pavimenta marmorea ex lapillis parvis variorum colorum artificioſe ſtrata, & tecta omnia vitreata ipſis incumbunt. Innumera in hac civitate Balnea publica extant, ad quæ conveniunt, & viri, & mulieres. Ex mulieribus vero hæc balnea frequentant plebeæ & pauperculæ, quæ quid in ipſis agant nos in libris de Medicina Ægyptiorum tradidimus. Nobilibus vero mulieribus, & Turcarum, & Ægyptiorum, & Arabum, non licet ea ingredi, cum domi habeant quibus uti ſolent pulcherrima. At quandoque ad ea & nobiles voluptatis gratia venire ſolent, cum ſuis mancipiis eunuchis cuſtoditæ. Hæc civitas habet innume-

* Vid. Tab. I. Num. 1.

meras vias, quæ noctu magnis portis ligneis clauduntur ad habitantium ſecuritatem. Unde ipſis tota civitas in tuto redditur. Quo obſtaculo ferunt Selimum, Turcarum Regem, quo tempore Ægypto bello potitus eſt, per tres continuos dies coactum fuiſſe pugnare antequam ipſam civitatem ſubigere potuerit. Extra hanc urbem occidentem verſus extat adhuc in loco quem Matarea vocant, domuncula, ſive Camera quadrata parva, & juxta ipſam fons aquæ dulcis ex quo perpetuo copioſa aqua naſcitur, ſcaturitque, qua proxima viridaria irrigantur, præſertimque ea quæ Balſami plantas alere ſolent, de quibus nos ſatis ſuperque ſcripſimus in dialogo de Balſami planta, & in libro de plantis Ægypti. In hac cella iſtius domunculæ Beatiſſimam Virginem Mariam cum Chriſto Domino noſtro infantulo ſeptem annos habitaſſe conſtat, quippe, quo tempore Herodis iram fugiens in Ægyptun ſe receperat. Pro certo habent omnes Ægyptii hic occulte ſeptennio permanſiſſe. Quo tempore illa aqua fontis, & ad victum, & ad pannos eluendos ipſa uſa eſt. Eſt intra eam cellam in muro ex calce, & lapidibus lateritiis cavitas cubito longior, & ſemicubito lata, in porphyrite lapide excavata, in qua primum Virginem Beatiſſimam Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum infantulum occultasſe ferunt. Ex hoc ſpecu reſpirat odor perquam ſuavis haud notæ qualitatis, & nos teſtamur, non ſemel, ſed pluries hujusmodi qualitatem odoris ibi olfeciſſe, atque cum multis una obſervaſſe. Quod miraculum (cum nullo artificio ibi eſſe queat) cum Chriſtiani omnes, tum Mahometani, pro certo eſſe prædicant. Hic locus non minus a Turcis, Mauris, Ægyptiis Mahemetes aſſeclis, quam a Chriſtianis, in magna eſt veneratione habitus; quod omnes Mahometani omnia de Virgine ſanctiſſima, quæ Chriſtiani credant. Meiſir Baſſa, Prorex Ægypti, Turca honeſtiſſimis moribus præditus, ita eum locum eſt veneratus toto illo tempore quo Ægypto præfuit, ut bis in hebdomada ad eum locum ſemper oratum iverit, nullaque alia aqua ad potum toto eo tempore, quam illa quæ ex eo fonte (quod ea Virgo Maria ſuo tempore uſa) ſcaturiebat, uti voluit. In tanta ſane veneratione, & honore maximo eam cellam a

Bea-

Beatiſſima Virgine olim habitatam, ſemper habuit. Quid: annon innumeri ſunt etiam ex Mauris Mahometanis, qui ex longinquis Provinciis, itinere multorum dierum illum locum adoraturi veniunt, quem reverenter colunt, & venerantur, & de aqua illiuſce fontis quantum poſſunt ſecum deferunt; quod apud multas Nationes, & Gentes ad morbos perſanandos maximis laudibus concelebretur, devotèque ad memoriam Virginis ſanctiſſimæ ab iis Gentibus colatur. Eſt inſuper verſus Auſtrum Campus duorum milliarium longitudine, & unius latitudine, figuræ rotundæ ovalis, quem locum olim Theatrum fuiſſe dicunt à Sbech Rege Ægypti factum, unde & vel etiam ad hanc uſque diem Sbechie vocatus eſt. Olim in Nili auctione totus ille locus aqua replebatur, obruebaturque, ſupraque ipſam aquam varia & cimbis, & naviculis & aliis modis ludorum genera Rege, atque Principibus Ægypti præſentibus, ac omni turba Cairi urbis, exercebantur. Hoc tempore terra exinde plurimum aucta campus amænus redditus eſt, qui nunc aqua *in Nili augmento haud multum inundatur*, quaque abſorpta menſe quippe Octobri, in eo ſeritur triticum, linum, trifolium, leguminaque, quæ planicies Decembri menſe tota vireſcit, variiſque floribus amæniſſima redditur. Iſtic poſt Nili inundationem in ea terra pinguiſſimo limo à flumine relicto obruta, Cichoreum ita vegetum luxuriare vidimus, ut foliorum amplitudine majori lappæ ſimilis cerneretur, & ipſius radices magnitudine magnum napum æmularentur, quas Turcæ ſaccharo ad uſum ægrotantium condiunt. Eſt etiam locus non tacendus extra Cairi Civitatem ad Orientem in ſolo arenoſo aliquantulum eminente, ubi planities eſt, ut diximus, arenoſa, omnino ſterilis, & nuda, in qua neque ſtirps aliqua, neque domus, vel alicujus habitationis veſtigium uſpiam apparet, neque domus aliqua per milliaria viſitur. Hac via eſt & ad Pyramides, & ad Mumias: de quibus ſequenti capite hiſtoriam texemus. In hac planicie arenoſa, ſterili, & omnino nuda, quadam die conſtituta, ſcilicet à meridie diei Jovis ſeptimanæ ſanctæ ad meridiem uſque Veneris ſanctæ qui iſtuc iverunt, & per totam hanc diem, quip-

pe à meridie diei Jovis ſeptimanæ ſanctæ usque ad Veneris ſanctæ meridiem pernoctarunt, referunt vidiſſe, modo in hac parte illius planiciei repente caput inhumati Cadaveris ſiccati, aut brachium, aut femur, aut totum Cadaver ſupra terram efferri, & poſtea etiam in alio ejusdem planitiei in qua antea nihil viderunt quippiam ſupra terram miraculoſe exiviſſe. Johannes Emus, Patricius Venetus, qui Cairi mercaturæ cauſa tunc agebat, ea communi curioſitate, quæ apud omnes eſt, ſuaſus, illuc, ea die cum aliis profectus eſt, ut hoc miraculum obſervaret, qui cum nihil ſupra eam planiciem antea offendiſſet, paulo poſt repente ſupra terram Caput mulieris ſiccatum capillis vel etiam longis, & multis, non deſtitutum, emicuiſſe vidit, quod caput domum tulit, mihique dono dedit, & non pauci etiam illorum qui una fuerunt, viderunt & ipſi quasdam alias corporis partes ſupra terram elatas. Cophti Chriſtiani inibi viventes hoc miraculum eſſe prædicant, hocque ſingulis annis ea die à multis verè obſervari. Dicunt etiam inibi corpora multa ſanctorum, qui pro Chriſti Fide vitam martyrio finierunt, fuiſſe ſepulta; in ipſorumque ſanctitatem hoc miraculum referunt. Anno MDLXXXIV. Hebraimus Baſſa, Prorex Ægypti, iſtius admirandæ apparitionis fama & ipſe perſuaſus, cum multis aliis Turcis, ut hæc videret, noctem Veneris ſanctæ in ea planicie pernoctavit, qui an ipſe vel alii quidquam viderint certo ſcire tunc haud potui. Cairi innumera viridaria ampliſſima, atque amæniſſima extant, quorum terram aqua irrigant quodam Rotarum artificio, ut etiam alias dictum eſt, quod feſchiè appellant, è ciſterna educta. In his hortis ex arboribus vireſcunt mala citria, aurantia, limonia ſylveſtria, & domeſtica, poma Adami vocata, muſa itidem quæ foliorum viriditate amæniſſima jucundiſſimum aſpectum oculis objectant. Hanc arborem in libro de plantis Ægypti accuratè deſcripſimus, deque ipſis poſterius etiam quædam dicemus: Eſt & Tamariscus domeſticus, paliurus Athenei (napea vocant) vitis, malum Perſicum, Armeniacum, ficus, ſycomorus, Caſſia Cathartica, Liguſtrum Ægyptium, prunus Sebeſtena, palma, acacia, & ex aliis ſtirpibus eſt faba Ægyptia, culcas appellata,

lata, Cucumeres Cathè dicti, melones abdellavi, anguriæ elmaoui vocatæ, faba Ægyptia leguminoſa: Ocymus arboreſcens cariophyllatus, piper longum, juncus, gelſiminus Arabicus, roſa cujuſcumque generis, ſoffera, ſabdariffa, lablab, phaſiolus arboreus niger, rubeus, perennis, bis in anno flores atque ſiliquas ferens. Hæc magna Cairi urbs & tempore, quo in ipſa Medicinæ cauſa moram traxi, erat totius ferè Orientis locorum Emporium celeberrimum, ad quod trium dierum ſpatio ex Sues, & Tor aromata, aliæque magni pretii merces ex India per mare rubrum Navibus allatæ Camelis convehebantur; quæ per Nilum flumen Alexandriam, parvis naviculis itidem conducebantur, quæ & ipſa magnum etiam Mundi Emporium fuit vocata, quo Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania, & cæteræ aliæ Provinciæ Europæ gemmas, nec non eorum, quæ ad rem medicam faciunt, magnam partem accipiunt. At ad Cairum redeo, ad quam urbem omnium aromatum genera ex India, Arabia, & Æthiopia convehuntur. Ex Æthiopia ferunt arenam auream puriſſimam quam mercatores commutant in coralia, ſuccina, vitra, hydrargyrum, atque in pannos lineos. Ex Italia vero, Gallia, Anglia panni lanei, ſericei, ſtamnum, hydrargyrum, ſuccina, coralia, atque arſenicum, quod Ægyptii una cum tritico ſerunt, ne à muribus, quibus omnes agri Ægyptii abundant, triticum abſumatur. Abundat quoque hæc Civitas omnibus ad victum attinentibus, carnibus omnium animalium, & ſylveſtrium, & domeſticorum: ex quadrupedibus habent bufalos, boves, capras, hædos, agnos, verveces, quorum caro ibi majori in pretio eſt quam ſit vitulina, hædinaque, neque id injuria, cum ipſa ſit odoratior cæteris, atque ſuavior, unde medici libentius quam cæteræ alius carnis vervecinæ eſum ægrotis concedere ſolent. Habent ex volatilibus columbas, gallinaſque variorum generum communes noſtratibus, proprias quaſdam magnitudine anſerum, quas Maliffas appellant, quaſdam peregrinas ex Abiſſia convectas (vulgus Gallinas Pharaonis appellat) quæ carnem habent ſuaviſſimam, & optimam; videntur Gallinæ Numidicæ, cognitæ Martiali: ex volatilibus ſylveſtribus illis

non deeſt copia ingens turturum, paſſerum, coturnicum, palumbarum, perdicum, & aliarum avium: Ex aquatilibus ſylveſtribus, dici ſatis non poteſt, cujusque generis quanta copia flumina, & lacus abundent, ut ideò viliſſimo pretio multa ibi ex iis habeantur.

Caput VI.

De Pyramidibus, atque de magno Coloſſo Sphinge vocato.

De Pyramidibus etſi à veteribus multis, & à recentioribus ſufficienter ſcriptum fuerit, tamen & nos quoque quæ de ipſis vidimus, atque obſervavimus paucis hic reſtringenda duximus. Extra Civitatem Cairi quinque milliaribus Italicis ad orientem extant ſomoſiſſimæ Pyramides, tantopere à veteribus inter res maximè admirandas concelebratæ, præſertimque tres, duæ majores fundo lapideo in ſolo arenoſo ſuperſtant, atque altera minor ab ipſis fere milliare diſtat. Ex iis altera quæ grandior eſt primum in itinere offenditur, magnis quidem ex marmorei lapidis glebis quadratis confecta, cujus profecto tanta ſpectantibus moles objicitur, ut ad eam comparandam lapides montium totius ferè Europæ vix ſufficere potuiſſe non pauci exiſtimarunt: unde meritò inter rerum admirandarum maxime admiranda ea à multis comprehenſa eſt, maximum nimirum Ægypti Regum ſuperbiæ, clariſſimumque argumentum, qui haſce ingentes moles pro ſepulchris ſibi ipſis condiderint. Hæc inquam Pyramis mole ampliori, habet altitudinem, ut nos diligenter ſimul cum aliis multis dimenſi ſumus, centum viginti quinque paſſuum, in cujus faſtigio terminat ipſam lapis quadratus latitudinis decem paſſuum, ad quem cum nos per gradus Pyramidis exterius poſitos aſcendendo perveniſſemus, animadvertimus complurium hominum qui quodam tempore illuc venerant nomina ad ipſorum perennem memoriam inſculpta, inter quæ legimus nomen Melchioris Guilandini tempore quo ad

eam Pyramidem viſendam venerat, ſculptura rudi notatum. Totius verò Pyramidis quadraturæ baſis circuitum extitiſſe quingentorum paſſuum deprehendimus, etenim unumquodque latus longitudine erat centum, & quinquaginta paſſuum. Ab ima baſe ad ſummum faſtigium aſcenditur per gradus ex quibus universa eſt compoſita: primum gradum unius paſſus altitudinis, & latitudinis animadvertimus, & ita reliquorum graduum magnitudo reſpondet, ſed quo altius itur, eo aliquantiſper gradus altitudine, & latitudine diminui videntur. At in tam longo ſæculorum tractu in quibusdam Pyramidis partibus, gradus, & ſuperficies quoquo pacto vitium contraxerunt, maximeque in parte ad Auſtrum poſita. Namque in Ægypto muri ædium ab auſtro ita patiuntur, & vitiantur, ut in Italia à ſeptentrione; quod nos non tantùm in Pyramidibus verum eſſe animadvertimus, ſed in univerſa hac Civitate; quæ Bellonius, contrarium ſcribens (quippe Pyramidas in parte ſeptentrioni expoſita aliquid paſſas fuiſſe) conſtruendo illis ex cœlo ſitum fortaſſe deceptus eſt. Sed jam ea quæ intro hanc Pyramidem vidimus, dicamus. Namque nulli viſi fuerunt probè deſcripſiſſe ea, quæ intus ſunt. Unum ſolummodo oſtium hæc per quod pateret ingreſſus ad annum uſque MDLXXXIV. habuit. Quo vero anno Hebraimi Baſſæ, Proregis Ægypti, quadam curioſitate perſuaſi, aut potius à quodam viro Afro pſychomante, nimirum quod intra hanc Pyramidem ditiſſimus Theſaurus contineretur, mandato oſtium ipſius Pyramidis, quod fuerat anguſtiſſimum, & ingreſſum reddebat difficillimum, uſque adeo Pyramidem lacerando, & frangendo ampliatum fuit, ut nunc homo rectus incedens commodè ingredi queat. Decreverat etiam ante, quodam puteo intra Pyramidem poſito, pulvere ignifero oppleto, eam ex toto Pyramidem delere. Sed ille à Georgio Emo, hoc tempore pro Sereniſſimo Dominio Veneto Conſule Illuſtriſſimo, diſſuaſus (quod inquam ſi id feciſſet tota Civitas maximo periculo exponeretur) ſententiam mutavit. At de Pyramidis iſtius ingreſſu jam jam ſermonem inſtituo. Dixi unum quidem ſolummodo Pyramidem juxta baſim in medio lateris oſtium pro ingreſſu habuiſſe, per quod cuique ingreſſus

pateret. Itaque in muro Pyramidis lapideo ad imam baſim penes lateris medium foramen extitit quinque fere paſſibus longum trumbæ quadrilateræ ſimile, foris ore ampliori, latiorivè, & intus anguſtiori rotundo. Ex latitudine ampla ſenſim, ac ſenſim ita in magnam & declivem anguſtiam hoc oſtium deſinebat, atque ita os internum iſtiusce foramins parvum, anguſtumque reddebatur, per quod homo humi in ventrem procumbens ſerpentis modo perreptando vix ingredi poterat, ingreſſusque intus, quendam locum ſpacioſum offendit, in quo ad dextram puteus eſt ſatis anguſtus ferè ſemper arena, lapidibusque obturatus, cujus profecto putei ex veteribus vel etiam Plinius meminit; At poſtquam in hunc locum venimus, paululum ſupra aſcendimus, veluti in quendam alium planum locum, à quo incipit ſcala lata ex lapidibus maxime perpolitis, ſplendentibusque, tecto alto rotundo ex iisdem lapidibus itidem ſplendentibus magno artificio elaborato, atque ita, ut lapidum commiſſuræ vix appareant: pavimentum quoque lapideum perpolitum apparet absque gradibus, unde aſcendendo coacti fuimus ad quædam podia inſtar cornicum parvarum lapidearum utrinque poſita ex intervallis quosdam meatus habentia manu eos meatus apprehendo altius aſcendere. Hæc ſcala rectiſſimè aſcendit, longiorque erat quam quæ in Venetis Palatiis obſervantur. Quem aſcenſum poſtquam abſolvimus, viam quadratam marmoream humilem longiſſimamque, ſcilicet quindecim, aut viginti paſſibus per quam curvato corpore ire cogebamur, qua finita, alteram ſcalam priori omnino ſimilem aſcendere fuit opus, & poſt ipſam, alia via quadrata priori omnino ſimili, tranſivimus, & in quandam cellulam quadratam oſtium apertum habentem pervenimus, cujus tectum ex quinque integris lapidibus conſtabat, ſupradicto modo, & perpolitis, & mira arte conjunctis, in ea cubiculi, ſeu cameræ parte illius quæ juxta parietem erat qui nobis oſtium ingredientibus objiciebatur, extabat veluti arca longa ex marmore ophyti nigreſcente confecta, ſine operculo longitudine pedum XII., & altitudine, & latitudine itidem pedum V. Parietes iſtius Arcæ marmoreæ erant uſque adeo tenues ſive ſubtiles, ut exinde aliqui

ex

ex noſtris dubitaverint an eſſent marmorei, vel potius illud ſepulchrum fuerit non ex lapide, at potius ex quadam maſſa, ſeu materia qua marmorei lapides nobiliſſimi adulterari ſolent. A noſtris ea percuſſa, ſonum inſtar Campanæ edidit. Addo ad hoc cubiculum luminis quoddam ſpiraculum pervenire. Nos vero omnes illas partes internas Pyramidis accenſis luminibus perluſtravimus. Contigit tamen quendam juvenem Gallum, qui una nobiſcum ad viſendam Pyramidem venerat, cum ultimam ſcalam deſcendendo, & manus podiorum ad meatum quendam adhibendo ſerpentem offendiſſet, ejus timore cum podium relinqueret, per pavimentum ex tota ſcala decidiſſe, non abſque multo timore, & ſui corporis damno. Hæcque fuerunt intus hanc majorem Pyramidem à nobis obſervata. At unum ad majorem quoque iſtiusce Pyramidis præſtantiam, atque admirationem habendam haud tacendum duximus, ſcilicet de Puteo, quem ſtatim Pyramidem ingreſſi offendimus, quem paſſus LXX. deſcendere certo deprehendimus, quemque nihil aquæ habere itidem comperimus; dicamque quomodo illud cognoviſſe nobis contigerit. Venerat tum temporis in Ægyptum ex monte Libano vocato Reverendus frater Ordinis Prædicatorum Paulus Bigi (ut audio Janenſis) vir ſane in omni diſciplinarum genere eruditiſſimus, præſertimque in Mathematicis, & in rebus Mechanicis: ex horologiis æneis ſpheram ipſe confecerat, in qua omnes cœli ſpherarum omnium motus, præſertimque errantium ſyderum rectiſſimè obſervabantur. Quo etiam artificio Cairi ad Aſſan Ægypti Proregem naviculam parvam auream fecerat, quæ horologiorum, ut dixi, opera, omnes motus cujuslibet navis ſpontè obibat, nobisque primum, cum fuiſſet abſoluta, eam oſtendit, ipſa enim ſpontè ante, retroque, & in girum movebatur, in ipſa vela expandebantur, atque claudebantur, anchoræ extrahebantur, ænea tormenta ſpontè explodebantur, tubicinarum ſoni audiebantur, & reliqua ſingula faciebat, quæ in navibus fieri ſolent. Erat itaque hic vir eo ingenio præditus, ut omnia diligentius cæteris rimaretur, qui cum forte nobiscum unâ ad Pyramides obſervandas quadam die venerat, ſingulaque intra Pyramidem

poſita

poſita eam ingreſſus diligentius conſideraſſet, in eam venit ſententiam, ut Pyramis tam profunda eſſet, quàm ſupra terram extare videbatur, ſuſpicatusque eſt, illum puteum, non ad aquam excipiendam, at ut eſſet via potius ad infernas partes Pyramidis adeundas factum fuiſſe, cujus rei veritatem, ut cognoſceret, à ruſticis putei foramen, ſeu meatus, terra, lapidibusque obturatus, ut mundaretur, cavitasque pervia, ac libera redderetur, omnino nullis ſumptibus parcendo, curavit, & poſtea per funem longiſſimum intro inditum, & ipſe, & alii, & ego unà deſcendimus paſſus usque ſeptuaginta, & magna etiam commoditate, cum utrinque putei meatus haberet quosdam lapides eminentes veluti podia, quibus facilis etiam, & tutus deſcenſus reddebatur: poſtquam deſcendimus paſſus (ut diximus) LXX. duas vias quadratas iis, quæ in Pyramidis ſupernis partibus offendimus, invenimus ſimul conjunctas in loco vacuo ad quem puteus pervenit, quarum altera ad Sphyngem lapideam, atque altera ad alteram Pyramidem, ad quam nullus patet ingreſſus, ducebat, ad quas inquam profecti eſſemus, ni vias à lapidibus qui deciderant obturatas offendiſſemus, ſimilesque futuræ ruinæ nobis timorem magnum etiam injeciſſent. Quare hic puteus non ob aquam olim operi ſuppeditandam, ut falsò Bellonius credidit, fuit extructus, at ut eſſet via ad viſendam & Sphyngem illam magnam lapideam, non longe ab hac Pyramide poſitam, atque alteram Pyramidem, quam Reginæ ſepulturam vocant, ad quam introeundam exterius nullus patet aditus. Tam longum illiuſce putei deſcenſum vel etiam Plinius meminit, quem expreſſit eſſe LXXXVI. cubitorum, cujus teſtimonio fiſus Paulus Bigi ipſius totum deſcenſum rimari voluit. Jacobus Manus Salodienſis, Medicus eruditus, ex quo nos multa de rebus Ægypti audivimus & accepimus, aliquando de Pyramidibus inquit. „Cum multi anno „MDLXXVII. tam Veneti quam alii aliarum Nationum ad Py„ramides veniſſent, oſtiumque, quo ad majorem Pyramidem pa„tet ingreſſus, ab arenoſa terra, qua fere ſemper clauſum eſt, „ruſticorum (quos Bedovi vocant) opera minus probè mundaſ„ſent, atque complures ingreſſi eſſent, redeuntesque denuo

„oſtium

„ oſtium arena fere obſtructum cum offendiſſent omnes egre-
„ di nequiſſe, ſed duos ex iis ibi pernoctare coactos fuiſſe,
„ quorum alter Venetus, & alter Siculus erat, neque iſtac die
„ oſtium aperiri potuit, nocte enim adventante, cum longè
„ ab urbe abeſſent, Arabum metu in urbem redire, ſocios-
„ que ibi noctu relinquere fuit neceſſe, quos tamen non citra
„ laborem ſequenti die ſanos eduxerunt, qui ſe à noctuis,
„ aliisque volucribus, veſpertilionibusque tota ea nocte valde
„ laboraſſe retulerunt.„ Sequitur altera Pyramis quæ priori paulo minor viſa eſt, jactu lapidis diſſita, de qua nihil aliud dicemus, quam ipſam exterius gradus per quos fiat aſcenſus nullos habere; quinimo latera ſingula marmorea plana, perpolitaque in ea obſervari, nullumque oſtium exterius hucusque in ea fuiſſe cognitum per quod aliquis ingreſſus pateret. Unde cum ſepulchrum vel Regis alicujus, vel, ut multi exiſtimant, Reginæ cujuspiam extiterit, quod ſane ab omnibus Ægyptiis verè creditum eſt, credibile itidem videtur, ut per majorem Pyramidem intra ipſam fuerit ingreſſus, quippe, ut à Reverendo Bigi primum ſuſpicatum, cognitumque fuiſſe nuper narravimus, per puteum, atque per vias quadratas à profundo putei incipientes, quarum alteram ad Sphyngem proximam, alteramque ad hanc Pyramidem pervenire ex pyxide navigatoria certo deprehendimus. Tertia, longe minor, itidem deprehenſa eſt undique clauſa, nullisque gradibus exterius exornata. Longe plures, & in hac eadem planicie, aliæ Pyramides parvæ, & in aliis Ægypti locis extant, de quibus, cum illas non viderimus, nihil dicemus, uno excepto, quod omnes ſint mortuorum ſepulturæ. Sed tandem ad magnum illum Coloſſum, Sphingem vocatum, prope primam Pyramidem, ex maximo, integroque lapide extructum, venimus. Hoc quidem maximum ſaxum eſt marmoreum, in quo ingens quædam facies, latiſſimaque, Cairum ſpectans, maximo ſane artificio in omnibus partibus ſculpta viſitur, namque ipſius mentum, os, naſus, oculi, frons, auresque ex artis ſculpturâ magno judicio exſculpta videntur: nullum in ipſo lapide apparet oſtium per quod ingredi intus queas, at credibile eſt, ut & à nobis di-

ctum etiam fuit, ipſum Coloſſum per majorem Pyramidem proximam habuiſſe ingreſſum: credibile quoque eſt ipſam Sphingem, cum olim reſponſa daret, intus loca vacua habuiſſe, ad quæ ſacerdotes ingrederentur, ut reſponſa Sphingis vice ſupplere poſſent.

Caput VII.

De conditis Ægyptiorum corporibus, quæ Mumias vulgus appellat, deque ipſorum ſepulchris.

Credunt Ægyptii, & meritò quidem, Pyramidum uſum ad ſepelienda, vel conſervanda condita cadavera, ſepulchris vulgo vocatis multo antiquiorem eſſe. Unde & aliud (quod Ægyptiis multis creditum eſt) haud injuria itidem credi poterit, quippe totam illam planiciem in qua & Pyramides, & ſepulturæ intus in lapides excavatæ cernuntur, fuiſſe montes marmoreos, ex quorum lapidibus (etſi hi ſoli lapides ad illas ingentes Pyramidum moles extruendas minimè ſuffecerint) ex parte Pyramides illas extructas fuiſſe, quæ veritas hac una conjectura facile confirmabitur, ſcilicet quod tota illa planicies decem, & plurium etiam milliarium ſpacio contenta, quæ videtur arenoſa, ſit lapidea, non ſpontè à natura, ſed ab arte, ſculptura ſcilicet, elaborata, atque etiam, quod lapideis montibus ſit contermina. Itaque poſt uſum Pyramidum pro ſepulchris, qui fuit olim Regum, Principum, & Magnatum, invaluiſſe poſtea uſum conſervandi condita cadavera in quibusdam cubiculis intra hanc ſaxeam planiciem excavatis, ſeu in parvis quibusdam cellulis lapideis exſculptis. Itaque ſepulchra illa innumera fere in ea planicie ad hanc usque diem integra ſervata offenduntur, atque, ut fuit veterum Ægyptiorum erga parentes, & amicos amor, atque humanitas benevola, ita curarunt, operamque dederunt, ut quemadmodum dum viverent, ſimul eſſe gaudebant, ita poſt mortem non minus usque ad reſurrectionem mortuorum ſimul, unde pa-


1
2
3
4
4
4
3
3
3
3

parentes ad ſepelienda ipſorum cadavera cellulas in lapide marmoreo excavatas fieri curabant, quæ amicorum itidem ſepulchris conjunctæ eſſent, & oſtium etiam habebant, per quod ex una in aliam ingreſſus pateret. Curabant ſanè ut in ipſis ad latera in loco eminenti reponerentur cadavera patrum familiæ, ſcilicet mariti, uxoris, filiorum: & mancipia, ſervique conditi humi ſtrati procumbebant, unus ſupra alium, adeo ut in ipſis parvis cubiculis in lapide excavatis fere omnibus quæ vidimus circa ipſarum parietes nobilium cadavera condita in loco eminenti ſpectentur, compluriumque etiam nobilium & pictæ figuræ ex ligno parietibus affixæ pendebant, atque etiam ex gypſo quorundam imagines confectæ, præſertimque mulierum ex pictura coloratæ, habentes ſicas parvas auratas, Ægyptiis quibuſdam antiquis characteribus inſignitæ. Dominicus à Rege, qui triginta, & plures quoque annos pro Veneta natione Pharmacopæam, & Chirurgiam Cairi fecerat, ex Ægypto proximis annis Venetias reverſus, complura & virorum, & mulierum defunctarum ſimulacra & ex ligno, & ex gypſo cum ſuis coloribus accuratè configurata, & picturis variis, pulcherrimiſque ornata, Venetias tulit, quas cuidam antiquario cum multis aliis antiquitatis monumentis vendidit. Innumera intra eam lapideam planiciem cubicula concamerata extant, alia rotundæ, alia quadratæ figuræ, cadaveribus medicatis plena. Ingrediebamur intra ſepulchrum unum per meatum rotundum deſcendentes, atque ex uno cubiculo per internum itidem foramen rotundum in alterum tranſivimus, & ex his in alia numero ferè infinita. Non ſatis certè hactenus veterum Ægyptiorum ſapientiam in ſuis cadaveribus in hiſce ſepulchris perpetuò conſervandis video ab aliquo, ut res ipſa expoſceret, fuiſſe debitis laudibus concelebratam. Eam gentem apud quam olim ille ſepeliendi mortuos modus fuit familiaris, Idololatram extitiſſe, facili, certaque conjectura aſſequimur, quod ſingula cadavera medicata, Mumiæ vulgo vocata, intus contineant aliquod Idolum, aut vitreum, aut lapideum, aut æneum, quæ * Idola in ipſis vario-

* Vide TAB. I. Num. 2. & 3.

riorum generum eſſe deprehendimus; nos ex communibus plura habemus intra illorum corpora inventa, hæcque quadantenus in facie, & capite humanam, muliebremque figuram repreſentant, quædam figuras ignotas, quæ bruta animalia ex inſectis quæpiam eſſe conſtat. Nos intra quoddam medicatum cadaver invenimus ſcarabæum magnum ex lapide marmoreo efformatum, quod intra pectus cum libanotidis coronarii ramis colligatum, fuerat repoſitum. Incredibile dictu, rami rorismarini, qui una cum idolo inventi fuerunt, folia usque adeo viridia, & recentia viſa fuerunt, ut ea die à planta decerpti, & poſiti apparuerint. Quæ cadavera ſpacio ad minus duorum millium annorum incorrupta, integraque fuere in hisce ſepulcris conſervata, & duratura quoque in perpetuum ſunt. Sed unum non eſt omittendum, ſcilicet quibus hæc corpora perpetuò duratura olim Ægyptii condire conſueverint; de qua re opinionem vulgarem fuiſſe conſtat, ut compoſitum medicamentum quo condiebantur cadavera, ex myrrha, aloë, croco, opobalſamoque eſſet, quam fortè ſententiam ſecutus eſt Serapio, qui inquit. Mumiam ſepulchrorum eſſe myrrham, aloëmque cum eo quod admiſcetur iis de humiditate corporis humani. Strabo inquit, bitumen Judaicum olim uſum habuiſſe ad tuenda hominum cadavera. Dioſcorides vero, Galenus, Diodorusque Siculus, atque alii ex veteribus cedriam fuiſſe aptiſſimam ad cadavera conſervanda tradiderunt. Petrus Bellonius credidit biſſaſphalto omnia Ægyptiorum condita corpora fuiſſe, à qua opinione non judico eſſe diſcedendum, cum Mumia, quæ extrahitur ex conditis, ſeu medicatis illis cadaveribus, nihil aliud eſſe videatur ex colore nigro ſplendente, odore, & quadantenus etiam ſapore quam biſſaſphaltum. Non tamen negandum in quibusdam nobilium cadaveribus præter biſſaſphaltum, fortaſſe fuiſſe additam myrrham, aloëm, crocum ad odorem, & in aliquibus opobalſamum. Sed ut ingenuè fatear veritatem, nos in Mumia nobilium cadaverum quæ ex locis eminentibus concameratorum illorum ſepulchrorum, aliis humi ſtratis ſuperſtantia, & ſublimius poſita dignoſcuntur, & in illa plebeorum, & pauperum humi ſtratorum, nullam manifeſtam

nifeſtam differentiam, tametſi id diligentius fuerimus perſcrutati, ex colore, ſapore, & odore obſervare potuimus. Cedria vero ea corpora non fuiſſe condita, color, atque odor ſatis teſtari videntur, cum cedria non ſit coloris bituminis, neque odoris, neque vel etiam ſaporis. Ignoramus etiam unde tanta cedriæ copia, quæ ſuffecerit ad omnia Ægyptiorum cadavera condienda, fuerit illis ſuppeditata. Sed de hac re, aliorum quoque eſto judicium, hæc enim obiter dixiſſe voluimus, demum unum aliud quoque duximus animadvertendum, ſcilicet, Mumias antiquorum non fuiſſe corpora Ægyptiorum, Arabumque quovis modo ſiccata; maximeque quæ in deſerto ab arena ſuffocata interierunt, ſiquidem complura in arena quod ſit nitroſæ facultatis quotidie ita exſiccata obſervantur, ut perpetuo, ſi in loco idoneo conſervarentur, duratura, perinde atque illa quæ medicamentis condita in ſepulcris conſervantur, forent. Multis in locis in Ægypto propter ſolum nitroſum, & arenoſum, corpora quæ in eo ſolo ſepeliuntur in Mumias ſiccantur, ex quibus omnes illos qui iſtorum corporum ſiccatorum carnem ſiccatam accipiunt pro Mumia, ſatis errare liquidò conſtabit. Hic addo ex Diodoro Siculo, Ægyptiorum uſum ad ſepelienda cadavera; quippe ea domi plures dies ſervata, poſtea à Memphi per lacum naviculis ad ſepulcra, quæ X. milliarium ſpacio diſtant, deducere fuiſſe ſolitum: Ex quo Græci finxerunt animas mortuorum à Charonte per naviculam paludem Stygiam transvehi, ut ad campos Eliſios deducerentur. Quod ſi verum eſſet, nos quoque lacum Stygium pertranſiiſſe ad Mumias ſæpe profectos haud dubitandum erit.

CAPUT VIII.

De Raſſit, atque Damiata Ægypti nunc Urbibus.

Raſſit eſt oppidum ad oſtium Nili Canopicum, ab antiquis Canopus dictum, ab oſtio per quod Nilus in mare Ægyptium exoneratur quinque milliaribus diſtans. Alexandria per

diem terreſtri itinere ad hanc urbem itur, quæ omnium rerum ad victum attinentium eſt opulentiſſima: ab hac trium dierum ſpacio per Nilum flumen navigant: Locus eſt viridariis multis adprimè amænus. Ex Civitate Cairi in Damiatam, olim Peluſium vocatam, quatuor diebus per alterum ramum Nili cum illo qui ducit Raſſit, atque cum mare Ægyptio, Deltam inſulam conſtituente, parva navicula pervenimus, atque eundo ſupra flumen coacti fuimus cum latronibus pugnare, quam ob cauſam itinera in Ægypto ſolent eſſe periculoſiſſima. Dum per Nilum navigaremus vidimus planiciem fertiliſſimam, atque amæniſſimam utrinque à natura factam, & quo proprius Damiatæ appropinquaremus, multo amænior viſa eſt, quoniam plus ea pars Ægypti, quod ſit aliis humilior, à flumine, & commodius irrigetur. Parva Civitas eſt, intus ſatis indecora, quæ villam potius æmuletur, opaca, immundaque eſt: portum in oſtio Peluſiaco haud multum diſtantem habet opportuniſſimum, ad quem naves multæ è Hieroſolyma, Syria, Cypro, Creta, & ex aliis locis navigant, quæ piſcibus ſalitis onerantur. Juxta hanc urbem in Nilo ranas, quæ pauciſſimæ ſunt, luteique ferè coloris, offendimus, quas nusquam in alio Nili loco nos audiveramus. Loca extra urbem poſita nobis amæniora viſa ſunt quàm alia in Ægypto videre potuerimus; neque alia ratione id evenire putamus, quam quod habeat ſolum demiſſius, majori fluminis aquæ, quæ ibi copioſior abundat, inrigatione foveatur. Nuſquam viridaria neque numeroſiora, neque pulchriora, fæcundioraque in Ægypto viſuntur, quæ effoſſis ab canalibus circumdantur (perinde ac agri in Italia) Nili aqua plenis, in quorum ſuperciliis Caſſiæ arbores, inſtar nucum juglandium in agro Patavino virentium, pro vitium ſuſtentatione habent; unde caſſiarum racemoſi flores multi aurei coloris in vitium foliorum amæniſſimo colore expanſi, miſtique aſpectum reddunt jucundiſſimum. Hæc viridaria abundant muſis copioſioribus, iisdemque vegetioribus pulchrioribus que ad arborum altitudinem, & caudicis craſſitiem accedentibus quam alibi viderimus; malis itidem citriis, aurantiis, limonibus, liguſtris Ægyptiis, paliuris, atque aliis ſtirpibus,

quæ

quæ ſingula ſimul mixta aſpectum in ipſis viridariis reddunt jucundiſſimum, atque amæniſſimum. Via eſt lata ab hac Civitate juxta Nilum flumen quo Damiata itur ad Villam Menzelavi vocatam, foſſis latis aqua plenis, agris, viridariisque interſtincta, quod eſt ita in Ægypto rarum, ut nullibi alias inveniri queat, quando in hac regione vel campi ſint, vel arena, vel flumen, ita ut nullæ viæ in tota Ægypto exiſtant, cumque in ea via ambularem, videbar mihi eſſe juxta Patavium, in via qua itur ad Reverendos Capucinos per locum Vantium nuncupatum.

CAPUT IX.

De Calice in Templis, domibusque Ægypti picto, atque de ejus hiſtoria.

Nullum Templum, nullaque domus ferè in Ægypto reperitur, maxime vero in Cairi civitate, quæ multis in locis pictum vel inſculptum † calicem cum hoſtia, & duabus tedis utrinque non habeat. In Syria quoque iidem calices picti in multis locis reperiuntur, qui cum Syria ſub Ægypto eſſet, etiam iſthic obſervari cæperunt, quod in Federici Imperatoris ab Rege Ægypti capti memoriam fieri aſſerunt. Inquiunt enim illum Imperatorem, Hieroſolymam ex Mahometanorum dominio liberare cupientem, per ſe ipſum primum eam Ægypti regionem explorare voluiſſe, ut vires tanti Regis Ægyptii, cujus imperio tota Hieroſolyma ſtabat, ejusque potentiam oculatius cognoſcere poſſet: de qua re Alexandrum Tertium Pontificem maximum conſuluiſſe, eique ſoli ipſius deſiderium, inſtitutumque aperuiſſe: illud Pontifice annuente, laudanteque, iter aggreſſum fuiſſe. Quæ tamen omnia quidam à ſecretis Pontificis, Imperatoris odio, ementita ipſius Pontificis manu, & ſigillo ipſius, Ægyptio Regi ſcripſit, eoque Chriſtianorum Imperatorem iturum ſignificavit, ut Ægypti opes, & ſtatum perſonatim cognoſcat, quod Hieroſolymam expugna-

† Vide TAB. I. Num. 4.

gnaturus eſſet, ſignaque præcipua quibus Imperatorem recognoſceret addidit; Quæ omnia Rex Ægyptius libentiſſimè audivit, continuoque cuſtodes poſuit in locis omnibus maritimis ad quæ Naves feruntur; ipſisque imperavit, ut omnes qui ad ea loca pervenerint, ad ſe ducerent. Nec multo poſt Imperator cum ſacerdote appulit ad Ægypti portum, qui ad Ægyptium Regem adductus, probeque ex ſignis recognitus, accuratiſſimeque inrerrogatus, quis eſſet, quamobrem Ægyptum adiiſſet. Ad quem Imperator cum reſpondiſſet, ſe eſſe hominem Germanum, qui cuperet ſanctiſſima loca in Hieroſolyma, & videre & adorare. Ægyptius Rex tunc dixit: Non me latet te Imperatorem Romanum Chriſtianorum eſſe, teque huc veniſſe, ut hæc regna mea videres, atque deinde ipſa bello invaderes: quod cum firmiter negaſſet, ei literas, quas falſo à Pontifice acceptas credebat, oſtendit: quibus lectis, dum annulum Piſcatoris; ementitamque Pontificis ſubſcriptionem intueretur Imperator, obmutuit, & quid amplius reſponderet, ut iterum in negatione conſtanter perſeveraret, non habebat, eaque literarum viſione victus, perſuaſusque, ſuum ſecretum inſtitutum Ægyptio Regi à Pontifice proditum fuiſſe, apertè Imperatorem ſe eſſe, faſſus eſt; illuc verò minime veniſſe exploratorem affirmavit; ſed ut ſanctiſſimum Chriſti ſepulcrum inviſeret, ac adoraret: at per Ægyptum viam, iterve ea præſertim cauſa tenuiſſe, ut oculis uſurparet, quæ de illius Regni potentia, atque Regis optima moderatione audierat, miraque quæ in eo Regno eſſe fama erat, conſpiceret, cognoſceretque. Verum multis inter ipſos dictis, adductisque, in eam ſententiam Ægyptius Rex adductus eſt, ut tantum Imperatorem honorificentiſſime exciperet, atque ut totum Ægypti Regnum liberè inviſeret, ſi vellet, conceſſit. Neque enim, inquit, veſtra arma timeo, licet aliis Regibus iſtud non placeret; quippè hoſtilem Regem ſua Regna, potentiamque explorare. Imperator per multos dies in Ægypto moram traxit, perpetuò magno honore ab Ægyptio Rege affectus, cumque vidiſſet tanti Regni, Regiſque opes, magnificentiamque, à Rege facultatem petiit Hieroſolymam verſus proficiſcendi, ad

ſuos.

ſuosque redeundi, quod ut facilius obtineret, ſe illi eam auri ſummam daturum promiſit; qua capti Imperatores redimuntur. Quam rem ut libentius (ſubdidit) mihi concedas, tibi pignus relinquam, quo mihi nihil carius, neque in terra, neque in cælo eſt. Ægyptius conditionem accepit, cui Imperator Calicem, ſacroſanctam ſynaxim in arcula clauſam cum duabus accenſis tedis una cum ſacerdote cuſtode reliquit. Verum enim vero poſt multum tempus Ægyptius Rex, quid Imperator pro pignore ſibi reliquerit ſciendi avidus, arculam aperiri juſſit, in ipſaque invenit Calicem cum hoſtia & duabus parvis tedis accenſis, tot diebus minimè conſumptis. Quæ res omnibus fuit plurimum & admirata, & concelebrata: atque exinde cæperunt omnes Ægyptii Calicem cum hoſtia, & duabus tedis accenſis foris in parietibus atque in Templis, ac ædibus depingere, vel ſculpere, deincepsque noſtros ſacerdotes ſummè venerari. • Imperator locis ſanctis Hieroſolymæ viſitatis, *eaque ſumme veneratus*, domum reverſus, inſignem auri *copiam, atque longè majorem quam ei promiſerat*, muneraque tanto Imperatore digna ad Regem miſit, arculamque cum cuſtode recepit. Poſteaque eò ipſius ira odiumque adverſus Pontificem venit, ut ipſi bellum inferret, quem ſui proditorem crederet; quod magnis collectis copiis fecit, ipſumque Roma fugere coëgit. Cumque Pontifex Venetiis (ubi diu in Cœnobio latuerat) recognitus eſſet, à Senatu ſummis honoribus ſuſceptus, affectusque fuit. Quod cum Imperatori innotuiſſet, claſſem contra Venetos miſit, Othone filio duce, qui quamvis viribus Venetis longè ſuperior eſſet, tamen ejus providentia, quæ innocentiores ſemper defendit, à Venetis ſuperatus, Venetique Senatus opera proditore cognito, Pontifex innocens in ſuum locum magno honore reſtituitur. Hæc eſt hiſtoria Calicis, qui cum duabus tedis accenſis multis in locis pictus, ſculptusve, etiam hac noſtra ætate ſpectatur. De qua hiſtoria illud unum Ægyptiis credendum duco, quippe Regem quempiam, fortaſſe Ludovicum V. non Imperatorem ſed (Galliarum Regem) in Ægyptum profectum ab Ægyptio Rege captum fuiſſe, illique pro pignore relictam Arculam ha-

bentem calicem cum hoſtia, & duabus tedis. Quod vero Federicus primus Imperator, Barbaroſſa vocatus, fuerit ille, qui in Ægyptum fuerit profectus, & captus, & reliquerit pro pignore eam arculam, plane ab omni hiſtoriarum veritate abhorrere videtur, cum nusquam legatur ipſum iviſſe in Ægyptum. Neque verum eſt ipſum, Alexandrum Pontificem de ea in Ægyptum profectione conſuluiſſe, etenim omnium hiſtoriographorum firmiſſimo teſtimonio conſtat, Federicum odio habere cœpiſſe Alexandrum ſummum Pontificem, quam primum ipſe fuerit in Pontificatu electus, qua de cauſa duos Antipapas Imperator contra ipſum ſubſtituit, eosque defendit: nunquam verò conſtat Pontificem hunc fuiſſe allocutum, niſi poſteaquam Pontifici Venetiis fuit reconciliatus, & Pontifex in locum reſtitutus. Credo equidem aliquibus dicentibus in Ægypto ab Ægyptio Rege eo modo quo de Federico Imperatore dictum eſt, captum fuiſſe quendam Galliarum Regem, in quem hiſtoria Calicis, & non in Imperatorem conſultius erit referenda.

CAPUT X.

De Ægypti gubernatione, atque de Turcis qui præſunt Ægyptio Regno.

Quemadmodum olim Ægyptus optimè regebatur, triplexque gentis genus antiquitus hanc Provinciam habitabat, ita nunc fere itidem obſervatur, quippe ut una pars iſtiusce gentis milites ſint, altera ſacerdotes, tertia agricolæ, atque coloni. Etenim Turcarum Reges provinciam quam bello ceperint, populumque quem ſubegerint, ſuoque imperio adjunxerint, propriis legibus, ut vivant permittunt, niſi aliquam defectionem, aut tumultuationem ipſum feciſſe præſenſerint. Quod quidem, & in omnibus locis, maximeque in Ægypto obſervatur, ubi adhuc horrea ſervantur, quæ ſanctus Joſeph inſtituit, legesque quas publicavit in agrorum diviſione (quos fame ingruente ab Ægyptiis ſuo Regi emit) poſteaquam illis

illis illos reddidit, ea tamen lege ut quintam frugum partem quotannis Regi darent, quatuor partibus pro ſe ipſis reſervatis, & pro ſemine, & pro familiarum nutrimento. Quæ conſuetudo inviolabiliter ab Ægyptiis Regibus fuit obſervata, quoad in Turcarum ditionem redacti ſunt, ſub quibus non minus eadem ferè aliquantiſper mutata ſervari conſtat. Horreis quidam præficitur, qui decem aureorum millia in annum quæſtum facit; ſervans etiamnum legem quam Amaſim Regem (auctore Herodoto) tuliſſe ferunt, quippe ut ſinguli quotannis apud Nomarchen, hoc eſt Præſidem, oſtenderent unde viverent, & qui hoc non faceret, aut genus vitæ Præſidi approbare non poſſet, huic pœna extremum ſupplicium eſſet. At verò qui hac ætate vitæ genus probare nequeunt, inter fures recenſentur, ſicque morte puniuntur. Hanc legem ab Ægyptiis Solon, Græcorum ſapientiſſimus, ad Athenienſes, ut creditur, detulit: hanc & Areopagitæ, ut Athenæus refert, ſua in ditione exercuere. Eandem propemodum adminiſtrandi rationem nunc in *Ægypto Mauri* ſervare videntur, quæ ſub Auguſto, & Tiberio Imperatoribus ſervabatur, quippè ut Prorex eſſet qui totius Ægypti curam haberet, hunc Baſſa nuncupant, cui annuum ſtipendium à Turcarum Imperatore conſtitutum eſt ad centum, & viginti *millia* aureorum. Deinde eſt qui Græcis Dicæodotes, Ægyptiis Cadi nominatus, in cujus poteſtate eſt hominum lites atque controverſias judicare, ac dirimere: Sunt & alii duo, unus Baitelmal, qui à Romanis Rationalis dicitur, earum inquam rerum indagator, qui aſſertorem non habent, atque eorum non minus quæ in Regem recidunt, quæ fisco ſcilicet obveniunt, non ærario. Alter eſt Quæſtor, quem Deſterdar vocant. Quo facile crediderim hos omnes ordines ex Romanis ad Mauros defluxiſſe. Sunt & in Ægypto viginti quatuor militum duces, quorum quisque ſtipendium habet quatuor ad minus aureorum millia in annum. Hos Sangiach nuncupant, ſunt & quatuor his inferiores, quorum duo militibus equeſtribus præſunt, duo vero pedeſtribus, hos Aga dicunt, & equeſtres milites Spahi appellant. At pedeſtres duplici nomine di-

cuntur, quippe Giannizari, & Aſap. Hi ſtipendium minus habent, illi vero majus, iique Giannizari ſunt, qui domi, & foris Regem cuſtodiunt, ut plurimum ex Græcis oriundi, ex quorum filiis ſingulis annis partem decimam Turca accipit. Horum quatuor ducum unusquisque ad duorum millia aureorum in annum habet. Sunt & Cairi ſexcenti milites ab iis Chiavus nuncupati, qui gradus militiæ ſicuti ducibus illis quatuor, eſt dignitate inferior, atque ſtipendio, ſic milites equeſtres, & pedeſtres idem antecedit. His Rex utitur in legationibus; ii ſunt curſores, & tabellarii. At cum tabellarios meminerimus; non poſſum non recenſere antiquiſſimam & memoratione dignam Ægyptiorum conſuetudinem, quam & adhuc ſervant, nimirum de Columba, qua utuntur tabellarii loco. Etenim & Cairi in Arcis quadam turri Columbas alunt, &, in loco ad quem trium dierum ſpatio tabellarii perveniunt, non minori diligentia, ſeparantque has quæ ſe mutuo diligunt; quippè mares à fœminis, ita ut mas ad unum locum portetur, & in alterum fæmina, quæque ita aſſuefiunt, ut ſi relinquatur fæmina, ſtatim volet ad turrim in qua eſt mas, quem diligit; ſi vero in altera turri ab ipſa dilectus mas relinquatur, ſive ſolus è turri excludatur, continuò ad locum in quo adeſt dilecta ejus uxor citiſſimè convolat. Hoc modo Columbis multis aſſuefactis, tabellarii loco utuntur. Siquidem cum ad locum à Cairo diſtans trium dierum ſpacio, in quo Columbæ intus clauſæ, & ſeparatæ à ſuis maribus conſervantur, aliquis Tabellarius pervenerit, ſtatim qui loco præeſt ſchedulam parvam ſub ala unius Columbæ colligat, veniſſeque tabellarium Proregi in ea nunciat, columbaque dimiſſa, illicò ad Turrim alteram, ubi eſt quem amat, evolat, ſicque Tabellarii adventus ſemper prænunciatur, raroque Proreges imparati offenduntur. Sunt etiam in ea civitate quatuorcentum alii milites ſuperiores proximè enumeratis, quos Mutafarracha nuncupant, gradusque ipſorum eſt honeſtiſſimus, hique ſunt ab omni onere immunes, neque ad bellum, neque alio proficiſci tenentur, niſi eò & Rex ſimul ſe conferat. Nec ſolummodo ad bellnm Regem euntem concomitantur, ſed & quocumque Rex ſe contulerit.

lerit eò & ipſi concedant. Sunt in Ægypto & alii militum, ducumque gradus, quos nunc recenſere non eſt hujus loci, quos omnes Ægyptus breviſſimo tempore locupletat. Unde non parvum fit certamen *inter* Turcarum Imperatoris Servos, uti iis Cairus contingat, multique ideo ſunt, qui ut Cairo præficiantur, Imperatori centum mille aureos perſolvant, duoque loca præcipuè ambiunt Turcæ, Ægyptum, & Græciæ præfecturam; nec Ægyptum immeritò: Etenim is, qui ejus Provinciæ Præfectus deſignatur, antequam Cairi urbem ingrediatur, munera, & honoraria ad centum aureorum millia recipit, quæ habet & ab eo qui Alexandriæ Diarchiæ præeſt, & ab iis qui præſunt Ægypti Provinciis, quas Nilus utrimque, ſcilicet dextrorſum, & ſiniſtrorſum efficit. Et quamvis Prorex, ſive Præfectus, quadringentos homines ſuo ſumptu alat, eisque ex ſuo ſtipendia tribuat, prætermiſſis aliis ſumptibus, qui maximi ſunt, tribus tantum annis ordinariè quatuorcentum millia aureorum quæſtum facit. At quid dixi ordinarie quatuorcentum *millia aureos lucrari? Cum Aſſan Baſſa Eunuchus, quem familiariter Medicinæ cauſa novi*, extraordinarie præter reditum quem in annum ſingulum ad Turcarum Imperatorem miſerat, ex Columba commonitus ipſum eſſe Batal factum, ideſt Præfectura à Rege privatum, Hebraimumque Baſſa ejus loco Proregem declaratum venire, ut caput ei obtruncet, ex Ægypto abiens, Byſantium ad Regem Turcarum iturus, in via abſcondidit bis viginti centum millia aureorum, quorum duobus annis quæſtum in Ægypto fecerat, præter decem centum millia cum aliis ducentis millibus aureis, quos pro Casnà, id eſt pro reditu illiuſce anni ſecum ad Turcarum Regem tulit. Et Hebraimus quidem Baſſa, poſt ipſum Ægypti Prorex, duobus itidem annis quibus præfecturam habuit, decies bis centum mille aureorum quæſtum fecit; quæ, cum Byſantium finita Præfectura ad Turcarum Imperatorem perveniret, prudentiſſimè quidem (quod ipſum non latuerit ſæpe auri copiam non paucis apud avarum Regem exitium attuliſſe) ipſi Regi quæſtum in Ægypto coactum totum dono dedit, affirmans, tantam auri copiam ipſum, qui Regis mancipium ſit, habere fas non eſſe.

Rex vero, facile ut eam reciperet inductus, reſpondit: libenter abs te hoc munus accipio, certus tuum erga me amorem iſtac pecunia longè majorem eſſe. Itaque Præfecti in Ægypto magnum auri lucrum in ſua Præfectura faciunt, quod Turcarum Imperatores ſcientes, libentius ſumma avaritia ducti plerumque huic provinciæ Eunuchum Præſidem creant, ex iis præſertim, quos ſecum ad mulierum cuſtodiam habent, ut tandem moriente Eunucho res familiaris tota in Regem recidat, namque apud Turcas lex hæc eſt, ut qui abſque filiis deceſſerint, bona ipſorum, non in ſuos, ſed in Imperatorem recidant.

Caput XI.

De Ægypti Opibus, ſcilicet de reditibus; de pullitie, de equis, equitibus, atque ipſorum ludis.

Nullam opulentiorem Ægypto regionem eſſe certò affirmari poteſt, quæ regio haud injuria rerum parens à multis vocata eſt, quippe quæ regio fertiliſſima, ac ita optima ſit, ut ab antiquis poſteritatis memoriæ traditum ſit regnante Aulete, Cleopatræ parente, quem peſſimum virum fuiſſe ex hiſtoriis conſtat, ejus reditum fuiſſe duodecim mille aureorum. Hoc vero tempore ſeptingenta millia aureorum ex conſueto proventu Byzantium ſingulis annis ad Turcarum Imperatorem Octobri menſe mittuntur, & nonnunquam decies centena millia, aucto ab extraordinariis ordinario reditu ab Ægypti Prorege. Ipſe enim, ut ſibi Turcarum Regem benevolentiorem reddat, plerumque augere ſtudet Casnà, ideſt Regis ordinarium proventum, nedum ex ſurreptis, expilatiſque ab Ægyptiis, ſed vel etiam ex ſuis propriis pecuniis, aliquando ducenta, aliquando trecenta millia, & ſæpe etiam longè plura aureorum addendo. Quinquaginta millia miniſtri in ſuos ſumptus conſumunt: Quinquaginta millia ipſius Regis mandato

to Meccham, Felicis Arabiæ urbem, aſportantur, ut & pauperibus, qui Mahometis eorum Pſeudoprophetæ templo maximo, in quo ſepultum eſſe dicunt, inſerviunt, diſtribuantur, atque ad peregrinos, qui pauperes ſunt, ibi alendos. Reliquum vero reditum, cum in militum ſtipendia in Ægypto impenduntur, tum in nonnullas naves, & triremes, quæ Guès quotidie extruuntur, nec minus etiam in ſtipendia militum, qui quotannis ad Felicem Arabiam mittuntur, ut omittam quod extorquent, expilantque Duces, milites, atque Præfecti, qui illico cum iſtuc venerint, diteſcunt. Ægyptus eam hordei, tritici, fabarum, atque quorundam leguminum copiam producit, ut ad tres provincias nutriendas ſat eſſet, unde fit, ut eorum inſignis copia Meccham, & in Indiam deferatur, hæcque fere ſemper viliori pretio hic venduntur, ut per annum ibi hominem quatuor aureis tritico abundè alas, equum vero totidem hordeo nutriunt. Ex hoc loco Turcarum Rex claſſis commeatum petit, & igniferum pulverem pro bellicis tormentis, *non minus*, *& funes*, *& ſportas. Pulli in Ægypto*, *non Gallinæ*, ſed fimi equini calore generantur, & in ea quidem copia, ut ipſos, non numero, ſed menſura vendant, ovaque ſexaginta ſextertio, id eſt numo argenteo maidino vocato emas. Sed de pullorum generatione poſterius accuratiorem ſermonem habebimus. Equos pulcherrimos, omnibusque numeris abſolutos hæc regio producit, velociſſimos, audaces, diſciplinabilesque, ut velociores, & qui freno magis obediant, nullum alium alibi reperiri ferant. Horum aliqui duobus mille aureis ſtant, & multo pluris. Inter equos autem deliguntur ſpadices aurei coloris, non minus, & ruffi, quos aſcar vocant. Quemadmodum vero optimos equos Ægyptus habet, ſic & ſtrenuos habet equites, armis, viribus, dexteritateque præſtantiſſimos, ut in Mauritanorum Regno nullum ſuperiorem, & parem neminem habeant: equum equitantes omnia quidem ea Ægyptii præſtant, quæ non modo ab homine fieri, ſed ne animo quidem concipi queant. Arcus, quos pulcherrimos, & varii generis habent, currentes tendunt, & remittunt, atque in velociſſimo curſu ab equo deſcendere, &

ipſum

ipſum conſcendere magna dexteritate valent, hoſteque adventante, cujus ictum effugere nequeunt, ſe ſub equi ventre abſcondunt, ac eo prætereunte, in ephippium redeunt; hocque ſtratagemate vincere didicerunt, atque adeo, ut eorum nonnulli ſint qui hac vafra arte multos occidant. Quidam currentes clavam in altum ejiciunt, eamque capiunt. Alii haſtam è manu emittunt, eamque currendo præveniunt, & capiunt. Alii equo currente ephippium ſolvere, & vincire ſolent: alii ſuper equum recti ſtant currentem, alii ſuper duos, multaque alia præclara facinora faciunt, quæ ad evitandum tædium prætereo. Ad hos ludos videndos ſemel in annum egreditur Prorex cum omnibus militibus, chlamidemque ſericeam, auream, nec non iis ſtipendium dat, qui in ludis præſtantiores ſe gerunt. Inter quos is ludus præcipuus eſt. Erigitur extra Cairum in quadam planicie juxta locum Topana dictum pertica longiſſima, in cujus faſtigio eſt pila ænea, quam qui currendo emiſſa ſagitta attingit, præmium habet, & chlamidem; nihilque pulchrius videtur, quam equites Ægyptios ſimul conſpicere, qui præterquam quod ubique locorum in Turcarum imperio plurimi fiunt, Perſæ quoque equiti, qui ſummis laudibus concelebratur, Ægyptium equitem reſiſtere inquiunt: quo fit, ut, qui ad Perſarum bellum mittuntur duces, ab Imperatore legionem Ægyptiorum petant, ſaltem pro ipſorum propria cuſtodia. Pulcherrimi equitandi modi Ægyptii auctores primi fuerunt, ephippiis utentes, & parvis, & levibus, quæ equo haud oneri exiſtunt, auro, argentoque fulgentibus, nec non frenis, ac ſtapedibus gemmis ornatis. Unumquodque ephippium ſeptingentas ad minimum argenti drachmas habet, ſæpeque ex iis ephippiis Regi Turcæ quædam aliquando dono mittunt, auro, margaritiſque ornata, quæ centum millibus aureorum æſtimantur. Equorum pulchritudini, equitum ſtrenuitati reſpondet & induendi ratio; ſiquidem, ut plurimum purpura veſtiuntur, & ſerico, nec non byſſo, auroque. Enſes magni pretii gemmis ornatos, & auratos geſtant: illum vero ex iis equitibus maximo honore habent, qui arcu antecellit, tanti pharetram faciunt, ut cum aliquis alterius ſectæ

ad

ad Mauritanam deficit, ipſum equitando ſagittam manu tenentem per urbem magna lætitia ducunt, & ut propemodum innumeri magiſtri reperiuntur, qui ſagittam emittere docent, ſic nullus reperitur Ægyptius dives, qui unum ex iis magiſtris domi non alat.

CAPUT XII.

De Ægyptiorum Servis.

Inter Ægyptiorum opes ſervi connumerantur, quibus Ægyptii, & Turcæ maximè delectantur: namque ſervi ferè innumeri Cairi ex variis provinciis convehuntur, ſed omnium maximè ex Nubia, & Abiſſia, cum pueri, tum puellæ. In multis Africæ provinciis, præſertimque in provincia Nubum Decrur vocata, usque adeo miſerrimam vitam homines ob ſoli ſterilitatem ducunt, ut patres, matresque libenter proprios filios venditent mercatoribus, qui eos in Ægyptum ducunt, & tam vili pretio habentur, ut puer, puellavè non plus aureo argenteo apud eos æſtimetur: ſuique parentes vendunt ipſos, ut in alias provincias profecti, commodius, feliciusque vivant, cum in natali ſolo maximè ſterili ii miſerrime vivant. Unum ex Ægyptio Mercatore, ac ex aliis quoque auditum, confirmatumque eſt, puellas virgines octo, decemque annorum Mercatores, ut in tam longo itinere quod ab ipſis in Ægyptum ſit expeditius gradiantur, deflorare omnes, quòd iis virginitas ſit ad iter longum expeditè faciendum impedimento. Servæ mulieres triplici colore diſtinguuntur: quædam albæ ſunt, quæ vel ex Italia, vel ex Græcia, vel ex aliis locis captivæ convehuntur, quarum ex pulchrioribus unam centum usque aureis vendunt: quædam oleaginei coloris in nigrum dilutum rubeſcentis, cujusmodi quæ ex Abes, id eſt ex Abiſſia convehuntur, exiſtunt. Hæque cæteris omnibus pulchriores, gratioresque ab omnibus æſtimantur, plurimique venduntur. Una Abes fæmina, quandoque mille aureis propter ejus, & pulchritudi-

tudinem eximiam, & venuſtam gratiam, vendita ibi eſt. Neque immeritò, cum hæ ſint cæteris omnibus, præter corporis elegantiam qua præditæ ſunt, venuſtiores, gratioſioresque, atque ita diſciplinabiles, ut ingenio cæteris præſtent. Ipſarum corpus, boni eſt habitus, ſuccique plenum, præſertimque ſi ſint in urbe enutritæ: ſtaturæ magis proceræ, quam brevis viſuntur: faciem longam habent, oculos nigros, inclinantem, oblongum, venuſtumque naſum, frontem verò magnam, & ut ſummatim faciem illarum dicam, elegantiſſima eſt. Vafræ ſunt, hilares, venuſtæ, unde viris cariores exiſtunt, plurimumque expetitæ. Turcæ idcirco longè pluris Abiſſinam fæminam quàm cæterarum nationum fæminas æſtimant. Demum ſunt quæ ex Nubia omnium maxime indecora forma cernuntur, quæque minima ſumma emuntur, emuntque ipſas ad viliora domus munia obeunda, ipſisque pro veſtitu tunicam ex linea tela cerulea concedunt, & pro victu nihil aliud quam panem triticeum (omnes ibi panem triticeum indiſcriminatim comedunt) cepas, atque aquam pro potu. Usque adeo fideles, ſervi Abiſſini eſſe obſervantur, ut in Domini ſui commodum potius mille mortes patiantur, quam quicquam adverſus ipſum vel agant, vel loquantur. Remonim, Arabum Princeps, vir quamvis Turca, & nobiliſſimus, & ſpectatæ probitatis, quem ego ſæpe ægrotum curavi, quod ditiſſimus eſſet, ab Aſſan Baſſa, Ægypti præfecto, inſidiis aliquando captus fuit ſimul cum ſervo Abiſſino, cujus curæ fuerant Domini opes pretioſiores. Hic à Prorege interrogatus an ſciret locum in quo Remonini theſaurus ſepultus eſſet, cum tormentis cum ipſo ageretur, ut veritatem fateretur, reſpondit: ſi me neſcire ubi ſit aurum, argentum, atque gemmæ Domini mei dicerem, falſum affirmaſſem, ſed etſi ſciam ubi hæc omnia ſint, tamen millies mori potius quam tibi, vel aliis hoc dicam, patiar, ageque ut vis mecum tormentis uſque ad mortem, nunquam de me quicquam de iis audies. Longe plures alios id egiſſe obſervati ſunt. Servis itaque Turcæ maximè delectantur, præſertimque iis, qui militari arte, equeſtrique diſciplina perdocti ſunt, quos ita plurimi faciunt, ut eos manumittant, aut ipſis uxores domi concedant,

ad

ad gradumque & dignitatem eos evehant; quod faciunt omnes, maxime vero divites, duces Sangiachi vocati, Deſterdares, Cadi, atque Ægypti Proreges, qui ſemper centum, & plures etiam pueros habent, quibus præficiuntur Eunuchi; hos equitare, ludere, inque armis exercere Ægyptii ſtudent. Ex his duodecim ſeleƈtiſſimos juvenes equeſtris militiæ peritos, elegantiſſimos equos equitantes, anno à Virginis beatiſſimæ Partu MDLXXX. Prorex Ægypti Turcarum Imperatori Byzantium dono miſit, qui ipſi fuerunt acceptiſſimi, cum ipſisque plurimum deleƈtatus, quotidie currere, ludereque obleƈtabatur. Eundem ferè modum in ſervorum cura ſervant Turcæ, cujus in Craſſo Plutarchus ita meminit. „ Servos præterea circiter „ quingentos artis fabrilis, & architeƈturæ peritos emit, nec „ iis tantùm ad propriæ domus extruƈtionem uſus eſt, ſed ci- „ vibus ædificare volentibus eorum operas mercede locabat, „ ac ſimul areæ ſpacium cuicumque pro arbitrio ſuo ad ædi- „ ficandum vendebat. Cumque argenti ſignati maximam co- „ piam, & agros mirificè cultos, in iisque cultorum ingentem „ numerum poſſideret, minimi tamen hæc omnia facienda vi- „ debantur præ maxima turba ſervorum, quos variis artibus „ inſtruƈtos, habebat, leƈtores, ſcribas, piƈtores, argen- „ tarios, procuratores, menſarios, quos ipſemet ſumma „ diligentia curare, diſcentibus aſſiſtere, pleroſque etiam do- „ cere conſueverat. Ajebat enim præcipuam Domini curam „ circa ſervos eſſe oportere, cum ſint rei familiaris tanquam „ animata inſtrumenta. „ Hæc ad hoc transferri poſſunt, multos ſiquidem, ut dixi, ſervos emunt, iis, ut eorum ſeƈtam ſequantur, ſuadent, veſtimentis, & donis alliciunt, voluptatumque, & divitiarum, atque libidinum illecebris eos ad ſe trahunt: ſin refragentur, minis, inedia, verberibus, conviciis cogunt, quibus adhuc repugnantibus, eorum operas mercede locant; ut fit Byzantii. Qui vero eorum dogmata lubentes ſuſcipiunt, manumittuntur, ſtipendium iis decernitur, atque ut varias artes ediſcant, operam aſſiduè dant. Maximè autem Scribæ, ſutores, calcearii, tonſores, ephippiarii, & id genus alii, adeo ut multi reperiantur qui omnes artes domi alant. Omnes

verò illos duo præcipuè docent, literas, & equitandi modum, hunc quidem, quando nullus apud hos magni fiat, niſi ille ſit & miles; illud vero, quod cum legere norint, impoſſibile, quin eorum ſectæ omnino addicentur, tum quia nullum alium iis librum legendum permittunt,quam eorum legem, quam memoriæ mandaverint, tum quod liber ille quem Alchoran nominant, multis in locis habet, hæc dixit Deus, & præcipuè in eo in quo à nobis diſſident: fitque ut eorum ſectam mordicus teneant, qui eam à pueritia imbibunt, cum eas difficultates ſubmoveat in quibus hæret animus, concedatque quidquid libido expetit, ut earum lex in vulgi gratiam videatur conſcripta. Ex ſervis, qui eorum ſectam ſequuntur, gubernatores creant per Turcarum regna, quos adeo diligunt, ut citò illos ad ſummum honorem evehant, iisque imperium committitur, non autem Æthiopi, non Indo, neque Nubi, non denique ulli homini nigro cujuscumque nationis, aut gentis ſit, ſed ſolummodo albis, inter quos ſummopere diligunt Illyricos, Liburnicos, quod eos nunquam perfugas, nunquam proditores, nunquamque à Turca defeciſſe tradant. Epirotas vero armis multum præſtare putant, nec non Macedonas, atque qui è Servia, Myſia, Thracia, Iberiaque ortum habent.

Caput XIII.

De Nubibus.

Nubes ſub Ægypto eſſe conſtitutos, aliàs quoque dictum eſt, qui ab Arabibus incauti capiuntur, atque inde in Ægyptum inferiorem à mercatoribus ea copia adducuntur ut pecudum gregem videas, cujuscumque ſexus, & ætatis, qui nudi & vili venduntur, nec minus qui illos emunt ſedulò inſpiciunt, obſervant, ac experiuntur, quam facere ſoleant ementes boves, aut equos, aut alia ſimilia animalia. Horum Cairi proprium, peculiareque emporium eſt, & proprium vectigal. Ex Nubibus itaque quotannis Cairum multi proficiscuntur, te-

las

tas empturi, ſecum ferentes præſtantiſſimas auri glebas, ipſiuſque venam ponderoſam, colore vigentem, quæ pluribus auri guttis ſcintillat, in qua vel plures aureæ lineæ intercurſant, ærarioque publico eas vendunt, ut telas, ac veſtes emant, ex lana, ſericove confectas. In ea regione nudi incedunt præ ingenti caloris æſtu ex calidiſſimo cælo in quo vivunt. Mahometes ſectæ veſtigia inſequuntur, atque in contractibus ita ſe gerunt, ut merces, quæ illuc ab Ægyptiis deferuntur, nullo cuſtode ibi relinquantur. Ita ſeverâ Juſtitiâ ea regio à ſuis Regibus gubernatur, ut nullus vel etiam noctu audeat aurum, vel argentum, vel aliud quod ſuum non eſt, ſi in via offenderit, accipere. In iſtiusce gentis emporiis mos eſt, nihil quicquam nummis ut ematur, aut vendatur; ſed omnia ſimul commutentur in alias merces, &, quod admirabilius eſt, nullis verbis fiunt contractus, ſed ſi quis eorum quæ ſunt in emporio, emere vult, quod pro illo dare ſtatuit ad illud admovet, quod ſi venditori commutatio placeat, non loquens emptor rem accipit, ſin minus eam non tangit, ſicque apud hos emptiones, atque venditiones fiunt, &, ut ingenuè fatear, ſi alicubi fides locum habet, in hac gente eſt, eaque talis obſervatur, ut à decem annis ad Ægyptios Nubes quæ ſua non eſſe putant, detuliſſe conſtat. Anno MDLXXXI. Nubum Rex, ab quatuorcentum hominibus deductus, Meccham proficiscens, per Cairi Civitatem iter habuit, Aſſan Baſſæ Proregi glebam venæ aureæ decem mille aureos nummos æſtimatam, dono obtulit: At Prorex ipſum benignè excepit, eique extra Civitatem cum toto Ægypti exercitu obviam venit, & quamplurimis muneribus ipſum donavit. Hæc enim conſuetudo eſt, cum aliquem Regem, vel Principem excipiunt, ut ipſi, milites, equites, & equorum copiam oſtendant, atque per medios armatos tranſeat curent, quod quidem viſu pulcherrimum eſt.

Caput XIV.

De Stragulis, & accubandi Ægyptiorum uſu, deque vaſis, quæ apud eos in uſu ſunt.

Ægyptii habent ſtragula pulcherrima, tapetesque, & peripetasmata quibus ubique domos ſternant, ibique etiam magno artificio contexuntur, modo auro intertexto, modo argento, modo ſerico, unde mirum non eſt quod antiqui poſterorum memoriæ tradiderunt, ſtragula Babylonica octingentis millibus ab homine privato parata eſſe. Siquidem, & hoc tempore triclinia ſunt in Ægypto maximè ſuperba, magnique pretii, eorum maximè qui à Turcis non ſunt expilati, ſuper ſtragulaque regia comedunt, ſcribunt, & legunt, quod & antiquitus eos feciſſe patet tum ex multis aliis, tum ex Cleopatræ, ultimæ Ægypti Reginæ, cœna, qua Marcum Antonium excepit, à quo ſtupri mercede acceperat Phœniciam, Syriam, Cyprum, Ciliciæ magnam partem, Judæam, & Nabatheorum Arabiam, in qua ducenta & quinquaginta aureorum millia uno ferculo ſecundæ menſæ conſumpta ſunt, uti Rhodius Socrates auctore Athenæo ſcripſit. „ Cum autem Cleopatra obviam pro- „ ceſſiſſet Antonio in Ciliciam, ibi Convivium Regium, opi- „ parumque inſtruxit, in quo aulicum omne inſtrumentum au- „ reum erat, gemmis etiam confertum, ſingulari vasculariorum „ artificio. Erant etiam parietes purpureis, aureis peripeta- „ ſmatis obtenti. Duodecim igitur ad hunc modum tricliniis „ conſtratis, & inſtructis, Antonium ad convivium Cleopa- „ tra, quosdamque primorum vocavit, quos ei viſum fuit. Ibi „ Antonio apparatus magnificentiam cum ſtupore admirante; „ omnia ſe illi dono dare reſpondit, & ſubindè in diem poſte- „ rum cænam ei condixit; ad quam cum veniſſet ille poſtri- „ die comitatus amicis, & proceribus, eo ſplendore Cleopa- „ tra, atque ea opulentia convivium inſtruxit, ut heſternus „ apparatus deſpicabilis præ eo videretur. Ac nihilo ſecius „ parato convivio, omnia itidem donavit, viſenda ſane mu-

„ nifi-

„ nificentia, cum unicuique convivarum permitteretur,
„ & lectum in quo accubuiſſet, & vaſa aurea præterea au-
„ ferre, ita ut cuique lectiſternio ceſſerint. His peractis ſub
„ ingreſſum Antonii comites, prout dignitate aliqua præcelle-
„ bant, ita partim lecticas geſtatorias cum ſervis lecticariis,
„ partim equos inſtratos argenteis ephippiis referebant, qui-
„ bus omnibus Regina ea, & face prælucentes aſſeclas, digredien-
„ tibus repræſentavit. „ Sumptuoſè adhuc vivunt in Ægypto, epulasque lautiſſimas habent, optimè inſtructas, & cupedias. Odoratis ſummopere delectantur, ut & pauperes induſia ligno aloë ſuffitent. Mosco, & ambaro, nec non Zibeto, & Belzuino abundant. Ut omittam reliqua odoratorum genera, quæ ſunt ſtyrax, blæta Byzantia, ideſt unguis odoratus, multaque alia, quæ apud eos nullius ſunt pretii. Janci odorati pulvere modo ſolo; modo cum aliis ſemper manus lavant, quem è Meccha deferunt. Anaclinteria habent ex holoſerico villoſo, & lodices ſericeas, atque ea quibus eorum cubilia circumteguntur manu docta ex ſerico, & auro ſunt confecta, variis floribus, & animalibus intertextis, in quo quidem opere obeundo mulieres Ægyptiæ omnes alias mulieres antecellere dicuntur. Uſum vaſorum aureorum, & argenteorum Ægyptii rejecerunt, ubi murrhina vaſa adinvenere; quæ ex India afferuntur, & ex ea regione quam Sini vocant, ubi conficiuntur ex variis lapidibus, præcipueque ex Jaspide. Meritoque hæc vaſa omnibus aureis, & argenteis præferuntur vaſis, tum quod mundiſſima ſunt, nec unquam inquinentur, tum quod vim quandam obtineant, & cordis roborandi, & venenis reſiſtendi, cum ex materia conſtent, quæ antidotus eſt ad venena omnia, à qualitate, ut ajunt, occulta. Varii coloris, & generis ſunt hujusmodi vaſa, quædamque præſtantiſſima reperiuntur, quibus utuntur Reges, atque Primates, adeoque à Mauris magni fiunt, ut periti multi inveniantur, qui & fracta reſarciant, hique nulla alia arte vivunt. His vaſis, varia fictilia, quorum apud eos uſus eſt ad potum aquæ addimus. Primum Ægyptii ea ad aquam refrigerandam ex terra alba, nitroque aqua ſubactis parant. In Syria autem ex terra itidem

alba,

alba, & ſale per quatuor menſes à ſole relictis. Nitrum, & ſol ad aquæ refrigerationem facere dicunt, nimirum quia vaſa rara reddit, ſicque aëri frigido ingreſſum præbeant. Mecchæ ad virium robur fictilia conficiunt ex ſpodio Græcorum, atque antiſpodio. Multi Byzantii ex terra Lemnia ea moliuntur, maxime qui Lemno inſulæ præſunt, quæ deinde Regi Turcarum, & Proceribus dono dant, atque hoc modo à peſte, quorum Aulæ nunquam ea carere ſolent, Reges præſervantur. In Meſopotamia, & Armenia, ferè omnia fictilia ex bolo Armeno conflantur. Multi & in iis vaſis lapis Bezahar indunt, cum iis non careant, adeo ut ex ſolis Bezahar nonnulla vaſa conflata viderim, maximè apud eos qui à venenis ſibi cavere ſtudent. Heliopoli diei unius itinere diſtat Villa, quam Chaſagbut vocant, in qua foditur terra rubore pallido adeo odorifera ut pro conficiendis fictilibus ad multas regiones deferatur. Hæc mirificè bibentes delectat, vires recreat. Atqui ut vires ſuas promat fictilia per annum reponi debent, quoad ſcilicet, & duritiam comparent, & *aquæ qua ſunt ſubacta vis evaneſcat, niſi* aqua roſacea, aut conſimili ſint commiſta, veluti aliqui facere ſolent. Apud Reges reperiuntur vaſcula ex animalis, quod nobis unicornu, Mauris Chartit dicitur, parata; atque multi ex Rhinocerotis cornu ea parant, quod eaſdem vires obtinere credunt. Anno elapſo quidam Princeps Arabum, ut quædam à Rege Turcarum obtineret, ei Paropſides quatuor ex unicornu gemmis magni pretii ornatas, vaſculumque dono miſit; quibus quidem adeo gratiam apud ipſum iniit, ut multa in eum largiſſimè contulerit, ipſumque ornaverit, atque ejus votis plene ſatisfecerit, artifici vero ea extruenti, ne quid furto ſurriperet, aſſiſtebat Arabs, quem cum ægrotantem inviſerem, ea mihi oſtendit, nonnullaque ramenta mihi donavit. In fictilia quibus aquam bibunt, omnes ferè lignum aloë indunt, eaque ſerico artificioſe parato tegunt, atque variæ notæ aquæ occurrunt, nam multa in vini locum ſubſtituunt, ut cinnamomi aquam, & conſimile.

CAPUT XV.

De itinere ad Meccham, quod quotannis menſe Septembri devotionis, & mercaturæ cauſa fit.

Singulis annis è Cairo quindecim, & viginti etiam Ægyptiorum, Arabum; atque Turcarum millia cujusque ſexus, & dignitatis, Meccham per Arabiam Deſertam orientem verſus ſe conferunt, ut orent, & Mahemetes eorum pſeudo-prophetæ ſepulcrum videant, atque eorum non pauci, ut mercaturam exerceant, quibus præficitur qui cum quingentis militibus eos tutò adducat, & reducat. Quadam igitur die Septembris conſtituta, tota hæc gentis multitudo ordinatim per medium Civitatis transeundo, diſcedit: quem illius multitudinis diſceſſum ut ſpectent, eò omnes ferè Cairini conveniunt. In hac proceſſione ordinatim progrediuntur quini ſinguli procedentes: primo Dux venit, quem milites ſequuntur: poſt milites, quidam Religioſorum, quos Siech Arabes, & noſtri Santoni vocant, ſolo induſio veſtiti gradiuntur, Hi æqualibus intervallis quinque ſimul, aut plures in orbem manibus complexi, continue in eo proceſſu cum clamore vociferantur, Alla Mahemet Reſul Alla, id eſt Deum, atque Mahemetem Dei prophetam, in quo clamore, & vociferatione perſeverant quoad ſpumam ex ore excutiant: Mahemetem ſe æmulari credentes, qui cum Angelum adloqueretur (hoc enim ſtultæ uxori Mahemetes aliquando perſuaſerat) ſpumam in terram proſtratus ex ore emittebat. Innumeri ſanè ex iis peregrinationis gratia viri eum comitatum ſequuntur Meccham profecturi, non minus & innumeræ mulieres cujusque ætatis illud iter eadem cauſa conficiunt; quarum ſi fortè aliqua in eo itinere conceperit, is, quem poſtea pepererit, ex Mahemetes prole declaratur, qui in capite geſtat obvolutum, quod Turpant ii appellant, viridi coloris, quod illiusce coloris aliis qui non ſint ex Mahemetes prole geſtari lege prohibitum eſt. Itaque omnis hæc gentis multitudo Meccham proficiſcitur, ut ſe-

pulcrum Mahemetes pſeudoprophetæ ipſorum videant, venerenturque, non minus ut ipſum in ſuo templo adorent, & orent. Hoc verò ſepulcrum eſt in Civitate, quæ ab illis per antonomaſiam Medina dicitur, cum Medina ad omnes Civitates nomen genericum ſit, ſed eo nomine ea Civitas vocata eſt, quod habeat corpus prophetæ illiusce gentis. Neque ipſius monumentum (ut perperam alii dixerunt) ex arca ferrea conſtat, aut magnetis lapidis vi in aëre eſt ſublatum, ſed eſt in terra, ut nos à multis notæ fidei accepimus, humili loco poſitum. Quanquam autem Medina è Cairo venientibus primum occurrat, Mecchaque longius diſtet octo dierum ſpatio, inter quam, & Cairum quadraginta dierum iter intereſt, tamen Meccham primum recta via ſimul proficiſcuntur, deinde redeuntes ſeparatim Medinam. Quòd ſi omnes una Medinam venirent, cum aqua careat, unicusque tantùm ſit puteus, qui aquam ſuppeditet, tanta multitudo hominum, & animalium ſiti periret, quod ut vitent, non omnes ſimul eò ſe conferunt. Accedit etiam, quod monumenti locus tantam turbam non caperet. Mecchæ eſt delubrum maximum, Regiis, & ſuperbis tapetibus ornatum, in quo lumen quoddam cœlitus demiſſum ſe videre ſibi ea gens falsò perſuadet. Mecchæ, & Arabiæ Felicis parti quidam, Seriph nomine, dominatur. Hoc autem nomine (ut dixi) omnes à Mahemete oriundos nominant, qui linteis coloris viridis ſua capita obvolvunt. Seriph, ubi peregrinos, & duces, qui tres exiſtunt, unus ex alia Felicis Arabiæ parte profectus, alter ex Syria, tertius ex Masvè, ſive Cairo, Meccham prope accedere intelligit, quindecim millibus equitum, totidemque peditum ſe accingit, Meccham relinquit, ad montesque fugam arripit, filios duos obviam Ducibus mittens, ſibique cavet ne à Turcarum Imperatore dolo capiatur, quod idem alias fruſtra tentavit. Aquæductu lapideo aqua Meccham è montibus ducitur, atque in hortum quendam Seriph colligitur, quam quatuorcentum mancipia Æthiopica utribus gerunt, & peregrinis venditant; qui ſi diutius quam mos eſt ibi commorentur, eos diſcedere cogit, aquas aliò avertendo, canalesque claudendo. Mecchæ vero peregrinos viginti dies morari conſuetum eſt, adeoque hoc iter

cen-

centum diebus abſolvunt, eundo, commorando, atque redeundo. Ultra Meccham unius diei itinere mons offenditur, quem Arabes Arafat vocant, ubi Abraham Iſach filium ſacrificare Deo voluiſſe, credunt. Inibi unusquisque agnum occidit, carnem pauperibus diſtribuens. Inter Turcarum autem Imperatorem, & Seriph hæc antiqua fuit conſuetudo, ut Seriph, & ejus filiis, atque iis qui ab ejus ſecretis ſunt, chlamides ſericeas, auro, argentoque contextas, equos, arcus, pharetras, ephippia gemmis ornata, Rex Turcarum mittat. Contra Seriph ad Regem dat Agallochum, ſantalorum genera, cinnamomum quod ab Indiæ regulis habet, margaritas, moſchum, ambarum, vaſa murrhina, ducenta carbaſa tenuiſſima, quibus Turcæ ipſorum capita involvunt, quorum quodlibet quindecim, & viginti etiam aureis ſtat. Dat & opobalſamum, cujus planta juxta Medinam Civitatem ſpontè provenit, & inter Medinam, atque Meccham, & copioſius ultra Meccham naſcitur. Quædam rurſus plantæ balſami in itinere à Cairo Medinam tribus diebus à Medina offenduntur; ex *quo loco*, atque è *Meccha*, *ut* ex *multis* audivi, anno a Virginis partu Ægypti Prorex Eunuchus Meſſir nomine, juſſit ut peregrinorum Meccham eo anno euntium Præfectus Halibei vocatus, viginti balſami plantas afferret, quæ eo in loco Cairi inſertæ fuerunt, ubi antea balſamum ſatum fuerat, ſcilicet in horto Mattarez, quæ poſtmodum aëris vel injuria, vel ſoli, aut topiariorum negligentia interierunt. Itaque quotannis Meccham, & Medinam multitudo peregrinorum proficiſcitur terreſtri itinere, quæ redit centum dierum itinere. Quo tempore innumeræ naves etiam è Sues, & Tor ad Maris Rubri littus Giden appellunt, qui locus à Meccha duorum dierum itinere diſtat, & præterquam quod multæ naves merces varias habentes eò ex Ægypto navigant, duæ præſertim ſingulis annis, & tres Liburnicæ regiæ illuc mittuntur, quæ fabam, oryzam, butyrum, caſeum, panem, triticum, farinam, mel, & alia hujusmodi in peregrinorum uſum deducunt. Quidam illis & equos, & alia animalia vehunt: itineri vero ſe committunt menſibus Auguſti, atque Septembris, cum reliquo tempore id minimè liceat, aut non ſine diſcrimine fiat.

Caput XVI.

De Comœdiis, quæ in Nili fluminis inciſione fiunt; de Circulatoribus: de ruſticis mulieribus, quæ & ſaltant, & alia ludorum genera coram hominibus exercent.

Solent Ægyptii inter varia ludorum genera, & lætitiæ ſigna, quæ poſt Nili fluminis inciſionem variis modis facere conſueverunt, etiam Comœdias recitare, ſcenam ſupra ramum fluminis, per mediam Civitatem Cairi excurrentem, Caliz vocatum, parantes, atque etiam nonnulli in privatis locis easdem recitant. Inſtitutum eorum recitantium eſt, ut quam maximè delectent, & cum ſciant eam gentem libidinoſis præſertim hiſtoriis delectari, hinc eſt, quod ſuæ Comœdiæ non in nuptias, ut apud nos fieri ſolet, deſinant, ſed in venereos cujusque generis libidinis actus obſcenos: unde ad hunc finem variis perſonis in Comœdiis, hiſtorias, atque hujusmodi in re venerea exitus ſibi acceptiſſimos repreſentant. Sunt tamen aliqui qui privatim in Comœdiis vel etiam varias hiſtorias de rebus honeſtis recitare ſoleant, fere Plautinas comœdias imitantes. Ex iis ſunt aliqui qui intra ſcenam ex tenuiſſimis linteis paratam latitantes, quadam mirabili arte ex umbris in ſcena productis, faciunt apparere perſonas varias recitantes, cujusque ſexus, & ætatis, atque animalia itidem cujusque generis prout ad hiſtoriæ repræſentationem eſt opus. Memini me Cairi apud Conſulem pro Rege Galliarum non ſine magna admiratione vidiſſe repræſentari hujusmodi Comœdias per umbras, varias perſonas repræſentantes, quæ umbræ ita invicem loquebantur, ut omnibus appareret, voces, & orationes ipſasmet proferre. Si noſtri Comici hanc artem callerent, ut quæ volunt, per umbras repræſentare poſſent, quam admirabiliores Comœdias facerent, admirabiliaque in ſuarum Comœdiarum interſceniis quam minimo ſumptu repræſentare poſſent, nimirum per umbras fingen-

tes homines quoscumque voluerint; & animalia cujuscumque generis, domos, arbores, locus, flumina, fontes, agros, lucos, & quæcumque illis placuerint. Siquidem, ut mihi relatum à multis fuit (licet Ægyptii ii nunquàm ullo vel etiam magno pretio hanc artem docere voluerint) varias illas umbras Comœdiæ perſonas repræſentantes, ex variis quidem flammarum, vel è lampadibus luminum coloribus fieri, accedente etiam ſimulacro, ſive figura illiuſce perſonæ, vel illius rei quam in ſcena repræſentare ſtudent. Fateor hanc eſſe mirabilem artem, ſed fateor quoque me nunquam quomodo hoc vere ab ipſis fiat intelligere potuiſſe. Jam ad Circulatores descendimus, quibus & viris, & fæminis Ægyptus non minus quam aliæ Nationes abundat, ii etenim ſunt usque adeo hilares, ſcenici, faceti, atque riſum moventes, ut nulli ex noſtris, ipſis in hoc præferri queant. Abundant ſemper jucundiſſimis facetiis, apprimeque ridiculis, ut circumſtantes voluptate eximia afficiant tam ex iis quæ dicunt, quam quæ faciunt. Ita docti ſunt, & prudentes, ut beſtias feras nedum cicures reddant, at quinimo eas non minus diſciplinabiles: illas enim usque adeo probè perdoctas, ac bene inſtructas reddunt, ut facile credas lupum, urſum, vulpem, aſinum, capram, ſimiam, canem, omnia, ut homo, intelligere, & ratione uti. Hæc animalia ſimul vivunt, & pacificè quidem ita, ut nullum ipſorum alterum unquam offenderit. Quid dicemus de artibus, quibus ipſa perdocta, varia, & admirabilia faciunt? fingunt ſe ebria ex vino epoto dormire, exultant, tripudiantque, variis modis ambulant, equitant, currunt, fingunt ſe loqui, & reſpondere ex propoſito circuitori. Particularia omitto brevitati ſtudens, atque etiam quod ab aliis hæc fuerint diligentius in hiſtoriis Africæ narrata. Sed quid iſtuc? cum vel etiam ſerpentes cicures ita reddant, & perdoctos ut mira facere cum iis videantur. Sæpe mihi evenit, cum iis qui ſerpentes oſtentant, & cum ipſis fabulas ridiculas agunt, interfuerim, ut ſerpens ad me veniret, magno ſane meo cum timore, etenim Circulator qui ſerpentum ridiculis, ſimulque admirandis geſtis homines delectabat, cum inter alios haberet magnum ſerpen-

tem decem pedibus longum, brachiali hominis craſſitie, capite magno, oblongo, atque lato, ore magno, dentibus longis multis acubus ſimilibus, oculis non parvis ſplendentibus, colore totius corporis ad anguis vulgaris colorem accedente, qui id proprii habet, ut colli partem capiti ſubjacentem cum ventris portione, dum incedit in veli rotundi modum expandat, figura, & cavitate vulgaris Gatini, atque eo modo ita celeris eſt curſus, ut eo velo volare videatur, eo modo quo velis naves à ventis moveri ſolent: de quo poſterius ſuo loco agam accuratius. Itaque hic ſerpens ita perdoctus eſſe à Circuitore videtur, ut intra hominum coronam, quæ à multis ſpectatoribus fit, in terra liberè expatians, ſerpensque, ad eos ſpecialim moveatur ad quos vir circumforaneus ei juſſerit, pluriesque ad me ibi ad hoſce ludos videndos adſtantem, cum dixerit ei, Rha el Achim frangi, ideſt, i ad medicum Italum, continuò veniebat, quod ſi locum ſæpe mutaverim, tamen ſi circuitor ei jubebat ad Medicum Italum venire, ſtatim greſſus ad me movebat, qui, cum ille vir cognoſceret me ab ipſo et timere, & fugere, ſerpentis cauda comprehenſa à me ipſum retrahebat. Idem faciebat ſi ei indicaverat circuitor, mercatorem Italum, vel alterius nationis virum, ut conveniret. Sed jam ad fæminas ſaltatrices, & circuitores nunc venimus. Hæ ſunt ruſticæ, quas Bedovi appellant, planè ſimiles vulgo Cingaris. In Ægypto haud licitum eſt mulieres agere de ſe ipſis, quæ volunt, ad libitum, quinimo, quæ absque Proregis licentia rem veneream cum aliquo egiſſe deprehenduntur, capitali pæna puniuntur, unde innumeræ ſunt mulieres, quæ à Præfecto impetrata facultate, quicquid de ſe ipſis volunt, liberè agere, atque deliberare poſſunt; in quodam eæ libro ſcribuntur, ſolvuntque quotannis Regi modicum vectigal pro iſtac recognitione. Hæque poſſunt, ad libitum vivere, artemque meretriciam agere, per urbemque quicquid volunt impunè facere. Scriptæ mulieres quandam civitatis partem habitant, quam Babeluc vocant, quo in loco artem meretriciam liberè cum Mauris exercent. Ex ſcriptarum numero ſunt etiam *ruſticæ* Bedovi vocatæ, quæ circulatorum modo per urbem ſaltus

las varios faciunt, exultant, tripudiant, ut populum delectent, atque exinde mercedem, ut vivant, lucrantur. Hæ, tametſi pleræque caſtè vivant, nihilominus in ſuis tripudiis id propriè agunt, ut corporis omnes inhoneſtiſſimos motus, atque actus venereos, in terram procumbentes repræſentent, quibus Turcæ ad movendam libidinem apprimè delectantur, & hæc tripudia palam in via exercent, coram & nuptis mulieribus, & virginibus, ex feneſtris hæc omnia videntibus, absque ullo pudicitiæ, & honeſtatis rubore, & pudore. Ita apud eas gentes venereæ libidinis delectatio invaluit, ut id quod maximum dedecus eſt, virtus iis eſſe videatur, adeo ut plures illorum inhoneſtius, quam beſtiæ effrenes vivant. Sed ceſſo de iis amplius præ pudore loqui.

CAPUT XVII.

De cibis quibus Ægyptii utuntur, atque de potibus.

Poſteaquam multa de Ægyptiis hactenus in noſtra Hiſtoria ſcripſimus, reſtat, ut priusquam ulterius in ipſa progrediamur, de cibis, & potibus quibus Ægyptii familiarius utuntur, ſermonem faciamus. Sed tamen plura in iis tractandis omittemus, quæ in Libris de Medicina Ægyptiorum conſideravimus. Itaque Ægyptiorum cibi, ut plurimum frigidi, & humidi ſunt; namque ut ex oleribus, quæ ad victum illis ſunt familiaria, cum potiſſimum ab ipſis præcipuus eorum cibus depromatur, exordiamur, variis, crudis, atque in magna copia ii veſcuntur, atque ſe ingurgitant. Lactucam ex iis maximè expetunt, quam ſicuti & olim tota orientis regio, plurimum, & laudabilem ſanguinem gignere ſibi perſuaſit, ita & nunc illiusce opinionis omnes indigenæ exiſtunt, putantque omnes, lactucam eſſe probi alimenti. Mirum certè eſt, Galenum, tantum Medicum, in Libro tertio de Temperamentis dixiſſe, lactucam deleteriam habere frigiditatem, perinde atque cicutam, unde ſi ejus ſuccus penetraret, ut cicuta, refrigerando interimeret. Quod ſane vi-

ſum nobis ſemper fuit ab omni veritate alienum, neque enim tantam ineſſe lactucæ frigiditatem eo colligimus, quod, & ipſo Galeno non negante, ipſa copioſius eſitata calidam corporis ſubſtantiam augeat, atque exindè calorem quoque innatum. Sunt qui in Ægypto decem, & plures etiam dies vixerint ſolis lactucis copioſius aſſumptis, nullam differentiam in calore ipſorum corporum ab eo tempore quo aliis cibis aliàs uſi fuerunt obſervantes: Quibus quidem conjicitur lactucam eſſe naturæ humanæ amiciſſimam, & corporum ſubſtantiæ quam ſimillimam, cujus & amicitiæ, & ſimilitudinis clarum argumentum eſſe exſtimari debet, quod guſtui hominum lactuca ſit acceptiſſima, atque eſui jucundiſſima: cum ea quæ facultatem habent deleteriam, uti cicuta videtur, maxime humana natura abhorreat, ita ut ſtomachus illa ſemper cum abhorrentia, & quandoque cum tremore, atque nauſea quadam, ſi coactus recipiat, admittat. Quibus deprehenditur lactucam ex tota (ut ajunt) ſubſtantia humanæ naturæ eſſe amicam, propterea que merito Ægyptii eam eſſe temperati nutrimenti atque probi ſanguinis effectricem ſibi perſuaſerunt, ſed de ea re, Deo favènte, etiam in libro quarto accuratius ſcribemus. Sed redeo ad id à quo diverteram. Inter lactucas, quoddam genus eſt Ægyptiis proprium, præſertim iis qui Cairum habitant, quod ſupra omnes bonitate laudant, & præferunt, hasque nullo alio in loco inveniri tradunt; longa eſt, ei ſimillima quam Patavini Romanam appellant: Cairi magna diligentia ſeritur, cæteris aliis bonitate præſtat. Multæ urbes reperiuntur in quibus fere omnes per quindecim dies lactucam crudam comedunt: deinde per venam ſibi ſanguinem mitti jubent absque Medici conſilio, ea opinione decepti, quod ex eſu illiusce oleris plurimum ſanguinis genitum ſit, hocque faciunt mulieres precipuè, virgines, viduæ, aliive viri multi qui à negotiis non ſunt impediti, vitamque in otio degunt, quo quidem modo ſe diu inculpatam valetudinem ſervaſſe affirmant. Sed de his lactucis poſterius accuratius quoque, ſcilicet cum de plantis Ægypti ex propoſito agemus. Sic & in victu concedunt endiviam, portulacam, melochiam, bammiam, colocaſſiam, atriplicem, ſpina-

chiam

chiam, betam, blitum, vitis folia, quibus ubique coctis, & cru-
dis veſcuntur, Devalique vocantur, Braſſicam item, canabith, lapathum, ſolanum, apicem, ſium, ſmyrnium, erucam, urticam, gingidium, ocimum, fœniculum, aſparagos, bulbos, tubera, fungos, cæpas, allium, porrum, ampelopraſſum, rapum, cichoreum, palmæ verticem, quem cephalonem, ſive caput nominant, qui quidem eſui gratiſſimus eſt, & à noſtris avidè comeditur, magnoque pretio venditur, clamque ipſum vendunt Arabes pœnæ metu illis adjunctæ, quod cephalone exciſo, arbor ſterilis redditur. • Trifolium quoque virens comedunt Arabes, mentham Judæi crudam, maximè die ſeptima: mala inſana, ſtaphilinum, paſtinacam, cucumerem Chettam vocatum, quo nomine Arabes ſignificant quoddam cucumeris genus, quod quidem eſt autumnale, de quo nos in libro de plantis Ægypti ſcripſimus, & aliàs etiam Deo volente, quædam de ipſo dicemus. Malva quoque maximè delectantur, eamque quotannis ſerunt. Fructibus tam horariis, & fugacibus, quam Autumnalibus, quibus Ægyptus abundat, ſe replent, ut ex iis ſolis ſæpe cænam, vel prandium perficiant, cujusmodi ſunt præcocia, cucurbitæ, pepones, melopepones: quorum quidem nomen genericum eſt Batech, iſtoque nomine ſimpliciter prolato comprehenduntur anguriæ communes, quæ alio nomine Gibes dicuntur. Peponem autem noſtrum, qui eſt ejus ſpecies, Batech de Homeri vocant, at anguriæ quædam eſt aquea, optima, ab iis in pretio adeo habita, ut ſingulæ aliquando aureo emantur. Hujus aquam ægrotis tribuunt, quæ Batech Indi, & Batech etiam Maovi vulgo dicitur. Hanc ſæpe memorat Avicenna. Hæc non facilè putreſcit, imo ejus aqua vel etiam ad hyemem incorrupta ſervatur, atque in deliciis habetur: indigenæ enim cum aliquem domi excipiunt, maximè autem Proceres, in eam per medio ſectam, vel in ipſa foramine facto, ſaccharum unà conjiciunt, atque ut pretioſum quid nectaris propinant, vulgo Batech el Maovi, & à ſcriptoribus Medicis Batech Indi, vel anguria Indica dicitur. Habent & aliud peponis genus noſtris ignotum, quod vocant Abdellavi, ipſumque utilitate Batech de Homeri præferunt, ejusque ſemina ægrotis, maximè morbis calidis vexa-

tis plurimum prodeſſe experientia comprobatum eſt, ita ut Medici praxim facientes cum ſemina melonis præſcribunt, ſemper Abdellavi addant: Quod ſi quis noſtratium Medicorum, cui hic fructus eſt ignotus, noſtri communis peponis ſemina præſcribat, ſtatim imperitus, vel & mulieribus etiam, artis medicæ judicatur. Innumera præcocia producit Ægyptus, atque aliunde deferuntur quoque alia genera, ſcilicet, Amavi, Armenum. Azami duo ſunt genera præſtantiſſima, quæ in aqua macerantur, ipſaque aqua tutò, & jucundè ægrotis conceditur: perſica vero, pira, poma, mala Punica, quæ in Ægypto multa ſunt, atque maximè in Inſula Delta, in qua ad eam molem creſcunt, ut ſingula ad ſex libras pendeant. Quibusdam in locis quisque menſis ſuos proprios fructus habet, atque ita ut groſſis ficisque ſuccedant dactyli, dactylos excipiant mora, mora ſycomorus, ſycomorum muſæ, muſas uvæ, uvas ſebeſten, ſebeſten pruna, pruna napeha, napehis ruborum fructus, cui ſuccedit capparis, à quo amygdalæ, à quibus Zazur; quos omnes excipiunt ſacchari arundines, quæ cum palato ſummam ineunt gratiam, atque eædem ſub cineribus calefactæ iis qui tuſſi vexantur, plurimum adjumenti afferunt. Horum fructuum plurimi publicè venduntur in aqua macerati: conſueverunt enim Arabes fructus omnes, quos poſſunt, reponere ſiccos, quos poſtea toto anno aqua præmollitos aſſumunt, eamque aquam bibunt. In quo quidem non parum mihi videntur laudandi, cum hujusmodi fructus hoc modo parati non parum, & ſanis & ægrotis ſint utiles, atque etiam esui jucundiſſimi exiſtant. Publicè etiam venduntur & iidem fructus aceto conditi, & olivæ, & mala medica, ſtaphylina, mentha, fæniculum, apium, raphanus, rapa, betaque, quæ duplicis eſt generis, altera ut noſtratis radice longa, atque altera radicem habens, ut rapa rotundam, inſignemque: ſic & capparis non modo fructus, ideſt flores, ſed vel etiam ejus germina tenera, vel cauliculi, quibus magis delectantur, quam floribus conditis: cucubæ itidem, aurantia, limones, paſſulæ, cydonia, aliave mala, & pira. At inter omnia ſummopere arrident loti, Ægyptii crediti, radices, quas per tres menſes per urbem venditores circum

cumferunt, easque coctas perinde atque colocaſſiam comedunt. Vocant hanc Rais el Nil, de qua poſterius nos accuratius. Cerealibus quoque ſeminibus affluit Ægyptus, & iis ex quibus panis conficitur, præterea milio, panico, olyra, typha, avena, & alica, & aliis, ut puta, fabis, piſis, ciceribus, lentibus, lupinis, phaſeolis, aphace, crobo, atque aliis ſimilibus, quibus quatuor modis utuntur, quippe coctis ferè omnibus, multis crudis, quibusdam igne torrefactis, aliquibus in panes conjectis, nonnullis & ſaccharo tectis, ut bellariis, præcipuè autem ſimul venduntur ciceres, avellanæ, amygdalæ, ſeſami ſemina, & alia torrefacta, quæ vulgus avidè comedit: Tragemata Græci vocant: Galenusque eorum plurima, quæ in libris de Alimentorum Facultatibus ſcripſit, ab Ægyptiis deſumpſiſſe viſus eſt, probe omnia ſcribens inibi quæ faciunt Ægyptii circa eſculenta, ut, qui eos tres libros diligenter perlegerit, Ægyptiorum victus rationem non ſecus animadvertat, ac ſi ipſum ſenſibus ipſis conſpiceret. Quanquam autem tragemata nunquam non comedant, attamen minimè iis accidit quod de juvene illo qui medicinæ operam navabat, refert Galenus, * cui hujusmodi tragemata quatuor annis ſat fuerunt, tenuique victu, & frugali delectabatur, quod ignem per totum illud tempus non accendere ſibi propoſuerit. Galeni verba hæc ſunt: „ Atque in Alexandria juvenem quendam novi arti medicæ deditum, qui per annos quatuor ſingulis diebus ſolis his pro obſonio utebatur, phaſeolos dico, fænugræcum, erviliam, & lupinos, attigit autem interdum & olivas ex Memphide, & olera, & paucos fructus eos, qui citra coctionem manduntur: propoſitum enim ei erat ignem nunquam accendere: omnibus certè illis annis ſanus fuit, nec ulla in re habitu corporis fuit deteriore, quam ab initio: mandebat autem fructus hujusmodi cum garo, ſcilicet oleum aliquando ſolum ei adjiciens, nonnunquam etiam vinum, alias acetum, interdum vero ſalem tantum, ſicut & lupinos. „ Verum non accidit dico iis illud, quoniam

* In primo de Aliment. Facult. cap. 25.

etſi plurimi minime ignem accendant, tamen fercula cocta cujusque generis illis comedere licet, cum ubique fere locorum in quavis urbis parte veneant, nec multo vendantur, cum nullius rei penuria fere unquam affligat Ægyptum, lignis exceptis, quod tamen non facit, ut majori pretio vendantur, ea namque igne ex bubulo ſtercore arido, quod per urbem ubique locorum ad eum ignis uſum vendunt, accenſo decoquunt. Papaver album ubique per domos circumfertur, ejusque ſemina communiter comedunt, innoxiè, maximè autem æſtate, à quo quidem ſe refrigerari, ſibique ſomnum promoveri dicunt, neque ipſum timent in regionibus calidis, neque cætera opiata, neque ab iis ullum periculum impendet, ſicut apud nos, Chaſchas, & Abunum Mauri vocant. In panem multa ſemina conjiciunt, ſcilicet lini, ſeſami, atque alia multa, & etiam aromata, ut piper, ſed inter omnia melanthii ſeminibus libenter eo modo utuntur: hæc enim unusquisque in panes addit, multi per ſe torrefacta comedunt, tineas pellit, alii ex eo oleum conficiunt ad multa utiliſſimum, quod Hapelbarache, hoc eſt ſemen fortunatum, alio nomine Suniz nuncupant. Lens, & oryza duo ſunt præcipui Turcarum cibi, quibus absque diſpendio multos alant, maxime autem oryza, quam adeo in delitiis ubique, præſertimque Byzantii, habent, ut in eorum conviviis, quæ opiparè parant, paſſim adhibeatur; modo vero ei petroſelinum addunt, modo apium, modo crocum, modo piper, interdum ciceres, ut varia videantur eduliorum genera, cum tamen reipſa ſint unum. At modus ejus parandæ, quo in cibis nihil magis delicatum habent, eſt, ut oryza à jure in quo incocta ſit, auferatur, eique piper, & cinnamomum, aliave aromata miſceantur. Hujusmodi cibo pingueſcunt, roburque nanciſcuntur. Leguminibus omnibus præfertur Mas, quod tanti faciunt, ut eo non tantum utantur ſani, ſed & febricitantibus, aliisque morbis detentis Medici tribuant, illisque maximo auxilio eſſe certum eſt: atque apud eas gentes, panis madefacti loco eſt in uſu ex Avicennæ ſententia, qui in paſſivis qualitatibus ipſum temperatum eſſe tradidit, maximeque qui eſt citra corticem, neque ipſum ut fabas eſſe flatulentum, frigi-

dita-

ditateque à lente relinqui, ſucci præterea laudabilis, facilisque deſcenſus. Semen hoc Arabibus omnibus Mas dicitur. Quod num ſint piſa, mihi haud notum eſt, cum Galenus ſuis piſis ſegnius quam fabas per alvum ſecedere tribuat: Avicenna autem ſuo Mas contrarias penè facultates ineſſe dicat. Atqui Mas Avicennæ fuiſſe notiſſimum credendum videtur, cum in illius regione magnus ipſius ſit proventus, ibique ſit in frequentiſſimo uſu. Ejus radicem, in Giemen Artam vocari prodidit Serapio: per Giemen autem Nicolaus Mutonus Syriam intelligit. At Giemen Arabibus eſt Arabia Felix ſexaginta dies à Syria diſtans: optarem igitur, ut & Medici Itali hujusmodi cibo jucundiſſimo uterentur, quem tota Arabum ſchola ſummis laudibus extulit: nuncque adeo eſt in uſu, ut proximis his menſibus, cum eorum qui à ſecretis Turcarum Imperatoris ſunt primus Byzantii ægrotaret, reliquaque ciborum genera faſtidiret, Masque optaret, nuntium Æliopolim usque, quæ Byzantio triginta dierum itinere diſtat, accipiendi Mas gratia miſerit, qui cum urbem *currens ingrederetur, magnusque hominum concurſus eſſet, omnesque ſpe incerta alicujus novi* penderent, eorum expectationem decepit, in emporioque equo deſcendit, atque ubi Mas modicum emit, ſtatim diſceſſit, & Byzantium commutatis equis octo dierum ſpatio rediens Mas ſecum ferens quaſi pervolavit. Habent quoddam cibi genus Seratie ab ipſis vocatum, & aliud quod ex amylo dulci, amygdalis, & ſaccharo; aliud ex fructibus quibusdam, & hoc modo ipſum parant, præcipuè æſtate: accipiunt etenim piſa ſicca, præcocia armeniaca, perſica, quæ in aqua decoquunt, ac deinde ſaccharum addunt, atque hos fructus refrigeratos comedunt, qui cibus gratiſſimus eſt, refrigerat, vires recreat, corroborat, ſitim extinguit, bilem reprimit, halitum commendat, dignusque eſt ut à noſtris in uſum revocetur, Cuſſaf ipſum vocant. Cibus etiam quam communiſſimus illis eſt triticum aqua elixum, quod Chamaie nuncupant. Ex pane vero lacte ſubacto, & exſiccato aliud cibi genus parant, Chiſch vocatum, non quidem verum Chiſch, de quo poſtea: quod cum multum nutriat, & facile concoquatur, non modo domi ipſis utiliſſimum eſt, ſed

& iter agentibus. Quin qui pro obſonio habeat domi, & in itinere, absque origano, & ſatureia, nemo reperitur. His enim cum ſale avidè pro obſonio utuntur. Polenta ex hordeo recenti veterum modo adminiſtrata communiſſimus eſt multorum cibus: Alexandriæ etiamnum victu utuntur, quem Galenus Alexandrinorum vocare fuit ſolitus, ſalſis ſcilicet porris, & zytho, ſed nunc zythum non fit in Ægypto, ſed hujus loco ex dactylis vinum parant, quod Subia appellant, multo quidem quam zythum præſtantius. Verum etſi Ægyptii hos potus habeant, nihilominus omnes libentius aqua Nili fluminis optima ad potum utuntur, & quandoque ex ea cum acido limonum, & ſaccharo potum jucundiſſimum parant, quem Sarbet vocant. Divites eadem utuntur aqua, ſed in qua varia ſyruporum, & conſervarum diſſoluta ſint genera, ut violaceum, roſaceum, & alia, de quibus nos ſatis in libris de Medicina Ægyptiorum ſcripſimus. Caſeum ferè ſemper cum oleo comedunt, vel oleum cum melle, aut mel cum ſapa, aut ſapam quam Dips vocant cum ſeſamini olei amurca, quam Thaine appellant, quæ iis eſt ſuavis cibus. Mane utplurimum à cibo abſtinent, & ut quisque maximè dives eſt, ita maxime mane frugali cibo utitur, paucique ſunt quamvis potentes, qui mane domi comedant, ſed per ſervos aliquid parant ex Emporiis, in quibus omnia reperiuntur, placentæ, Joviorum genera, Rhyemata, & lagana, quæ Sairie, & Riſte vocantur: caro bubula, hædina, caprina, hircina aſſæ, & elixæ, ouilla itidem: nullus hodie aſininam carnem comedit, ſicut Galenus ſcripſit illos ſuo tempore comedere ſolitos fuiſſe. Multi camelinam eſitant: à bubula abſtinent, & hædina, ſiquidem vitulos in ſpem ſegetum alunt: ovilla magnopere delectantur, aut omnium maxime, ut & ſuperius diximus, vervecina, quam omnibus præferunt, ipſamque tritico inter grana comparantes temperatè calidam, atque humidam faciunt: quo fit (inquiunt) ut ipſa nunquam ſaturentur, nunquam ipſam faſtidiant. Ex morbis convaleſcentes, quamvis aviculis, pullis, & aliis delicatioribus carnibus nutriantur, nunquam tamen carnem comedere fatentur, niſi ovilla caro vervecina illis concedatur. Unum hac occaſione de eſu carnium apud Ægyptios iterum repetimus,

illud-

illudque eſt, quod Ægyptii ſunt parciſſimi, paucosque eorum eſſe qui eſui carnium indulgeant, de qua parſimonia ſuperius accuratius locuti fuimus. Omitto varia lactis genera ex quibus varia edulia parant, atque lac ipſum acidum, quod illorum guſtui eſt acceptiſſimum. Quid de piſcibus? An non & ipſi variis & ex Nilo flumine, & ex mari captis veſcuntur, ſed omnium libentiſſimè iisdem fumo ſiccatis utuntur. Serpentes etiam quosdam comedunt, quod eos antiquitus quoque feciſſe in hiſtoriis traditum eſt. Teſtacea animalia, ſetacea, cruſtata, echinos, ranas, turtures, & ea quæ ſuffocantur, illos edere lex vetat. In primis autem à carne ſuilla abſtinent, quam eorum pſeudopropheta interdixit, verumtamen ſues alunt, quos equis uſui ita eſſe putant, ut non ſit eques, qui cum ſuis equis unum vel duos ſues non alat: Hi pane ferè omnes veſcuntur, tam apud pauperes, quam divites triticeo: etſi ibi cujuscumque generis conficiatur, quippe Siligineus, Secundarius, Typhaceus, Antopyrus; Dulciarius, Focarius, Setanius, aliusque quem Chac appellant, *optimum ſanè panis genus*, quod coquunt in fornace *ad ejus parietes rubentes*, eſſe affirmant.

CAPUT XVIII.

De Ægyptiorum temperamento atque habitu.

Quanquam in libris de Medicina Ægyptiorum de indigenum Ægypti temperamento; deque habitu illorum corporum atque de morbis quibus ea regio ferè continuò confligtari ſolet, abundè ſcripſerimus, nihilominus de iisdem & in hac noſtra hiſtoria, ne in ipſa hac etiam deſiderentur, agere inſtituimus. Verumtamen hæc brevi tractabimus, quædam addendo, quæ faciunt magis ad hiſtoriam, quam ad medicinam, de qua quidem in libris de Medicina Ægyptiorum agere noſtrum præcipuum fuit inſtitutum. Ægypti vero indigenarum triplex genus eſſe diximus, urbanum unum, Arabum alterum, atque tertium ruſticorum. Urbanorum corpora vel ſanguinea ſunt, vel pituitoſa, quæ ita, etſi ex cælo calida, & ſicca eſſe debe-

deberent, evaſere adſcititium temperamentum frigidum, & humidum, ex vento frigido, ex augmento Nili fluminis, atque ex continuo aquæ refrigerantis, humectantisque potu, & ciborum frigidorum uſu, illud nacta. In Arabibus melius & temperamentum, & habitus reſpondet calido, ſiccoque cælo ſub quo vivunt, cum ipſorum corpora gracilia ſint, macra, atque calida, & ſicca, omniumque maximè ruſticorum corpora ſolis caliditate eximia maximè, & ſiccata, & ferè uſta. Verum enim vero nos addimus, Ægyptum dividi in duas partes, ſcilicet in inferiorem, quæ mari proxima eſt, atque in ſuperiorem à mare maximè remotam: In hac parte habitantes deſcripſit Galenus deque iis * animadvertiſſe viſus eſt cum dixerit, „Intelligere nos enim oportet, omnes, de quibus ſcripſit Hippocrates conſtitutiones in locis terræ habitabilis temperatos fuiſſe: exceptis ab hoc ſermone Thraciæ locis, quæ à mari diſtant. Hæc enim in frigiditate, & humiditate modum exceſſerunt, ſicuti & quæ ad Ægyptum, & Lybiam attinent, loca calida ſunt, atque ſicca, exceptis & hic illis quæ mari adjacent locis, quoniam æſtate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus ſunt calida iis, quæ ad mediterranea receſſerunt. „ Itaque corpora Ægyptum ſuperiorem habitantium, calida ſunt, & ſicca, macra, ſqualida, duræ, nigræque carnis, quæ vero Ægyptum inferiorem ad Mediterranea verſus poſitam incolunt, ſunt temperatiora, etſi cælum & ipſi ſummè calidum, & ſiccum habitent, tamen, uti diximus, ex ventis eteſiis æſtate frigidum ſpirantibus, ex augmento Nili fluminis, ex potu aquæ aſſiduo, atque ex eſu frigidorum ciborum adſcititium hæc corpora nacta temperamentum ad temperatum inclinant, & proinde pleraque multo ſanguine abundant: Nonnulla vero, & ad frigidum, & ad pituitoſum: Hincque eſſe, in libris de medicina Ægyptiorum diximus, quod vel etiam in hac parte Ægypti complura corpora valdè pinguia, & carnoſa cernuntur. Nos vero ſpeciatim de temperamento corporum illorum egimus, qui habitant Memphim,

* In Tertio Aphor. Hippoc. Com. aph. 14.

phim, & cætera loca inferioris Ægypti ad mediteraneum haud ita longe poſita. Unde ipſorum temperamenta tripliciter diſtinximus, quippe in urbanorum temperamenta, quorum eſſe temperata, atque ad pituitoſum etiam in multis inclinare, esſeque propterea boni habitus complura, quædam vero nimis carnoſa, & pinguia ex cauſis nuperrimè dictis fieri. De Arabum ea loca habitantium temperamento, & habitu, diximus illos ad bilioſum temperamentum inclinare, proindeque ipſorum corpora eſſe macra, & urbanis ſicciora, & calidiora. Ruſticorum vero maxime omnium ſicca, dura, nigra, ſqualida, ac veluti uſta obſervari. Regio igitur Ægypti calida eſt, & ſicca, frigida tamen, atque humida frigiditate, humiditateque adſcititia ex cauſis ſæpius dictis, ut plurimumque ipſius conſtitutio eſt ſtabilis, eo tempore excepto in quo venti auſtrini ſummè calidi reſpirant, qui fere diebus quinquaginta continuè perflare ſolent, quo tempore aëris conſtitutio redditur maxime inæqualis, ac proindè non immerito plurimum morboſa, ut *in Libris de Medicina Ægyptiorum* exacte oſtendimus.

CAPUT XIX.

De morbis quibus Ægypti regio affligitur.

Cum morborum alii ſint communes, alii diverſi, quos Sporades Græci appellant, & communium alii regionem unam aut plures eodem tempore vexent, qui vulgares, & populares dicuntur, aliique aliquam regionem, vel provinciam, vel urbem perpetuo affligant, patrii, vernaculique nuncupati, vulgariumque quidam itidem pernicioſi exiſtant, & lethales, hosque epidemicos, ſeu vulgares peſtilentes medici vocant, utpote quando lethales morbi epidemice, ſeu vulgariter graſſantur, ita ut complures eodem tempore & invadant cujuſcumque conditionis homines, ætatis, & ſexus, & interimant: peſtilentes enim ii dicuntur à quibus ſpes vitæ in ægrotis tollitur:

maligni vero ſunt à quibus, ut Galenus * docuit, ægroti, etſi omnia opportunè agantur, ægerrimè ſanantur, vel qui periculum mortis minantur, ſpem tamen ſalutis non adimentes. Omnia vero hæc morborum genera in Ægypto obſervantur. Epidemici ſcilicet primo vulgares dicti, quorum variæ conſtitutiones ſæpius fiunt: modo enim innumerabiles angina detentos invenias, modo dyſenteria, quandoque tuſſi, ſynocho, interdum febre tertiana, quandoque ardente, & aliquando ephemera. Sæpe etiam Ægyptum peſtis invadit, quæ paucis omnino horis, ne dicam diebus plerosque homines cujusque ſexus, ætatis atque temperamenti interficiat, adeo ut anno MDLXXXI. Memphi, Cairive à Novembri ad Julium menſem uſque circiter quingenta hominum millia dira hac ſtrage obiiſſe conſtet, inter quos fuere octoginta millia virgines, omiſſis ſervis, pueris, Chriſtianis, Hæbreis, omnibusque illis, qui patresfamilias non ſunt, qui à Mauris minimè dinumerantur, ſed tantum qui alicujus auctoritatis ſunt, & virgines. Numerum vero exquiſitum cadaverum ſcire poſſunt Ægyptii, tum ex cuſtodibus qui portis præſunt, tum etiam ex eo quod patrum familiarùm mortuorum bona in Regem Turcarum recidant. Qui plura de peſte loca Ægyptia invadente ſcire deſiderant, legant noſtros libros de Medicina Ægyptiorum, in quibus de ipſa longe plura, & curioſius quidem diſputavimus. Morbi autem Ægypti patrii, ſunt herniæ, & ramices cujuſque generis: ſemper enim umbilici deligationis multiplex ſolutio vagatur, quem affectum omphacocelen Græci dicunt, & in inguinibus ramex, bubonocele dictus, maximeque in mulieribus, cum laxatur foramen illud per quod ligamentum uteri ad internam inguinis partem deſcendit, aut diſrumpitur peritoneum propter fætus magnitudinem, aut multitudinem. Nec non ramex inteſtinalis dictus, ſcilicet cum inteſtinum in ſcrotum devolvitur, anterocelen vocant; perpetuo vero vagatur omenti ramex epiplocele nuncupatus, atque hernia aquoſa, quam hydrocele itidem vocant, & flatulenta, & carnoſa ſarcocele dicta, varicoſaque. Quandoque vero hic affec-

* In primo Prorret. com. 14.

fectus eſt complicatus ex multis, ita ut in aliquibus deſcendat cum aqua flatus, aut ſimul cum omento inteſtinum, modoque aqua continetur inter membranam erythroidem & arthroidem, modo extra membranam. Herniæ vero carnoſæ adeo in Ægypto ſunt frequentes, ut magna illorum pars ipſis detineatur, ad eamque magnitudinem, & incrementum deveniunt, ut vitulum magnitudine æquent: quidam reperiuntur, qui ob id ſe erigere nequeant, qui ſi erigantur, & ſtent, ramices tamen ea ſunt longitudine, ut ii non erigantur, neque à terra attollantur, perpetuo augentur, nullisque medicamentis cedunt. Hujusmodi tres magnitudine inſignes mihi videndæ occurrerunt; qui his laborabant tres fuerunt, unus Turca, alter Judæus, atque tertius Ægyptius natione, qui quidem eas in ſaccis, & culcitris abſcondebant, ut primum pueros juxta illos dormientes eſſe exiſtimaverim, easque eſſe hernias non facile crediderim, herniæ tamen erant, & qui iis laborabant optima valetudine fruebantur, reliquoque corpore bene ſe habebant, ut nihil in ipſis cacochimi appareret, cum excrementa omnia ſuperfluentia eo delaberentur. Duos illorum herniis correptos ob hæmorroidum ſuppreſſionem referebant, unum vero ob errores in victu commiſſos. Mille aureos eorum unusquisque ſe daturum illi affirmabat, qui ipſos à ramice, tantoque pondere liberaſſet, quo ſemper cubare, nunquamque ſe erigere, aut incedere cogerentur. Nunquam tamen Medicus qui eas ſanaret, & non modo has, ſed ne minores quidem præſto fuit. Ex quo minime mirum eſt, Campſonem Gaurum Zuelem, ultimum Ægypti Regem, non longe ab Heliopoli cum Turcarum Imperatore commiſſo prælio ob ramicem carnoſam ex equo cecidiſſe, ſicque uno, eodemque tempore vitam, & tam pulcherrimum Imperium amiſiſſe. Ægypti rurſus morbi patrii itidem ſunt, qui oculos infeſtant, ut ipſorum oculorum dolor, pterygium, quod Arabes Ditrè vocant, non autem Zeber, ut Rondeletius aſſerit: phlyctena, oculorum ulcera, cicatrices, albugines, ſuffuſio, midriaſis, viſus obſcuritas, nyctalope, oculi procidentia, lachrymæ ægilops. Nec non ventriculi imbecillitas, intemperies frigida, ejusdem inflatio, dolor, nauſea, vomitus, ſitis immenſa, ap-

 pe-

petentia canina, cibi faſtidium, pica, ſingultus, cholera, morbus, morbique à flava bile ortum ducentes; quippe cauſus, phrenitis, dolores inteſtinorum, eryſipelata, ſacer ignis, herpetes, cutis defædationes, atque ulcera, duplexque ſynocha. Ægri ut plurimum ſunt inſomnes, ſitibundi, eaque ſiti infeſtantur, ut niſi continuo aqua iis offeratur, in animi deliquium incidant. Quin & ex ſanis multi, maxime vero mulieres ex iis quæ ſunt calidiori temperamento in eam affectionem incurrunt, ni aquam, & eam frigidam ad manus habeant, qua quidem, ut plurimum absque alio præſidio recreantur. Quod ſcientes Ægyptii, ſemper eorum ægris ut aſſiſtant curant, qui aquam paratam habeant, expertumque eſt apud eos, quosdam obiiſſe bilis vi os ventriculi, & præcordia petente, quibus aqua non fuerat in promptu. Alios vero tardius à lipothymia liberatos, & alios in febrem hecticam incidiſſe. Hæc omnia eveniſſe in hac civitate multos annos medicinam faciendo potuimus obſervare; juvenemque aliquando vidimus illuſtri familia natum calidiori præditum temperamento, febre bilioſa continua laborantem, ab Ægyptiis medicis inique tractatum variis profecto medicamentis, cum internis, tum externis refrigeratoriis, quippe decoctis, aquis cordialibus, ac variis epithematibus, quæ cum ad magnum illiusce caloris incendium nihil profuiſſe viderim, cum Arabe alio medico ego juſſi ut ter quaterque hora ſingula Nili aqua probè clarefacta copioſius etiam exhiberetur, quo potu ille, & ab eo calore febrili, & à ſævis aliis accidentibus fuit liberatus: unde fit, ut qui ægris temperamento bilioſis ejusmodi morbo laborantibus aquæ potum interdicit, eos proculdubio interficiat: ſitim enim in calida regione, & ſicca, uti eſt Ægyptus, nedum ſani, ſed quin etiam multo plus ægroti absque magna noxa ferre non poſſunt, ſicuti in noſtris regionibus ferunt. In ægris apparent horribilia ſymptomata, veluti ſunt ferina deliramenta, dementiæ, ſopores vigiles, inquietudines, anxietates, æſtus caloris intolerabiles. Morbi etiam, præter hactenus enarratos, patrii ſunt, elephas, qui & Galeni tempore vigebat, dico Græcorum, ſed non minus quoque elephantiaſis Arabum apud eam gentem graſſatur.

Iſti

Iſti habent pedes usque adeo magnos, duros, inæquali craſſitie, ut cogantur non pauci, iisdem capſulis ligneis impoſitis, magna cum difficultate ambulare, ſimilesque pedes magnitudine, craſſitie, & quadantenus figura pedibus magnorum Elephantum, unde hoc malum nomen invenit, apparent. Leproſi itidem ibi magno numero perpetuo in ea regione obſervantur. Adde albam vitiliginem, & nigram, quæ cutim ſeu nummi figura, & magnitudine occupat. Vitiliginem Arabes vocant Bach, eam inquam quam Græci Alphos dixerunt, unde ſicuti apud Græcos eſt Alphos albus, & niger. ſic Arabes vocant Bach Abiad, & Bach Aſued. Neque Morphea nomen Arabicnm eſt, ſicuti viri non pauci exiſtimaverunt, ſed ut dixi Bach, quem quidem diſtinguunt à Baras albo, quod Bach ſit in cute, & Baras in carne. Leuce eodem modo ibi in multis graſſatur, Alopeſia, Ptiloſis, Mirmeciaque. Unum non omittendum duxi, pleroſque laborare ſtomachi cruditate, & dolore, mulieresque dorſi dolore, quod cum ſciant Medici Ægyptii, licet ignari ſint medicinæ dogmatum, tamen cum vel domi, vel in via, ut mos eſt, petantur à multis an rectè valeant, tangunt pulſum in carpis manuum, & poſtea dicunt eos habere ſtomachum male affectum, & mulieres quæ præſertim carnoſiores, & pinguiores ſunt, dorſum atque uterum ægrum habere. Quod ideo illis vaticinium videtur, proptereaque illis medicis quicquid de medicamentis ad eos dolores dicunt, magna fide credunt. Totque affectus patrii ſparſi per urbem obſervantur; peſtilentes vero epidemici ſunt febres peſtilentes, variolæ peſtilentes, Dem el muia, id eſt phrenitis exitialiſſima duabus, vel tribus horis interimens, quæ quotannis ferè graſſatur epidemicè, licet quodam tempore plus, & aliquando minus. Est denique peſtis quæ ſæpe eam regionem, maximèque Cairum depopulatur. Qui horum affectuum cauſas cognoſcere cupiunt, atque alia etiam de iis curioſiora, dignentur legere noſtros Libros de Medicina Ægyptiorum olim in lucem editos.

Caput XX.

De Arabibus Ægyptum habitantibus.

Priusquam de Ægyptiorum ſcientiis ſcribamus, atque de religione eorundem (de qua quædam non injucunda dicturi ſumus) priori loco de Arabibus quoque ſermo haud injuria habendus eſt, cum hæc gens unà in Ægypto ſub tentoriis habitet loca, & plana, & montoſa, ſibique Ægyptiam arroget nobilitatem, ingenio, & armis longè Ægyptiis præſtet: ſunt homines agreſtes, feri, loca, ut dictum eſt, campeſtria, & deſerta, monteſque habitantes, ſub tentoriiſque degentes, qui propriè Arabes ſunt, à quibus Mahemetes ortus eſt, cum tamen Arabum nomen ita latius ſit, ut de omnibus Mauris quandoque intelligatur: iis præſunt Principes, quos campeſtrium locorum Reges appellant, qui quandoque in urbes fide publica veniunt. Dixi fide publica, quoniam Arabes, & Turcæ mutuo capitali odio ſe proſequuntur. Victum armis quæritant Arabes, mortem potius oppetunt, quam inhoneſtè vivant, dedecus ſummum æſtimantes Turcis ſeſe addicere, in quorum poteſtatem ſi qui veniunt, in ipſo vitæ extremo ne vocem quidem emittunt, nedum à morte liberari petunt. Domi eos mori turpe eſſe exiſtimant. Illum prædicant, qui armis, aut alia vi multos occidit. Eorum lege ſancitum eſt, ut ſi quis eorum dum cum hoſtibus congrediuntur, terga dederit, à ſuis interficiatur. Iidem mulieres, quæ non minus pulchræ, quam honeſtiſſimæ ſunt, prælium inituri, ſecum camelis ducunt, ut coram ipſis, qui audaces ſunt, audaciores fiant: timidi vero, animum ex earum præſentia recipiant: multique à mulieribus diſcedentes, inquiunt: Hodie aut Turcam ad vos captum adducam aut emoriar. Mulieres camelis conſcendentes in itinere lapidè molari farinam molunt, atque ex ea quotidie panem recentem focarium, quem Fitir appellant, conficiunt. Arabes vero ſe ipſos ſolos nobiles eſſe exiſtimant, nullumque magni faciunt, niſi illum, quem ab antiquiſſimis, & nobiliſſimis oriundum eſſe

cer-

certo ſciunt. Nulla arte, aut exercitii genere delectantur, præterquam armis. Ad Turcarum villas ſe conferunt, ut quicquid illis opus eſt, ab eorum agricolis extorqueant, qui eos adeo formidant, ut, quamprimum illos adventare ſentiant, hordeum pro equis, quibus & meliores, & majoris pretii nemo habet, atque cætera omnia ipſis neceſſaria parent, & quemadmodum ipſi ſibimet nobiles videntur, ſic nullum equum conſcendunt, aut emunt, niſi quem à nobilibus originem duxiſſe intelligunt. Equas maribus præferunt, tum ob futuram ſobolem, tum etiam quia eas ad labores magis aptas eſſe putant. Arabes ut plurimum ſunt corpore pulcherrimi, macri, graciles, agiles, leves, qui indiſcriminatim connubio non junguntur, ſed pulcherrimas uxores ſeligunt: Quod ſi quæ puella agreſtium illis placet, eam à patre petunt, quam niſi det, vi abripiunt. Equitandi peritia omnes & Turcas, & alios antecellunt. Haſtam teretem, longam equitando gerunt, cum qua mira arte cum hoſtibus præliantur, cum unus plures invadere, & ab iis ſe recipere conſueſcat. *Impetum vero Turcarum aliquando ob ignifera tormenta ſuſtinere nequeuntes*, ad montes, & deſerta loca confugiunt, ubi aqua minimè reperitur: unde Turcis ad aquam redire neceſſe eſt, alioquin ipſi, & eorum equi ſiti perirent: quod incommodi equi Arabum non patiuntur, tum quia laboribus, & triduo aquam non bibere ſunt aſſueti, & quod etiam ſi à triduo aqua deficiat, camelarum lac bibunt, ipſumque equis potui tribuunt. Camelæ vero quinque dies ab aqua abſtinent, quod in locis deſertis apprimè eſt neceſſarium. Nullum profecto animal illius magnitudinis invenitur, quod minus quam camelus comedat, & bibat, parum enim, & ſemel in die comedit, quatuor, aut quinque fabarum libræ ejus cibus ſunt, aut paleæ, aut herbæ virentes. Sexcentas, & octingentas libras ferunt, dumque onerantur, proni in terram oneri ſe ſubmittunt. Sed ad Arabes redeo, qui elegantiſſimi ſunt, ſummaque in illis ingenii ſuavitas deprehenditur, & quam in ſimili hominum genere vix credi queas: eorum vero humanitas quanta ſit, dici ſatis non poteſt. Hi venatione nimiopere delectantur, unde & canes optimos habent, accipitres,

atque

atque animalia rapacia quibus capiunt multos lepores, gazelas, cervos, onagros, juvencos ſylveſtres, agros, glires, muſtelas, volucres cujusque generis, & alia animalia, maxime autem animal quoddam pumile, cuniculo non diſſimile, quod Agnum filiorum Israël nuncupant. Quamvis autem ipſi ſylveſtribus animalibus abundant, ex quibus multa cicura educant, tamen eorum carnibus camelarum lac anteponunt, tum quod hoc animal quaſi venerentur, cum falſo credant Mecchæ camelam eorum prophetam Mahemetum allocutam, & quod male à ſuo Domino tractaretur cum ipſo conqueſtam fuisſe, idque eveniſſe inquiunt, ut ex Brutorum animalium quoque teſtimonio ipſum prophetam eſſe conſtaret, tum vel etiam quod præter alia emolumenta, quæ ex camelis capiunt, veſtes quoque, & tentoria ſub quibus degunt, ex iisdem habeant: ex eorum pilis multa fiunt, maximè vero pannus à quo ne vel etiam Principes abhorrent, nec minus quam ſericeum æſtimatur. Quod autem Arabes, & ingenio valeant, ex eo deprehendi poteſt, quod de ipſis dici poſſit, quod profecto veteres non pauci de Romanis poſteritati tradiderunt, quippe alias Nationes ſervitutem pati poſſe, populi vero Romani propriam fuiſſe libertatem, ſiquidem Arabes, magis quam Romani libertatem retinuerunt, quam quidem omnibus divitiis, omnibusque commodis ipſi prætulerunt. Hos per tot ſecula nullus unquam ſubegit, ne Romanus quidem populus, neque vel etiam Turcarum Imperatores, qui ipſos ipſorum imperio ſubigere tentantes, ſæpe Arabum vires fruſtra, & magna ſuorum clade experti ſunt, atque non ſine dedecore cum iis bello infeliciter geſto domum redierunt, neque eorum quenquam cepere, niſi dolo, & fraude. At contra Arabum extant multa facinora, & præclara, ut ſi idoneum ſcriptorem nacti fuiſſent nullis fortè rebus præclare geſtis judicarentur ſecundi. Inter multa, illud quod nuper accidit, dignum maximè memoria videtur. Agris Syriæ, Phœniciæ usque ad Babylonem in Aſia, per multa profecto ſecula Arabum Princeps viribus, & conſilio inſignis, antiquiſſimus, nobiliſſimus dominatur, qui centum millia Arabum ſub ſe habet, inter quos multi ſunt equites ſtrenuiſſimi:

mi: decem vero millia pro ejus cuſtodia ſelectiſſimi. Hic equas habet, quarum quælibet duobus millibus aureorum æſtimatur; illasque quas bello idoneas fore judicat, camelarum lacte tantùm, quarum quæque quotidie ad libras quindecim præbet, per unum, & alterum menſem nutrit, nihil aliud pro cibo, & potu iis exhibens, non hordeum, non herbam, non aquam: quo victu eæ adeo agiles, & promptæ ad omnia fiunt, ut non modo currant, ſed perinde ac volucres volent. Ab eo omnia loca circa Euphratem, &. Tigrim flumina occupantur. Hyeme verſus Babylonem, utpotè loca calida caſtramentatur. Vere autem, & æſtate inter Damaſcum, & Heliopolim. Omnes per ea loca transeuntes vectigalia perſolvunt, omniaque aromata, atque aliæ merces, quæ ex India in Syriam, Perſiam, Mediam, & Armeniam convehuntur, ei tributum dant, non minus quam faciant villæ omnes, atque vici: quod ni faciant, eorum filios Princeps ſurripit, eoſdemque obſides tenet, quoad, quod vult, ii perſolvant. *Ut hunc per inſidias Turcarum Imperator, quando vi non poſſet, caperet, Heliopolim venit in Syriam*, atque ei fide data, muneribuſque ad eum miſſis ſimulata amicitia, ita per Legatos cum eo egit, ut ad ipſum una cum filio robuſtiſſimo, in armis exercitatiſſimo, atque matre veniret. Cumque ii tres ad urbem acceſſiſſent, filius, & ejus mater ingredi recuſarunt (ſic aliquo numine inſpirante) dicentes neutiquam convenire Turcæ, natura infidi, fidei ſeſe omnes committere. Pater igitur ſolus urbem ingreſſus honorificè fuit exceptus, chlamyde aurea ab Imperatore donatus, aliquibuſque præfecturis datis, deinde diſcedens, ab aliquot in inſidiis poſitis occiſus eſt. Quo facto, cum ſe nihil feciſſe Imperator ſciret, niſi & juvenis filius, atque mater occiderentur, tria hominum millia extra urbem per varias portas miſit, ut utrumque occiderent. Quos conſpicatus juvenis, id ſuſpicans quod patri acciderat, matrem equo impoſuit, atque & ipſe equam conſcendens adeo ſtrenuè ſe geſſit, modo matrem ut feſtinans fugam arriperet compellendo, modo hoſtes repellendo, modo huc, modo illuc in matris, & nonnullorum ſuorum qui ſex numero non excedebant

L ſub-

ſubſidium occurrendo, ut illæſus triginta Turcas occiderit, matremque ſervaverit. Duæ equæ ſub eo ea die præ labore corruere, in quarum locum & tertia ei ad manus fuit ex ipſius ſervis: conſueſcunt enim in his regionibus omnes, non modo ad bellum ſed & alio proficiſcentes, plures equos ſecum ducere, quos aut pueri conſcendunt, aut alii manu ducunt. Tandemque Turcæ quoniam ipſum ad multum itineris fuerant ſecuti, eo deducti ſunt, ut metu multi in aquam ſe conjecerint: quod præclarum facinus hunc juvenem apud Turcas formidabilem reddidit: Turca autem ne continuè ejus loca ab Arabibus devaſtarentur, ipſi juveni ultro ſtipendia detulit, multorumque locorum præfecturam ei conceſſit. Hodie vero hujus gentis conſuetudo eſt, ut ad jusjurandum omnes eorum filios adigant, ne unquam locum muris cinctum ingrediantur, neque Turcarum fidei, aut juramento credant, cum revera omnium gentium, quarum memoria ad nos pervenit, ſint maxime perjuri, omniaque dicta inſidiis & perjuriis conturbent, & quemadmodum nullum vinculum ad ſtringendam fidem jure jurando majores arctius eſſe voluerunt, ſic hi nihil juramento majus ad decipiendum invenere, idque non modo publicè, ſed privatim. Hujus contrarium ſervant Arabes, ut nullus unquam fuerit inventus qui fidem violavit, quod noſtratum multi, qui ad Arabes ære alieno, aut alia de cauſa fugiunt, experti fuerunt. Adde hic aliud Arabum fortitudinis exemplum, quo illorum & fortitudo, & contra hoſtes pugnandi peritia, & ſtrenuitas melius intelligitur. Anno MDXXXI. quo tempore ego Cairum veneram, Arabum princeps alter (caput Arabum vulgus vocat) qui ei Ægypti provinciæ quam Sait vocant, cum aliis multis, dominabatur; huic Turca in ea provincia aliquot præfecturas locabat centum mille aureis in annum. Cui tamen aut parum, aut nihil ſolvebat, neque Rex Turcarum tota ſua potentia ipſum ſubigere potuit, neque à præfecturis, & dominio illorum locorum depellere: ſi enim maximis viribus ipſum quandoque oppugnare tentaret, ille ad deſerta, & montana fugiebat, ubi vero aliquando cum Turcis congrediebatur, magnam inter ipſos cædem faciebat. Hinc Turcarum Rex ipſum magno

odio

odio habuit, attamen cum impoſſibile ei videretur ut in poteſtatem habere poſſet, ad Turcarum proprium divertit, ſcilicet ad inſidias, quibus per aliquot annos miniſtris Proregibus Ægypti uti cæperat. Quisque Prorex ſtatim cum in Ægyptum veniſſet, omni arte, atque ſtudio conabatur, blanditiis, & muneribus illi perſuadere, ipſum Turcarum Imperatori eſſe cariſſimum, eundem plurimum ſuis virtutibus tribuere, & venerari, & cupere eſſe illi amiciſſimum: quod cum per multos annos diſſimulato odio à multis ſuis Proregibus magnâ dexteritate fuerit actum, tandem Eunuchus Aſſan Baſſa Pro-Rex Ægypti, quod Proreges egerant, ipſe abſolvit, perſuaſit enim tandem Arabum Principi Turcarum Imperatorem ipſum plurimi facere, & amare, ejuſque amicitiam maximé expetere, atque ita Pro-Rex cum ejus Legato, qui ipſum nomine Arabum Principis viſitatum venerat muneribus, & ſimulata amicitia ita amicè egerat, ut ſuus Legatus Chiagia vocatus non amplius ſuſpicatus dolum, ſuo Domino perſuaſerit, ut Proregem *Ægypti ſecurus Cairum* viſitatum veniret: qui credens ſuo Legato, venit, & cum Bulach ſuburbium Cairi pervenisſet, in Nilo flumine offendit multos Chiauſos in ornatiſſima navicula ſedentes, qui ſimul comedere fingebant, invitatusque ut ſecum accumberet (ſummum enim eſt dedecus in Ægypto à prandentibus, vel cænantibus quendam invitatum ſaltem non ſimul ad menſam ſedere) equo illico deſcendit, ſoluſque multis ex ſuis in litore relictis cymbam ingreſſus, ac cum ipſis ſimul ſedens, ab iis, & ab aliis qui in inſidiis ſtabant (erant enim qui in inſidiis locati fuerant ad duo millia ſparſim in variis locis latentes) ſubito comprehenditur, qui cum ad ſuos qui erant àd triginta in litore fluminis exclamaſſet, ſtatim illi equis ſuis Nilum ingreſſi ita ſtrenuè in ſui Domini auxilium ſe pugnando geſſerunt, modo cum illis qui in cymba ſuum principem ligatum tenebant, modo alios Turcas illuc contra ipſos venientes repellendo, ut è manu illorum Arabem vi magna, multis in cymba occiſis eriperent, qui cum illis equam ſuam conſcendens ita viriliter haſtis adverſus Turcas ſtrenuiſſimè pugnavit, ut quinquaginta occiſis, illæſus cum ſuis in deſertum proximum

fuga ſe receperit. Hic poſtea juſta ira contra Turcas inflammatus, quoſcumque Turcas habere exinde potuit, omnes trucidabat: vixque Prorex diſſimulans hæc non ejus juſſu Turcas feciſſe, conceſſis illi antiquis præfecturis, atque novis etiam tributis ſibi denuo ipſum reconciliare potuit: qui tamen, & alii Arabum Principes poſthac nunquam infidæ Turcarum fidei ſe committere amplius voluerunt. Prorex Aegypti loca campeſtria omnia Arabibus quibusdam quodam pretio locat: Turcæ enim non audent Arabum timore præfecturas illarum villarum, & vicorum à Prorege locatione accipere: quos Turca cogitur Arabibus locare, quorum pauci ſunt qui illi debitas pecunias perſolvant, neque tamen ii ad ſolvendum, niſi ſponte velint, à Turca cogi poſſunt, neque minus Prorex ab ipſis eas præfecturas auferre poteſt: ſunt tamen aliqui qui ſponte, etſi non totam debitam pecuniam, ſaltem partem perſolvant. Turcarum vero Imperator non poteſt vel totis ſuis viribus eos ſubigere, quoniam ipſi ſi ſuas vires ſimul conjungant, plusquam centum millia equitum armatorum habebunt qui in armorum ſtudio ſunt exercitatiſſimi. Qui, ſi Turcæ potentia Arabibus major viſa ſit, ad ſolitudines, & montes fugiunt, ad quæ loca Turcæ eos perſequi nequeunt, quod, uti etiam dictum eſt, ea loca aquam non habeant. Et hæc obiter de Arabibus à nobis dicta ſint.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De ſcientiis quibus Ægyptii delectantur.

Ægyptii diſciplinarum ſtudiis, ut nos etiam in libris de Medicina Ægyptiorum tradidimus, maximè delectantur. Primum enim Linguæ Arabicæ, Perſicæ, atque Turcicæ operam dant. Nec non variarum diſciplinarum ſtudiis, quippè Logicæ, quam Mantich vocant, Philoſophiæ, Metaphyſicæ, Rhetoricæ, Theologiæ, Mathemathicæ, Magicisque etiam ſcientiis generis cujusque. Arabicæ verò eloquentiæ plurimum ſtudii adhibent, pro quo ſtudio complures libros conſcriptos habent (ibi libri omnes ſunt manuſcripti, nondum enim Ægyptii libros imprimere noverunt, aut voluerunt, quod illorum innumeri vivant libros tranſcribendo, proinde Imperatoris juſſu libri in Ægypto typis non mandantur) qui tamen magno labore inibi inveniuntur, præſertimque de eloquentia compoſiti. Duos (ut nos obſervare potuimus) ad tyrones vulgatos habet, quorum alter Agiromia dicitur, qui regulas eloquentiæ continet, & alter verborum declinationes proſequitur, hunc Jesrif appellant. Duo vero alii habentur pro eruditioribus, quorum unum Caphie, atque alterum Mogni appellant. Dictionaria quoque complura vidimus, quorum unum maximum eſt, abſolutiſſimumque Chamus vocatum, quod ſexaginta aureis venditur. Alterum Sahael Giauhari nuncupatur, aliud Mocreb, aliud Giemat el-Logha, hoc eſt verborum collectio, vocatur. Jacobus Manus Salodienſis, qui ante me ſeptennio magna cum laude Medicinam apud Nationem Venetam fecerat, vir in lingua Arabica etiam doctiſſimus, quem ego Cairi offendi, retulit aliquando mihi ſe habuiſſe Arabicum Dictionarium omnium nominum quæ uſui medicinæ facerent, ipſumque Latinitate donaviſſe, additis

ab ipſo nonnullis obſervationibus, ut ſtudioſorum animos ad majora excitaret, tum ut nomina Arabica quæ in Serapionis, & Avicennæ indice ex Bellonenſe depravata leguntur, emendarentur, quando illorum ne verbum quidem à noſtris prolatum Arabes intelligant. His addo, ut de Arabum litteris aliquid in ſtudioſorum gratiam proferam, ipſos habere litteras principales tantùm numero ſeptendecim, ex quibus deinde additis modo ſuperius, modo inferius punctis, tot alias conſtituunt, ut omnes ſint viginti novem, quas ex ſeptendecim locis educi volunt, at illis ommiſſis in quibus nobiscum conveniunt, in ſex remanet difficultas, quas gutturales vocant, quæ niſi à gutture proferantur, & ex earum parte propria, minimè intelligas quod dicitur, ſenſumque, & ſignificationes evariant. G. igitur habent, & gutturale, & non gutturale, quod ut noſtrum ſcribitur. Gutturale vero hoc modo ſcribitur Gha. H. triplex habent, omnes gutturales, quæ in hoc differunt, quod unum à pectore educitur, quodque ſic ſcribunt He: alterum paulo à gutturis medio inferius, quod hoc modo ſcribam HA: Tertium vero à gutturis medio, quod ſic invenies HH. Addo etiam hoc modo ſcribi CH. quæ littera & ipſa è gutturis medio educitur. Sexta itidem eſt pectoralis, quæ à principio quidem pectoris effertur, quam ſuo charactere ſic ſcribam C. omitto, quod ipſi habent triplex T, triplex D. atque triplex S. Hoc ſolum addam quod thita græcum hoc modo ſcribam TH, cum & illud habeant. Atque hæc pauca de Arabum litteris obiter in ſtudioſorum gratiam dixiſſe voluimus. Redeo nunc ad id à quo paululum diverteram, quippè ad ſcientias quibus Ægyptii maxime delectantur. Dixi aliàs cum de templo Cairi celebri ſermonem inſtituerem, quod vocant Gemelazar, in eo univerſalem fere omnium diſciplinarum Academiam magnis ſumptibus ali, in qua Profeſſores, atque ſtudioſi, victum, veſtitum, & ad libros etiam, gratis nutriuntur. In hoc inquam celebri Gymnaſio omnes diſciplinæ docentur, quippe logica, naturalis, & ſupranaturalis philoſophia, Rhetorica, Mathematica, Medicina, & Magia tum naturalis, tum ſupranaturalis: ſed omnium maximè aſtrologiæ judiciariæ

dant

dant operam, atque artibus omnibus divinatoriis, cujuſmodi eſt phyſionomia etiam eodem modo, quo philoſophi ex faciei præſertim lineis, & aliis accidentibus ipſam tractare ſolent, & Chiromantia ex manuum lineis, quæ divinandi occaſionem præbet. Omnibus vero præferunt Geomantiam, quæ ars ſupra punctorum varios, quæ ab ipſis formantur figurarum aſpectus, ſuum habet judicium, quam eo certiorem per eas punctorum configurationes fieri exiſtimant, ſi cæleſti ſchemati (vulgus geneſim vocat) Aſtrologica arte ſupputato illius de quo, ſive in cujus gratiam Geomantica figura facta eſt, fuerit conformata. Sed quid de Necromantia arte dicemus? omnem illius ſpeciem in Ægypto abunde, neque clam exerceri, qua, mira quidem, & ab Ægyptiis, & ab aliis fieri deprehendimus. Habent ad eam artem docendam varios libros, ſed præſertim, quem vulgariter Solomonis Claviculam appellant. Plurimum admiranda ea arte à quibusdam præmonſtrata fuiſſe ex quodam Reverendo viro (cujus alias meminimus) ſæpe audivimus. Hic vir in omnium diſciplinarum ſtudiis doctiſſimus, maxime delectatus fuerat iſtiusce vaniſſimæ, & Diabolicæ artis cognitione: aliquandoque faſſus eſt amore iſtius artis ſe in monte Libano cum aliis moram traxiſſe, ad eamque artem perdiscendam, & tractandam biennium conſumpſiſſe: quo tempore cum ab uno ſociorum, qui toto illo tempore inibi cum ipſo fuerunt, & liber, & multa ad id parata inſtrumenta fuerint ſublata, qui una cum iis in Indiæ loca fuga arrepta quaſi pervolavit; inde fuit coactus illinc diſcedere, à quo cum in Ægyptum ſeceſſiſſet, & fortè eum ego medicinæ cauſa, quod in morbum ibi incurrerit, cognoverim, & tandem mihi admodum familiaris evaſerit, plura, non absque tamen magna admiratione ab eo de hac arte accepi. Hic vero poſtquam & in Ægypto, & alibi magnos labores, atque ingentia pericula paſſus fuit, tandem prorſus ea arte derelicta, eamque maximè deteſtatus, ubi plurimum pænitentiæ ob id agendo de illiuſce peccato apud Deum ingemuerit, in Æthiopiam ad Abiſſiæ Regem profectus eſt, qui an incolumis illuc pervenerit, an in itinere perierit, nondum certè cognitum

tum fuit. Dubitandum potius, ut à quibusdam relatum fuit, fame, & ſiti, in ſitientibus iis locis deſertis miſerè ipſum interiiſſe. Sed ad Ægyptios redeo, qui plurimum iſtius artis vanitate delectantur: ita enim quibusdam imaginibus etiam aſtronomica arte confectis, atque characteribus fidunt, ut innumeri ferè ſint qui in ea urbe vivant ſolis ſigillis, quæ illa arte faciunt, quæque ad varia deliramenta Ægypti indigenæ coëmunt, præſertimque ad morbos tollendos, quando credant ferè omnes morbos ea arte hominibus induci, unde & ad ſe ipſos à morbis præſervandos, atque non minus etiam ut ab iiſdem divexati liberentur, varia ſigilla ea arte comparata geſtant, atque ipſis variis modis utuntur. Sunt qui vendunt Veneris ſigillum ad amorem alicujus acquirendum. Alii Martis geſtant, ut in bello evadant fortunati. Alii Jovis ad divitias acquirendas, & ad honores: alii Saturni: alii Mercurii: alii Lunæ ad ſimilia deliramenta. Quid amplius? An non faciunt ſigilla ad mures, ad cimices, ad pulices culicesque, ſcorpiones, phalangia, atque ad ſerpentes non minus fugandos. Plerisque Ægyptiorum creditum eſt, ob Crocodilum ea arte cum variis characteribus olim ab aliquibus Magis confectum, atque ſupra Memphim meridiem verſus unius diei itinere in Nilo flumine ſepultum, Crocodilos non amplius potuiſſe ultra eum locum in quo Crocodilum Magicum ſepelierunt transire, atque hinc eſſe quod Crocodili, ultra eum locum in Nilo flumine verſus Cairum, & exinde Damiatam, atque Raſſitum verſus non viſuntur, neque familiarius converſantur, ſicut ſupra Cairi locum (in quo dicunt illum Crocodilum Magicum ſepultum olim fuiſſe meridiem verſus in Regno Sajetico, atque Thebaico) facere ſolent, ita enim in iis locis copioſi vivunt, & familiares ii ſunt, ut neceſſe ſit & in flumine, & in lacubus, & in terra homines, animaliaque ſibi multam curam habere, ne ab ipſis interimantur, atque eſitentur. Sed de Crocodilis poſterius longè accuratius ſcribemus.

CAPUT

Caput II.

De Mahemetana Religione, atque de Lege in qua plerique Maurorum vivunt.

Jam certè in Ægypto, ut veteres tradiderunt, Bos capite albo non adoratur, non Apis, non pecus, ut Sahit olim conſuevit, neque latus piſcis, ut Jacopoliti populi faciebant, neque Lupus, ut Licopolis, nec Canis, ut Cynopolis, non Capra, ut Mendeſii, non Arena, ut Atribiti, non Crocodilus, ut Arſinoe, non Ichneumenes, ut in Herculis urbe, non Oxirinchus, non Pan, non Minerva, non Lucina, non denique alii antiquorum Dii. Hos enim gens Ægyptia minimè eſſe Deos exiſtimat, antiquorumque Ægyptiorum, qui ſimilia animalia, & alia pro ſuis Diis quodam tempore coluerunt, maximè nunc reprehenſione dignos putant. Hujusmodi vero Deos quondam habuiſſe, & à multis veteribus traditum nobis eſt, atque argumento ex conditis corporibus vulgo Mumiis vocatis, de quibus in primo libro ſcripſimus, hoc idem confirmatur, quod ſcilicet ſingula ea condita, ſeu medicata corpora, intra pectus figuratum animal, quod pro Deo olim habuerunt, contineant. Non igitur hæc Ægyptus hac ætate pro Diis colit, ſed unum Deum adorant, Sacroſanctæ Trinitatis individuas perſonas negantes Ægyptii: Chriſtianos vero tres Deos colere cenſent, & quanquam Evangeliis aliquam fidem adhibeant, Chriſtumque Prophetam, atque Dei Spiritum eſſe fateantur, tamen Dei filium, verumque Deum impiè negant, Mahemetemque verum Dei Prophetam, omniumque maximum, ac ultimum, falſò aſſerunt, cujus nomen ex Evangelio nos deleviſſe credunt; Bibliorumque libros, quos Thorat nuncupant, credunt, nec non David Pſalmos, quos vocant Zabur. Qui tamen Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, aut Beatiſſimam Virginem ejus Matrem, alioſque Sanctos blaſphemare au-

ſus fuerit, ſeverè plectitur. Eorum etiam lege ſancitum eſt ut nullum Hebræum in fide recipiant, niſi prius Chriſti fidem receperit. Quinquies in die adeo devotè orant, ut venienti Pro-Regi non aſſurgant orantes : Deum ſemper laudant; nulla in ore illorum ùnquam blaſphemia audita eſt. Summa inter ipſos concordia eſt, qua profecto res ſuæ creſcunt, nullumque inter eos homicidium niſi à latronibus committitur. Qui vero hæc verba digito indice elevato protulerit, Quippè non eſt Deus niſi Deus, Mahemetes eſt propheta ejus, Maurum eſſe vi compellunt. Ex eorum lege ter in die alterius legis homines, admonere, rogareque ut in eorum pſeudoprophetam credant, tenentur : quod ſane mordicus ſervant. Apud hos, quatuor uxores legitimas accipere licet, licetque & ſervas innumeras pro uxoribus habere, ex quibus ubi filios ſuſceperint, neque eos, neque matres amplius vendere poſſunt, ſed manumittere coguntur. Filios vero tam ex ſervis, quam ex uxoribus legitimos ex lege habent. Conjuges uxoribus, non uxores maritis dotes dant. Summum jusjurandum exiſtimant cum dicunt : Remittere, uxori mihi contingat, ſi ita eſt, ſi hoc faciam, adeoque apud eos ſolemne eſt, ut qui id non ſervat, ut perjurus ſeparatione ab uxore puniatur. Quod ſi quis à ſeparatione mulierem rurſus accipere voluerit, id non conceditur, niſi prius cum alio ea cubuerit, quam infamiæ notam, ut effugiant, ut cum puero coeat, efficiunt. Triginta dies in annum (de quo jejunio poſtea) jejunant, nihil tota die, neque bibentes, neque comedentes, ſed noctu omni eduliorum genere ſe ingurgitant. Principio dum Mahemetes leges inſtituit ſuas, quatuor ejus aſſeclas prohibuit, quippe animalium primum cujuſque generis ſponte occiſorum, ne ſanguinem comederent : omnia animalia aquatilia, quæ in terra ſpiritum, & vitam ducere valent, ſcilicet amphibia à Græcis dicta, ſicut cancri, teſtudines, & hujusmodi alia. Omnia itidem à quibus natura humana abhorret. Deinde cum inter ejus domeſticos ob vini temulentiam homicidium fuiſſet perpetratum, eisdem & vinum interdixit

hac

hac conditione, ut eo cocto uti liceat, aut ſolo, aut cum aromatibus. Idcirco omnes aquam ex lege bibunt, aut vinum ex dactylis, aut ex paſſis, aut quid ſimile. Habent, & leges quibus populum gubernant, quæ quatuor ſunt generis, Saffei, Malachi, Hhnefi, & Chanefi. His quatuor tot legum periti in quacumque urbe, vel oppido præficiuntur, quorum conſilio utriuſque juris lites dijudicantur, nec rem in dies trahunt, ſed tribus diebus vel damnant, vel abſolvunt, nullis tamen intercedentibus Cauſidicis, Advocatiſve: lites enim ibi non ab Advocatis tractantur, ſed ab iisdemmet ad quos lites pertinent coram judicibus res tractantur. Unde non eſt, ut Cauſidici Ægyptum lucri cauſa petant, quando ibi ipſorum eloquentia nihil poſſit, cum aliis, quam illis ad ad quos res attinent, cauſas tractare coram judicibus non concedatur. Qui vero alteri diem dicit, atque in jus vocat, quod petit, hoc triduo teſtibus, aut ſcriptis probare debet: ſin minus, cauſæ jacturam facit. Inſuper eorum lege cautum eſt, ne ſcorta admittantur, quæ ſi comprobata fuerint, mulieres lapide ad collum appenſo in aquam immergentes interimunt: eas enim quando ſi cum aliquo cubuiſſe, remque habuiſſe compertum habeant, nulli miſericordiæ locus apud judices eſt, quin eæ aqua ſuffocatæ moriantur: Chriſtianis vero, atque Hebræis, ſi cum Turca, ſive cum Maura de ſcorto convincantur, igne ſuppoſito exitium pro pæna ſtat; neque mortem effugere ullo pacto queunt, ni fidem renuerint, & Mahemetes Legem acceperint. Teſtes falſos vel minimo pretio ibi invenias: quo fit, ut noſtrates in Ægypto aut mercaturæ, aut peregrinationis cauſa moram facientes, à Turcarum Imperatore petant, ut ſibi per eum liceat in ejus regno manere, non tamen à quolibet judice lites quas cum Mauris habent dijudicari, ſed tantum in urbe Metropoli coram Rege, ſicque cum Mauri litem noſtris inferre volunt, è converſo Actorem Byzantium vocant, quo adire cum unicuique haud facilè ob ſumptus immodicos ſit, litem illi relinquunt, atque ita noſtri ab omni faſtidio liberantur.

rantur. Inſuper à Rege id quoque obtinuerunt, ne contra noſtros Mauri, neque Chriſtiani, neque Hebræi illiuſce regionis examinati quicquam valeant: Quo fit ut Noſtri nunc quietius in Ægypto vivant, quam antea, quo tempore cum has leges à Turcarum Rege nondum obtinuiſſent, undique illis inſidiæ paratæ erant. Mulieres templa ne ingrediantur, lex vetat, nimirum propter ipſarum immunditiem id fieri inquiunt, quamobrem neque ipſas dignas fieri, ut poſt mortem Paradiſum ingrediantur, ipſoque fruantur: ſed earum animas extra Paradiſum in quibusdam locis amœnioribus eſſe manſuras, juxta quæ loca & Chriſtianos, qui propter infidelitatem haud digni Paradiſo facti ſunt, unà manſuros credunt. Quo ego aliquando à quadam nobili muliere Turca perſuaſus, ut Mahemetis fidem reciperem, Mauruſque fieri vellem, ſic reſpondi; Cur vis me tuam ſectam recipere? cui reſpondenti: ut poſt mortem Paradiſum ingrediaris? dixi: melius erit me extra Paradiſum cum mulieribus unâ manſurum, quam cum viris Paradiſum ingredi, quando ſic jucundius fore mihi ſperarem cum Mauris mulieribus pulcherrimis extra Paradiſum manere, vivere, atque cum ipſis eximiam voluptatem percipere. Quibus auditis, Turca rem in riſum ſolvit, & nunquam amplius auſa eſt mihi ſuam legem commendare.

CAPUT III.

De orandi modo quem Mauri obſervant, atque de Viris Mauris Religioſis.

Quinquies in die, ut diximus, Mauri devote orant, omniumque maximè die Veneris, quem diem veluti feſtivum plurimi venerantur. Mirum certè eſt quod Alexandrini ea die faciunt, namque, quod illis fuerit quondam à quodam viro (ut ajunt) ſancto prædictum, eam urbem rurſus Chriſtianos exteros die Veneris capturos, eo timore com-

pulſi

pulſi eo tempore quo in Templis ea die orantes morantur, claudunt omnes Italos, Gallos, Anglos, & alios omnes Chriſtianos exteros intra ſuas ædes mercatorias, ſecumque claves retinent, neque ante orationem finitam ſinunt ipſarum aedium portas aperiri, eosque domum egredi, idque faciunt quod ab ipſis timeant ne eo tempore quo ad orandum ſunt occupati, urbs capiatur, è Turcarumque Imperio adimatur. Habent & Mauri complures religioſorum ab ipſis cætu comprehenſos. Primum, ex iis quidam ſunt, qui ſacra adminiſtrant, Mahemetis Legem interpretantes, pſalmos canentes, & aliis modis in Templis ſervientes, qui uti & noſtri Presbyteri magnos reditus habent quibus commodè vivant. Hi uxores, ut alii homines ducunt, atque etiam ſervas pro uxoribus multas habent. Habent & Monachos habitantes in Cænobiis longius ab hominum commercio poſitis (Dervis hos vocant) qui vitam cœlibem ducere profitentur: omnesque litterarum ſtudiis operam dant, præſertimque Philoſophiæ, atque Theologiæ. Habent viridaria amæniſſima, in quibus tota die morantur, varios libros legendo. Unum cænobium extat extra urbem paulò infra locum, qui Sbechie nuncupatur, in quo habitant monachi ferè quadraginta, viri ſanè perhumani, præliberales, atque noſtris Chriſtianis perquam familiares, qui inter omnes doctiſſimi ab omnibus æſtimantur. Illi vero & Dominico à Rege Nationis Venetæ Chirurgo, & Pharmacopeo, atque mihi Medicinæ cauſa fuerunt, dum inibi viximus, admodum familiares: libentiſſimè diſputant, atque etiam de Mahemetes vita, & lege, atque liberè cum iis ſæpius de multis diſputare potuimus. Mirum certè videtur, illos (etſi Mahemetanam ſectam ſequantur, ut ipſorum aliqui mordicus eam ipſam teneant, ac defendant) eſſe variarum opinionum: nonnulli Atheiſtæ videntur: alii diſputant de mortalitate animæ inſiſtentes Epicureorum dogmatis: alii piè immortalitatem defendunt: complures ſponte Chriſti fidem Mahemetis ſectæ præferunt, vitamque & mores obſcenos Mahemetis maximè deteſtantur, adeo ut non pauci fateantur ipſum neutiquam Deum Optimum

mum Maximum ſibi amicum habere potuiſſe, quinimò potius Deo ſuis pravis moribus, atque vita execrabili maximè inviſum eſſe oportere. Hi cum egrediuntur Cœnobium ſinguli bini ſimul ſemper ambulant, rarò per urbem, ſed loca ferè ſemper ſolitaria frequentant; ſemper ſecum geſtant librum legis ipſorum, quem Alcoran nuncupant. Tertio plures ſunt, quos Mauri Siech vocant: Noſtri, Santoni. Siech nomen Arabicum hominem quaſi ex ſanctitate, atque ex inſania mixtum exprimit. Hi per urbes, oppida, & villas ſolummodo uno indufio ex panno lineo veſtiti diverſantur, tanta vivendi libertate, ut quæcumque facere ad libitum, vel injuſta, vel inhoneſta illis permittatur, nullumque improbitatis genus reperitur, quod ſi libet non faciant. Ubicumque panem, carnem aſſatam, eduliaque in foro offendunt, liberè iis veſcuntur absque impendio; ad libitumque omnia quæ volunt, gratis comedunt: quin imo tantum abeſt, ut qui vendunt, hæc ad victum de iis ſua comedentibus conquerantur, ut potius Deum ſummè laudent, quod Vir ſanctus dignetur apud ipſos ali. Iſti etiam Sanctones mulierem quamlibet, quam in via offendunt, ſi placet, aliquò manu ducunt, & coram hominibus cum ipſa omni pudore poſito, ut beſtiæ, coeunt. Quæ mulieres, vel etiam ipſarum conſanguinei, minimè de eo actu illicito conqueruntur, ſatis illis eſt dixiſſe, illi parcendum eſſe, quod vir ſanctus ſemiinſanus ſit. Unum ex iis à prima die in qua urbem Cairi ingreſſus ſum uſque ad meum diſceſſum ſemper habui infeſtiſſimum, ut ferè ſemper in ea maxima urbe ubique locorum ipſum offenderem, à quo ſemper aliquid moleſtiarum, & contumeliarum accipiebam, atque ita aliquando, ut mihi inſidiæ illius cauſa à Maratris facilè paratæ fuiſſent, niſi Prætorianum militem ſecuritatis cauſa mecum habuiſſem, cujus bactria ipſe timebat: Nonumquam miracula coram multis me vidente facere inſtituit, quod ut faceret, fruſtum terræ manu altera accipiebat, populoque ipſum oſtendens petebat quid id eſſe ipſis videretur, qui cum ſtatim terram eſſe ſinguli reſpondiſſent, continuò oculis ſuſpectans cœlum, quædam ore ſuſurrando aſtantibus inquit: Verum

rum quidem reſpondiſtis iſtud terram eſſe, ſed qui noſtro Prophetæ Mahometi fidem habuerit, me orante, in ſaccharum mutabit, atque ita eo modo quo circulatores decipere ſolent, loco terræ quam oſtenderat, ſacchari fruſtulum illis tandem oſtendit. Quod miraculum cum omnes magno clamore laudaſſent, ad me converſus ait, quid tibi videtur? cui cum reſpondiſſem optime factum, & magnum meritò videri miraculum, & intellexiſſet me ejus deceptionem rectè perſpectam habere, ut me ignominia aliqua afficeret, detracto induſio, pudenda mihi detexit, magnasque hernias, quæ ex cole turpiter pendebant. Ego vero tandem antequam Cairo diſcederem, fortè cum quadam die ipſum in Hebræorum via ſolum offenderem, usque adeo pugnis deverberavi, pedibusque proculcavi, ut talem memoriam ſic de me ex Ægypto abeunte illi reliquerim. Demum non pauci in deſerto proximo ſunt ex Mahemetis aſſeclis, qui Eremum religionis ergo incolunt, ibi vitam aſperrimam ducentes, perinde atque ex Chriſtianis multi ita vivunt Deo toto ſpiritu ſervientes. Miſeri quidem, & iterum miſeri, qui cum in hoc mundo vitam miſerrimam ducant, poſt mortem quoque luent pœnas ſuæ infidelitatis: quod eo miſerius videtur, cum vitam innocentiſſimam vivant, ſemper admirantes mirabilia quæ fecit Deus, & ipſum collaudantes, laudesque perpetuò canentes, & aſſiduè orantes, jejunantes: Quam erga etiam Chriſtianos benigni, humanique ſint, ſeque nobis præbeant, dici ſatis non poteſt, atque ego ipſorum eximiam benevolentiam ſæpe cum iis verſatus expertus ſum. Deus illorum ignorantiæ miſereatur. Habent Mauri omnes quovis anno jejunium triginta dierum, quod vocant Rhamadam, in quo nihil in die, ſcilicet ab ortu ſolis, usque ad occaſum, comedunt, nihilque bibunt: Nocte vero tota edulia varia ingurgitant plebei. Non pauci vero nobilium etiam noctu ſeverius jejunium quam alii multi faciant exequentes, modicè & comedunt, & bibunt. Aſſiduè noctu orant, collaudantes Deum magnum, & ſuum Prophetam Mahemetem. Singulis ferè duabus horis turres aſcendunt Sacerdotes, mirum in modum

Deum,

Deum, ut dixi, collaudantes. Alius vero ex Sacerdotibus ſingulis ferè horis noctis in vicis ſingulis urbis cum multis inſtrumentis muſicis mutum, ſurdumve, atque ingratum ſonum edentibus, & clamoribus populum excitant, ut audiat ſuas clamoſas orationes ad Deum magnum, quem vocant Allacubar, & ad Mahemetem, quem itidem vocant Reſul Alla, & Abibi Alla, id eſt Dei prophetam, & Dei amicum: poſtea hortantur Mauros audientes cavere à peccatis, & rectè ſecundum ſanctam Legem Mahemetis ut vivant, & quæ præcipuè debeant in ea ſervari ab ipſis particulatim exprimunt, inter quæ præcipuum illud eſt, ut viri ſuis Uxoribus ſatisfaciant: quod mulieres audientes ſi tunc ipſarum mariti dormiant, illicò eos expergefaciunt, dicentes, Com, Com; id eſt, ſurge, ſurge, & audi præcepta legis. In Templis ſingula unaquaque nocte publicè Sacerdotes Theologi concionantur, quam ſane concionem plerique Maurorum, maximeque Nobilium, quos vocant Chiclebi, aſſiduè frequentant, habentque Concionatores doctiſſimos, qui inſtituunt diſſertationes elegantiſſimas, & utiliſſimas pro illorum ſecta, & comprobanda, & confirmanda. Mirabile dictu eſt quot, quantæque Lampades in tota Urbe noctibus iis accenduntur: usque adeò enim iis luminaribus, quæ non habent numerum, nox clara redditur, ut non minus quam die homines noctu Templa adire queant. Habent, & inter dies præcipuè feſtivos quosdam in quibus faciunt commemorationem Sacrificii Abrahami. Vocant hos dies Baieram; unusquisque qui poteſt occidit illa die arietem, vel agnum, vel vervecem in illius ſacrificii memoriam, unde innumera in parietibus domorum, atque in oſtiis manuum hominum ex ſanguine occiſorum animalium conſpurcatarum veſtigia à multis relicta. Hæc ſufficiant obiter dicta de iis, quæ ad Mahemetanam ſectam faciunt. Nunc de vera in Deum religione, quam ibi Chriſtiani ſervant, ſermonem inſtituamus.

CA-

Caput IV.

De Chriſtianis qui Ægyptum habitant, & primo de Græcis.

EX Chriſtianis Ægyptum habitantibus, primo loco dicemus Græcos, qui habent pro ſuis Sacerdotibus Caloyeros, quique & Alexandriæ, & Cairi, & in Monte Synai nunc vivunt, ſeparati à Romana Eccleſia, quod ſchiſmatici ſint. Illorum Patriarcha olim Alexandriæ reſidebat, nunc Cairi manet. Vivunt vitam innocentiſſimam, aſperrimamque, fere ſemper jejunantes, magnaque devotione, ſanctitateque cultum divinum exercentes. Ex iis Sergius & ipſe unus fuit, qui cum non, ut in ejus fuerat optatis, in Patriarcham Alexandriæ à ſuis Caloyeribus eligeretur, iratus, Mahometanæ ſectæ auctor præcipuus creditus eſt. Ipſe enim fuit qui Mahemetem perdocuit, & adjuvit: Mahemetes enim ne vel etiam legere, aut ſcribere noverat; ſua quidem placita confirmabat ſubſcriptionis loco manu atramento denigrata chartæ adhibita, ac ſua manu ſigillando. Legem, quam Mahemetes promulgavit, Sergium ſcripſiſſe affirmant. Dicunt plures, cum Mahemetes eſſet prope Sues, civitatem penès Mare Rubrum poſitam, cum magna hominum turba ipſum inſequentium, in loco à Sues ſemidiei itinere diſtante, ubi puteus erat profundus ſine aqua, ut videretur veluti Moſes à Deo in monte Synai legem accepiſſe, eamque ſuis poſtea publicaſſe, eundem, Sergio Monacho, librum, in quo Mahometana lex ab ipſo fuerat perſcripta, ſecum habente, clam demiſſo in fundum putei, coram turba exclamaviſſe. Videte librum in quo à Deo ſcriptam legem habebitis, & ſtatim illis oſtendiſſe librum ex toto ſimilem ei, quem Sergius in fundo putei ſtans habebat, hoc excepto, quod in ejus chartis nihil prorſus ſcriptum erat, quem funiculo parvo ad Sergium demiſit, qui eo a funiculo detracto, alterum eidem funi adligavit, in quo lex ſcripta legebatur, quem è

puteo poſtea extractum, Mahemetes populo publicavit, juravitque coram illis hanc legem à Deo in eo libro ſcriptam fuiſſe, foreque propterea ab ipſis religioſius obſervandam: quumque vidiſſet illud turbæ placere, inquit: quicumque meus frater dici cupit, in mei memoriam lapidem in hunc puteum projiciat, quo dicto, ſtatim ſinguli lapidem projecerunt in puteum, quibus puteus momento temporis oppletus eſt, intuſque in fundo putei Sergius lapidibus obrutus vitam finivit. Nunc etiam omnes qui illuc tranſeunt, lapides in puteum projiciunt in Mahemetis memoriam: Unde ſæpe in anno coguntur vicini populi lapides è puteo extrahere, ipſumque pervium facere, ut peregrini poſſint ad libitum lapides more ſolito in ipſum projicere. Non me latet alios alio modo hæc de Mahemete ſcripſiſſe, nihilominus Ægyptios ferè omnes Chriſtianos hoc modo Mahemetis hiſtoriam conſtantiſſime retuliſſe, non ſemel ab ipſorum primoribus, ſed ſæpe audivi. Illis vero Monachis Caloijeribus è quibus fuit Sergius, Mahemetes immunitatem de ſingulis, & ad victum, & ad veſtitum attinentibus, conceſſit, quam ipſi in charta pergamena ſcriptam uſque ad illud tempus habuerunt in quo ego Cairi fui, quamque & manu propria ſcriptorio atramento infecta inſtar ſigilli impreſſerat, atque ſubſcripſerat. Hanc anno MDLXXXIII. Hebraimo Baſſæ tunc Ægypti Pro-Regi coacti fuerunt oſtendere, cum Alexandriæ Malem quidam, id eſt publicanus, qui mercium inibi introeuntium, atque exeuntium vectigalia exigit, illos Reverendos Monachos coegiſſet de quadam vini quantitate ex Creta inſula ad ipſos navi convecta vectigal ſolvere, nunquamque illi amplius vectigal ob eam immunitatem ſibi olim à Mahemete conceſſam ſolviſſent, Pro-Regem adierunt ſupplicantes ſupplicantes ei, ne cogeret illos ſolvere, cum ſemper immunes fuerint à quacumque ſolutione propter illis conceſſam à Mahemete immunitatem, quam cum Hebraimus coram aliis multis in auditorio publico legiſſet, & recognoviſſet impreſſam manum Mahemetis ſui prophetæ, Hebraimus illicò ipſius capiti eam, ut Turcarum moris eſt, honoris cauſa ſuperpoſuit ac dixit: Dedecus eſt, & magnum ſanè, haſce ſanctas

noſtri

noſtri prophetæ reliquias in manibus infidelium relinquere: ex quo Pro-Rex eam retinuit immunitatem, alteramque ejus loco ei ſuffecit, omniaque quæ petierunt libentiſſime in Mahemetis memoriam conceſſit. Illorum multi habitant in Cœnobio, quod habent in monte Synai, quodque muris altiſſimis, fortiſſimisque metu Arabum undique cingitur. Ab hoc Cœnobio ad milliare Italicum diſtat locus in quo fuit inventum corpus Beatæ Catharinæ, Alexandriæ martyrio ob Chriſti amorem interemptæ, cujus quidem corpus, ea mortua, Alexandriæ nunquam amplius conſpectum eſt: quod poſtea per ſomnium quidam Sanctus ex Caloyeribus, monaſterium montis Synai cohabitantibus, commonitus, ſub quodam lapide invenit, atque in illiuſce monaſterii templum repoſuit, quod profecto à nullis quam ab Angelis miraculosè illuc in altiſſimum illum montem, ab Alexandria mille milliarium ſpacio diſtantem, deferri potuiſſe nemo inficias ibit. Omnes quidem eos Monachos ſanctiſſimè ſemper inibi vixiſſe apud omnes Ægyptios conſtat; illosque, Sultanorum Ægypto imperantium ætate, maximè in religione Chriſtiana floruiſſe, ipſorumque quendam olim Patriarcham, ajebant, & vita innocentiſſima, religioſiſſimaque, & miraculis in ea urbe celebrem fuiſſe: de quo inter alia miracula hoc cuidam Regi Sultanorum olim illuxiſſe affirmabant: quippè cum a Rege Hebræi cujuſdam illis Monachis inimici ſuaſione perſuaſo, ille Patriarcha interrogatus, an verum ſit, Chriſtum in Euangeliis dixiſſe; Quicumque Chriſtianus ſit, non debere timere, etiamſi quid mortiferum biberit: cui ſtatim cum reſpondiſſet, veriſſimum eſſe, tunc inquit Rex, te ut tali die coram me cum te voluero, venenum bibas, parato; ille, cum annuiſſet ſe, quod voluerit, lubenter facturum, dimiſſus eſt. Qui poſtea cum aſſiduè ad Deum oraſſet ſimul cum omnibus ſuis Monachis, ne Dominus pateretur quicquam adverſus veritatem Euangelicam dedecoris ab inimicis fidei Chriſtianæ fieri; quadam poſtea die ad Regem evocatus, coram Rege Hebræoque, qui ipſum ad id, ut experiretur Chriſtianam veritatem, Regem permoverat, cum oblatum ſibi calicem cryſtallinum exitiali veneno ple-

plenum Regis juſſu bibendum, accepiſſet, atque ea etiam conditione, uti Hebræus Regem prius inſtruxerat, ne Crucis ſignum ſuper calicem bibendo venenum, facere Patriarchæ liceret, Sanctus Patriarcha fidei Chriſti planè confidens, accepto calice, ad Regem verſus, manu ſignum Crucis ſuper venenum faciens, inquit: non vis etiam ut hoc crucis ſigno me muniam? & continuò venenum bibit. Poſtea Rex poſt multum tempus videns Patriarcham à veneno nequidem mortuum, ſed neque ullam ab eo ſenſiſſe moleſtiam, plurimum admiratus eſt, præſertimque cum ſciret illud fuiſſe ex ſummè mortiferis. Interim Patriarcha petiit à Rege, ut illud vitrum diligenter abſterſum plenum optima aqua ipſi Hebræo concederetur, quod acceptum Rex Hebræo obtulit, ut ejus aquam biberet: Hebræo vero renuente eam aquam bibere, Rex ſummopere ob id iratus ei dixit: ille bibit in hoc vitro venenum, & tu times puram, optimamque aquam in vitro diligenter deterſo, & abluto bibere? qui, cum Rege jubente aquam bibiſſet, paulo poſt quaſi veneno jugulatus coram Rege interiit, non absque magna, & Regis, & aliorum, qui interfuerunt admiratione; ſicque veritas Euangelica in Reverendo Patriarcha coram Rege magno miraculo confirmata, atque aucta eſt: Et hæc de Græcis Chriſtianis.

Caput. V.

De Chriſtianis Cophtis, & de Reverendis Jeſuitis qui in Ægyptum miſſi fuerunt à Pontifice Maximo Gregorio XIII., *ut Natio Cophta Eccleſiæ Romanæ conciliaretur.*

In Ægypto Chriſtiani partim ſunt exteri, partim patrii. Exteri ſunt, qui ex variis mundi regionibus in Ægyptum mercaturæ cauſa veniunt, cujusmodi præcipui Veneti ſunt, Galli, Angli, Rhaguſini, Florentini, & Siculi. Ad hos vero

quotannis duos Fratres Franciſcani è Hieruſalem veniunt in Ægyptum, ut ipſorum curam ſpiritualem habeant, quorum unus Confeſſor eſt, alter Prædicator. Patrii vero Chriſtiani Cophti dicuntur, qui propter hæreſim Eutychis, quam ſecuti ſunt, negantes in Chriſto duas naturas, ſcilicet humanam, & divinam, ab hinc mille fortè, & ducentos annos ab Eccleſia Romana Orthodoxa ſeparati, & in Ægypto, & in Æthiopia vixerunt ſub diſciplina Chriſtiana unius Patriarchæ, quem Abuna nuncupant. Huic vero Cophtorum Patriarchæ Æthiopiæ Rex (Regem Abaſſiæ vocant) unoquoque anno duodecim millia aureorum, atque munera mittit, Cophti autem in Ægypto habitant ad quinquaginta millia, qui ſi Romano Pontifici obedientiam præſtarent, noſtris Chriſtianis in omnibus antecellerent, cum fidem noſtram adeo acriter defendant, ut probra quæque pro Chriſti nomine ſuſtinere parati ſint, qui quamvis ſub infidelium imperio vivant, & ab eis quotidie injuriis, contumeliis, verberibus, atque magna ignominia divexentur, boniſque ſæpius ſpolientur; nihilominus Chriſti fidem neutiquam mutare velint in turpem Mahemetis ſectam: quod ſi facerent, ab iis moleſtiis liberi evaderent, quietamque, & tranquillam vitam ſibi pararent. Sed ipſi mundi divitias præ fide contemptui habent, maluntque Chriſtiani in maxima ſervitute eſſe, quam ea derelicta imperare. Sæpe ipſorum aliqui pro fide martyrio extincti ſunt, cujuſmodi fuit ex ipſis quidam qui propter ſcortum comprobatum morti damnatus; fidem noſtram in Mahemetis ſectam fragilitate vitæ una die mutaverat, atque altera cum illud feciſſe plurimum & pœnituiſſet, & ad Deum ingemuiſſet, adiit Pro-regem in publico auditorio, eique cum dixiſſet, heri ebrius, & fatuus renui Chriſti fidem, nunc ſolutus ebrietate, atque fatuitate, Mahemetis falſi Prophetæ ſectam itidem renuo, illicoque magno clamore, ut ab omnibus Mauris in aula aditorta audiretur, cœpit Chriſti fidem ſupra omnes magnis laudibus concelebrare, qui cum alia multa ad confirmandam Chriſtianam fidem viva voce intrepidè dixiſſet, continuò ferreis uncis ad portam Babzuelis appen-

55047

ſus eſt, ut moreretur; qui tribus diebus ibi appenſus vixit, ſemper vel etiam moriens Chriſti fidem laudando. Cophti primum quod ipſorum filios docent, atque ut eorum inſideat mentibus ſtudent, hoc eſt: veram ſcilicet, ſolamque in toto orbe terrarum eſſe Chriſti fidem, quem Meſiha appellant, adeo ut, ſi à puero bimulo cujas ſit quæras: Mendil el Meſiha, ideſt ex lege Chriſti, reſponſum habeas. Nos meritò derident, atque maximè redargnunt, quod ex noſtris nonnullos tam facile fidem relinquere, atque falſam illam Maurorum amplexari, videant, nec multo poſt ei ſeſe adeo deditos oſtendere, ac tyrannidem in eos exercere obſervent. Turcæ, ut plurimum Chriſtianis, qui fidem renuerunt, quod ſuis fideliores ſint, cuſtodibus utuntur. Quàm omnes Cophti Sanctos ſingulos colant, ipſorumque feſtos dies, atque aſperis jejuniis utantur, crebrioribuſque, ſatis quidem dici non poteſt: quinimo ſi Cophtorum jejunia noſtris comparentur, noſtra lautiſſima convivia abſque dubio videbuntur. In Patriarcham illum ſolummodo eligunt quem verè cælibem eſſe norunt. Hic cum decem millia aureorum cenſum in annum habeat, eos omnes, ut notum eſt, pauperibus, & cænobiis diſtribuit, ſibique neque neceſſaria ſervat, ſed quotidie è mendicatis vivit. Duo monaſteria Cairi habet, alterum virorum, atque alterum mulierum. Sunt & illic quatuor alia Monaſteria, Divi Antonii unum, alia Divi Macarii, de quibus poſtea: quæ omnia alit ex iis reditibus, quos ex Chriſtianis colligit. Aſſiduè per totam provinciam Chriſtianos viſitat, Aſinum conſcendens, baculumque manu gerens, nec non & Crucem argenteam pulcherrimam, quam Æthiopum Rex ei dono miſit: multos Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſub ſe habet. Seſe libentiſſimè Romanæ Eccleſiæ conjungeret, ni plebem timeret, quæ tot annis in antiquorum erroribus vixit. Multis enim novum eſt cum audiunt eſſe Pontificem eorum Patriarchæ ſuperiorem. Sperabatur tamen noſtra ætate omnes illos Romanæ Eccleſiæ obedientes futuros, opera præſertim Reverendi Patris Johannis Baptiſtæ Æliani, Sacerdotis religioſi è Societate Jeſu, viri innocentiſſimi, &

omni

omni ſanctitate ſpectandi, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo ad Cophtorum cum Romana Eccleſia reconciliationem in Ægyptum primo miſſi, qui toties ſeſe, vitamque propriam periculis, mortique pro fide Catholica committere non dubitavit, atque cum ipſe Linguæ Arabicæ peritiſſimus eſſet, meritò hoc illi onus impoſitum fuit, cui poſtea Socius Reverendus Franciſcus Saxus, theologus è Jeſuitarum itidem ſocietate doctiſſimus, adjunctus eſt. Primum namque Ælianus una cum Johanne Bruno, Theologo ſpectatiſſimo, Maronitas, montes Libani in Syria habitantes, Sacrarum Litterarum in hiſtoriarum cognitione celeberrimi, cum à multis quidem in fide autiquis erroribus primum expurgaſſet, atque ad Romanæ Eccleſiæ gremium reduxiſſet: impiè enim ii credebant Spiritum Sanctum ab uno Patre procedere, humanasque animas, ubi è corporibus evolaſſent, certis in ſedibus ad extremum usque judicii diem detineri, licere nuncium uxori remittere, infantesque ante quadrageſimum diem baptiſmate luſtrari *non* debere: in Ægyptum venit Anno MDLXXXII. atque in Cairi urbe perpetuo quoad diſceſſit, manſit in domo Pauli Mariani civis Veneti, atque pro Rege Galliarum Conſulatum agentis: viri ſane non minori in Ægypto auctoritate quam liberalitate ſpectatiſſimi, qua omnes peregrinos domi libentiſſimè recipiebat, atque præter modum honorabat, ſummam illis oſtendens benevolentiam. Tunc enim Cophtorum Nationis ſpeciatim protector erat, virque ingenio maximè verſatili, Linguæ Arabicæ, Turcæ, Græcæ, & Gallicæ peritiſſimus. Apud ipſum Marianum Ælianus ſemper hæſit cum ſuo ſocio Mario Romano, qui poſtea Alexandriæ, febre tertiana peſtilente interiit. Paulò poſt venit ei in auxilium Franciſcus Saxus Neapolitanus cum ſuo Socio Franciſco Bona Mediolanenſi, qui omnes in ædibus Mariani fuere benigniſſimè ſuſcepti: quin imo illis partem ſuæ domus ceſſit, & pro illorum habitatione, & pro templo etiam conſtituendo. Itaque cum Johannes Baptiſta Aelianus primùm Mariano ſummi Pontificis deſiderium aperuiſſet, rogaſſetque ut *illis* protector eſſe vellet, & in tam utili, & honorabili

Rei-

Reipublicæ Chriſtianæ opere obeundo ipſis ſuum auxilium (quod maximum quidem auctoritate ſua apud Cophtos ſibi dum vellet pollicerentur) non denegaret, tantumque beneficium ſuffragationem à ſummo Pontifice perpetuo plurimi æſtimatum iri, & non absque digno etiam præmio ab eodem Pontifice fore compenſandum: Marianus promptiſſimè conditionem accepit, & omnem favorem ad eam rem, quoad vires ipſius extendi poſſent, pollicitus eſt. Quod & fecit; antea enim duo Sacerdotes, à Pio IIII. ſummo Pontifice in Ægyptum ad Cophtorum Nationem Eccleſiæ Catholicæ reconciliandam olim miſſi, vix cum Patriarcha Cophtorum loqui potuerunt; nam ſæpe audivi à Reverendo Presbytero Antonio Palmerio Anconitano, qui & Capellanus multorum Conſulum & à ſecretis illorum triginta, & plures annos Cairi vixit: Cophtorum Patriarcham iis Sacerdotibus impiè reſpondiſſe: Non poſſe, qui Sacerdos eſſet pauperrimus, & è mendicatis viveret, cum Pontifice Maximo, tot Civitates, & Provincias, divitiaſque in mundo poſſidente, conciliari, cum eſſet inter utrumque proportionis nulla convenientia: Quo reſponſo eos Sacerdotes remiſſos fuiſſe, & non abſque magno vitæ periculo ex Ægypto abiiſſe: Itaque Mariani favore factum eſt, ut cum Cophtorum Patriarchâ complures Epiſcopi, & alii Sacerdotes Cairi in domo ipſius ſæpius ad tractandum de eorum hæreſi fuerint convocati: qua occaſione innumeri ferè ſemper ex Cophtorum Religioſis apud Marianum, atque apud Jeſuitas familiariter verſabantur. Ego enim huic negotio ſemper interfui, atque quoad potui, ipſum, quando medicinæ faciendæ occaſione ſæpiſſimè cum ipſis, ægrotos eos viſitando, de præcipua illorum hæreſi egerim. Quod negotii, etſi primo cum cœptum eſt, ſuas habuerit ex multorum Cophtorum ignorantiâ difficultates, qui dicebant in hæreſi de duabus naturis in Chriſto, licere *bieltamis*, ideſt eas mente contemplari poſſe, illas vero duas naturas, humanam quippe, atque divinam eſſe, affirmare, blaſphemum eſſe. Verum tamen ut Reverendi ii Patres, qui omni ſtudio, & dili-

diligentia ſtudebant illorum mentes ab antiquis his erroribus expurgare, ſcripſerunt de eorum hæreſi libellos quosdam Arabica lingua exaratos, in quibus quoque Sancti Cyrilli (cujus doctrinæ omnes, cum ex ſuis is fuerit, aquieſcunt) auctoritate declarare, & illuſtrare veritatem hanc, ſedulò ſtuduerunt. Quos poſteaquam compluribus Cophtorum, iiſque maximè qui in Theologia eruditiores æſtimabantur, Reverendi Patres communicarunt, atque publicarunt, res tam facile fuit reddita, ut ex eorum libellorum lectione veritatem fuerint ita aſſecuti, ut præcipui apud eos faterentur, omnia Romanæ Eccleſiæ modo intelligere, nihilque aliud obſtabat ne illi ſe ſubmitterent omnes Romano Pontifici, quam ipſorum Patriarcha, qui nondum veritatem Catholicam probè intellexerat, qui orabat Deum, & orare ſuos Sacerdotes aſſiduè curabat, ut de hac ipſa veritate illuminaretur, ut crederet ea, quæ in rem Chriſtianæ Eccleſiæ eſſent. Unde ipſius mors (*ille enim ſupra annos octoginta natus erat*) pro tanti negotii expeditione, ſcilicet pro agnitione Catholicæ veritatis à nobis, & pluribus Cophtis expectabatur: interimque plures illorum, qui Romano modo fidem Chriſti intelligere à Reverendis Jeſuitis fuerant inſtructi, ad Romanum Pontificem proficiſci tunc parabant, & præſertim Patriarchæ Vicarius, qui nondum omnia ſecundum Romanam veritatem intelligebat, ſed cæteros alios eo modo erudire aſſiduè operam dabat, isque, poſt mortem Patriarchæ, omnium deſtinatione ſucceſſor ſperabatur. Quæ omnia cum munus reconciliationis Cophthorum ad Romanam Eccleſiam finem exoptatum attingere nobis modo promitterent, eoque certius, quod Patriarcha ipſorum, cujus ſolummodo incredulitas exitum retardavit, tunc mortem obiit, à quo cum certè ejus Vicarium in futurum Patriarcham eligendum (qui in omnibus cum Romana Eccleſia ſentiebat) omnes affirmarent, ipſumque futurum Patriarcham pro certo haberent, tunc ex Cacodæmone magna oborta procella, conjunctio hæc planè impedita eſt, atque à nulla alia cauſa, quàm ab ea, *quam nos* modo dicemus illud evenit. Paulus Marianus,

abhinc multos annos emerat Conſulatum Gallorum à quodam, ut ajunt, viro Gallo, qui Gallus ſolus in cauſa extitit, quod tam ampliſſima Chriſtianorum Natio, quæ jam à Reverendis Jeſuitis perdocta Romano Pontifici ſe ſubmiſſura erat, ad Eccleſiæ Romanæ gremium non reduceretur. Is inquam, cum Conſulatum quem olim Mariano vendiderat, redimere ſibi denuò, Marianusque emptione receptum Conſulatum nunquam relinquere vellet, per multos annos ipſum eo Conſulatu ſpoliare fruſtra tentavit, cum profecto Marianum & honeſtatis, & juſtitiæ jura maximè tuerentur, atque etiam unà cum his magna ipſius apud Turcas proceres, ac Mauros eſſet auctoritas, plurimi enim ſemper magna ſua liberalitate in Turcas, & in Ægyptios fuit æſtimatus ab Ægyptiis. Cum igitur is contra Marianum in lite diu ab eo agitata nihil ſe profeciſſe videret, nactus occaſionem opportuniſſimam ex negotio quod in domo ejuſdem Mariani de reconciliandis Cophtis cum Eccleſia Catholica quotidie tractabatur (cujus occaſione ſemper domus Mariani Cophtis hominibus, & religioſis, & ſecularibus compluribus referta erat, à quibus de hæreſibus ipſorum cum Sacerdotibus Jeſuitis diſputabatur, & conſultabatur) cœpit Byzantii apud Turcas eo auctore diſſeminari, quod Cairi apud Marianum in ejus domum omnes Ægyptii Epiſcopi cum Patriarcha quotidie conſultationis gratia ſimul cum Arabibus multis convenirent, non ad tractandum de Chriſtiana fide ſolummodo, ut fingebant, ſed forte, ut Arabes Cairi urbem à Turcarum imperio eripiant: Marianusque de iis per litteras Byzantio certior factus, bonam occaſionem nactus, Pro-Regem Ægypti, qui fuit Hebraimus Baſſa, viſitando, illum certum reddidit de iis, quæ in ipſius ædè quotidie à Jeſuitis cum Cophtis tractarentur, & quæ Byzantii contra ipſum evulgari cœperint: ad quæ Hebraimus, qui Marianum plurimi faciebat, ſubridens, ait: Nunquam ex te quicquam mali in me fieri credam: Marianusque dimiſſus eſt, atque abiit. Ipſius vero adverſarius ab inceptis haud deſiſtens, non ceſſavit Turcarum menti inprimere, fore opera Mariani Conſulis in Ægypto,

gypto.

gypto, ut ab Arabibus urbs magna Cairi citò obſideretur, & eriperetur è manu Turcarum, ni citò provideretur. Quod Calumniatoris illius opera, etiam ad Imperatoris aures pervenerat. Unde cum Hebraimus Byzantio à Turcarum ipſomet Imperatore juſſus eſſet, ut huic rumori occurreret, quod fortè, etſi nihil ab Arabibus videretur timendum, non minus futuram in fide Chriſti Cophtorum cum Romano Pontifice unionem ſuſpectam haberet. Cum fortè ea die qua Pro-Rex Litteras de hoc rumore Byzantio acceperat, in ædes Mariani plures Cophtorum Religioſi quam ante conſueverat, atque alii eadem de cauſa ſimul conveniſſent, nocteque ſubſecuta ante auroram Judæus larvatus in Arcem ad Pro-Regem admiſſus, dixiſſet: Prorex, quid dormis? quid ſtas? Heri apud Paulum Marianum innumeri Arabes cum Chriſtianis ſimul convenerunt, &, ut ego verè exploravi, ab ipſis de nulla alia re actum, conſultumve eſt, quàm de introducendis Arabibus ad hanc urbem occupandam: quibus dictis, Judæus dimiſſus eſt, & paulò poſt aurora luceſcente Pro-Rex contra Marianum valdè iratus, juſſit Subbaſſi, ideſt urbis præfecto, ut Sacerdotes quoſcumque Chriſtianos apud Marianum offendiſſet, ipſos cum Mariano vinctos ad ſe duceret: qui cum multis Chiauſſis, atque aliis Turcis ad domum Mariani profectus, tres Jeſuitas cum uno Fratre Franciſcano Sacerdote, qui cum ipſis inventus eſt, qui proximis, paucisque ante diebus Hieroſolymis in Ægyptum venerat, prehendit, quos omnes vinctos ad Hebraimum, qui ſe in inſulam Mechias nuncupatam recreationis gratia contulerat, duxit. Marianus vero, quod plurimum à Turcis ſua liberalitate æſtimaretur, etiam atque etiam, ut vidit Turcas, Sacerdotes Chriſtianos vincientes, illis clara voce dixit: quicquid de his religioſis erit deliberatum, volo ut de me quoque fiat, continuòque cum duobus Gianizzaris Prætorianis militibus, ſuis cuſtodibus equitandò ſecutus eſt eos eminus. Cum itaque Subbaſſi ad Pro-Regem eos vinctos deduxiſſet, dixit ad ipſum: tibi ſacerdotes quos in æde Mariani offendimus, vincti adſunt: proinde quid tibi de iis videtur faciendum imperato. Qui reſpondit, quid de

Mariano Conſule ? an & ipſum vinctum cum ipſis habetis ? Reſponderunt : ipſum , ſtatim ut nos ad comprehendentes Chriſtianos religioſos adcurrere vidit , dicere audivimus ; quicquid deliberatum erit de Chriſtianis religioſis, de me quoque futurum volo , itaque minimè prehendimus, præſertim cum eos ſecutus ipſe hic adſit; proinde imperato quid de eo fieri vis , placet ne ut & ipſum una vinciamus? Pro-rex obſtupuit , quod illos Marianus eſſet proſecutus, & poſtea juſſit, ut Jeſuitæ in Carcerem Arcanà dictum conjicerentur, & Marianum abire ſinerent, neque ipſum tunc audire voluit. Die ſubſecuta ipſum Marianum in aula auditoria declaravit Mazul, id eſt omnibus Conſulatibus ſpoliatum. Ex captivitate Jeſuitarum, omnes Cophti & ſeculares, & religioſi, maximèque Epiſcopi magno terrore perterriti extra urbem ad ſua loca illicò abierunt. Propter hunc caſum timoremque vereor ut per multa ſecula Romanis Pontificibus amplius aditus detur denuo tractandi cum ipſis de ipſorum ad Romanam Eccleſiam reconciliatione. Hæcque cauſa extitit quamobrem tam utile ad rempublicam Chriſtianam negotium, ferè ex toto confectum, fuerit diſſolutum. Mirum eſt, cur Johannes Boterus, hiſtoriographus noſtra ætate nunquam ſatis laudatus, in ſuis Relationibus anno MDLVII. Ferrariæ impreſſis, hanc veram cauſam, quà Cophthorum negotium diſſolutum fuit ſcripſerit; & poſtea in iiſdem Relationibus, quæ Venetiis impreſſæ fuerunt anno MDXCVI. mutata ſententia in aliam cauſam illud referre voluerit, ſcilicet in Patriarchæ Vicarium, qui dubitaverit ex facta unione Eccleſiæ Cophtorum cum Romana & Pontifice Romano, ii tum ſubditi evaſerint, Patriarchæ electionem, non à Cophtis amplius Epiſcopis, ſed à ſolo Pontifice Maximo futuram. Hoc unum certè ſcio, ipſum Vicarium ex iis, qui omnia à Jeſuitis perdocti ſecundum Romanam Eccleſiam intelligebant, fuiſſe præcipuum, atque non minus auctorem, ut aliis Cophtis veritas Romanæ doctrinæ perſuaderetur, atque aperiretur. Accedit, quod etiam non me latuit, interim ſcilicet quoad tempus Patriarcham eligendi eſſet (quando ante annum integrum à *mortuo*

Pa-

Patriarcha eligi non ſoleat) ſe ipſum, una cum nonnullis aliis Cophtis eruditioribus Romam iturus, ad iter parabat, ut pedes ſummi Pontificis oſcularetur: nulloque modo dubitare poterat, quod ea unione facta Pontifex alium in Patriarcham electurus eſſet, cum is cæteris aliis in Catholica doctrina & eruditior eſſet, & auctor, ut dixi, quod Natio Cophta ſecundum Romanum ritum erudiretur, præcipuus, & maximus. Addo, omnes uno ore futurum illum Patriarcham tunc pro certo habuiſſe. Sed quid amplius. Cum Patriarcha nunquam veritatem edoctus, hæreſim de duabus naturis rectè non cognoverit, Jeſuitarum deſiderio ad imponendum huic negotio finem nihil æquè obſtitit atque Patriarchæ pertinacia, ſpes enim erat, eo mortuo, Vicarium ſucceſſurum, qui perceptis doctrinæ Catholicæ dogmatis, flagrabat deſiderio, ut Cophti ad ſummum, maximumque Pontificem Romanum redirent. Quod vero Mariani adverſarius, ut eo modo Marianum, quem aliter vincere nequiverat, *Conſulatu deturbaret, ſolus moræ cauſa fuerit, ut tam utilis Coph*torum unio cum Romano Pontifice penè affecta diſſolveretur, eo argumento certum eſt, quod à publico Cancellario Veneti Conſulis Antonio Palmerio Presbytero requiſiti plures id faſſi, quo iſtius opera tam utile negotium diſſolutum fuiſſe Romæ poſtea, atque alibi liquidò conſtaret, & etiam nunc memoria probè teneo rogatos, omnes tunc affirmaſſe, hoc tam grave Chriſtianæ Reipublicæ damnum in illum, ad capiendam de Mariano vindictam, retuliſſe.

CAPUT VI.

De Paulo Mariano Conſulatu à Pro-rege Ægypti ſpoliato: deque Rev. Jeſuitis carceratis, quid fuerit deliberatum.

Die altera poſtquam Reverendi Jeſuitæ fuerunt carcerati, Paulus Marianus Gallorum, Raguſinorum, Tuſcorum atque aliorum Conſul à Pro-rege Mazul factus, dignitate ſpoliatus, nec unquam ad Pro-regem admiſſus eſt; ſperabat enim ſi ad Hebraimi colloquium veniret, ipſum fortè ſententiam mutaturum, ſeque eum benigniorem experturum. Hebraimus vero Baſſa verebatur, ne, ſi ipſum audiviſſet, ſua eloquentia, & de ſe ipſo, & de Reverendis Jeſuitis omnia ex voto impetraret, ſibi perſuarum iri. Unde Marianus domum reverſus per multos dies privatus Mercator vixit. Interim de carceratis Jeſuitis Georgius Emus, ibi pro Sereniſſima Veneta Republica Conſul Illuſtriſſimus, vir quidem omni laude dignus, ſæpius Pro-regem adiit, ut carceratos Jeſuitas liberaret. Fruſtra vero illud ab eo tentatum eſt, unde neceſſe fuit eos in carcere, ad meliorem eventum relinquere. Interim cum ab omnibus Conſulatibus Marianus vacaret, Johannes Wrotus Anglus, vir nobilis, & ſcientiarum ſtudiis eruditus, qui cum in Syria Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, mandato primùm Conſulem pro Anglis creaſſet, in Ægyptum itidem venit, ut Paulum Marianum, ſi poſſet, (quando ejus famæ, virtutumque celebritas ad Eliſabethæ Angliæ Reginæ aures perveniſſet, ipſaque tantum virum ſibi Conſulem habere, deſideraſſet) in Conſulem ſuæ Nationis Anglæ eligeret. Qui cum Alexandriam nave appuliſſet, & à quibuſdam Marianum omni Conſulatu exutum intellexiſſet, deſiderio ſummo contendebat, ut pro ſua Regina ipſum

Con-

Conſulem haberet, ratus illud ſi obtinuiſſet, ſe rem gratiſſimam ſuæ Reginæ facturum. Itaque Mariano, omni Conſulatu tunc vacuo, opportuniſſimam hanc occaſionem nactus, Cairum evolavit, & cum omnes ferè peregrini in domum Mariani non minori liberalitate, quam benevolentia exciperentur, ipſe quoque Wrotus ab eo invitatus eſt, planè inſcio, quod fortuna, ſibi reconciliata, aliunde non minoris nobilitatis, atque utilitatis quam antea, Conſulatum ei paraſſet. Eadem die Wrotus Anglus Mariano indicavit ſe ipſius alloquium expoſcere: benignè à Mariano exceptus aperuit ſuæ Reginæ deſiderium, ſcilicet ut conditionem Anglici Conſulatus ſibi à Regina Angliæ oblati reciperet. Is vero, hactenus adverſâ fortunâ divexatus, cum dubitaret id ne opera ſui adverſarii ad ipſius etiam contemtum fieret, Reginæ voluntatem literis firmatam produci petiit, unaque mandatum Turcarum Imperatoris de ipſo eligendo pro Angliæ Regina Conſule. Quibus omnibus perſpectis, hilari animo oblatam ſibi *conditionem Conſulatus* recepit, ac poſtridie ab Hebraimo *Pro-rege Turcarum* Regis mandato obediente, Gallis mercatoribus coram Pro-Rege mordicus contendentibus cum Anglis, Angliæ Conſulatum ſub Galliarum Conſulatu comprehendi, animis ſic utrinque concitatis, ut fere ad arma inter ipſos deventum eſſet, Paulus Marianus Angliæ Conſul creatus eſt. Conſul denuò pronuntiatus, paucos poſt dies Jeſuitas, termille aureis Pro regi ſolutis, è carcere eduxit, nec Hebraimo Mariani olim amantiſſimo diſplicuit ipſum rurſus Conſulem evaſiſſe. Unde in publico Divan, ideſt in Aula regia auditoria, à Pro-rege examinatis diligenter ſcripturis, libris, & aliis omnibus quæ una cum ipſis Jeſuitis deprehenderat Subbaſſi, tandem Reverendi Patres liberati ſunt. Unum non ommittam ex quo propenſio Hebraimi in Chriſtianos quædam obſervata eſt, quippe cum in Auditorio omnia Jeſuitarum ab Hebraimo Pro-rege, Cadi Laſcar, Patriarchis Turcis, atque aliis perveſtigarentur, ſi forte quicquam eſſet ex quo Turcæ Imperatoris inimici cognoſcerentur, cum Hebraimus Capſulam Jeſuitarum ligneam aperiret, atque in ea

Cru-

Cruces parvas, habentes reliquias Sanctorum locorum, Hieroſolimis receptas, coronas, atque alia Chriſtianæ religionis ornamenta, oſtendiſſet, ſurgens quidam ex ſuis Patriarchis Siec Ramôle vocatus, viſis iis crucibus ad Pro-regem inquit: Vides ne Pro-rex quam adverſarii ex iis appareant Mauris religioſi Chriſtiani, cum hæc ſecum teneant à noſtra lege damnata? Cui Hebraïmus ſubridens reſpondit: nunquid quæ in hac capſula lignea habentur, ſunt gladii, enſes, vel militaria tormenta, quibus nobis bellum inferre queant? Quid mirum eos hæc habere, ſucumque tenere ea quæ ſuæ fidei congrua ſunt. Ad quæ Siec Ramole tacuit. Priuſquam autem ego ex Ægypto diſcederem Anno MDLXXXIII. Cairi in carcere Arcanà vocato Reverendos Jeſuitas nondum liberatos viſitavi. Carcerem Arcanà vocant, quod cæteris carceribus aliis, qui in Urbe Cairi ſunt gravior habeatur, quia in eo innumeri ferè ſunt carcerati. Eſt vero locus is figura, & amplitudine mediocris Cameræ, terreno ſolo, quod tamen non humidum eſt, optimaque ſanè videtur habitatio, portam unam ligneam habens, quæ & clavi lignea munitur. Carcerati inibi vivunt nulla parte vincti, etiamſi ipſa illa die ſupplicium ſubituri ſint. Quid multa? ipſis ad libitum carcere egredi conceditur, atque foris in larga planicie etiam liberè ſpatiari, unuſque ſolus cuſtos illorum à me obſervatus fuit, gerens manu baculum ſubtilem ex palmæ ramis: vide ut hic carcer cæteris atrocior æſtimetur. Ego vero ut eos Patres viſitarem, cuſtodem Carceris conveni, & rogavi ut me ad Reverendos Patres in Arcanà admitteret cum aliis, qui mecum unà fuerunt: qui libens oſtium carceris aperuit, & apertum ipſum reliquit, quoad cum illis hæſimus: nos multum in carcere unà cum illis loquentes præſente cuſtode illo fuimus, ſed poſtea in longum ſermones producebamus, namque cuſtos permiſit eos carcere egredi, & nobiſcum in area ampla proxima diu ſpatiari, noſque ſolos ita relinquens, diu abſuit. Neque credendum eo modo cuſtodiri ſolummodo eos, qui ob leviora facinora accuſati comprehenduntur, ſed etiam qui pœna capitali puniri debent. Reverendus Johannes

nes Baptiſta Ælianus vitam hilarem ducebat, quod aliàs hujusmodi carceres fuerat expertus, mihique ſubridens oſtendit quendam Maurum, qui nobiſcum una egreſſus carcere aſſiduè in genua procumbens orabat, quòd intra paucas horas ipſo illo die vitam laqueo finiturus eſſet; qui nihilominus liber, nullis vinculis adſtrictus, etiam extra carcerem cuſtode permittente exſpatiabatur, imo etiam neutiquam fugeret. Tanti faciunt Mauri ſuo Regi, ſuiſque legibus obedire. Putant enim continuò ad Mahemetem eo modo vitam finientes in Paradiſum evolaturos. Ceſſent igitur aliqui, carcerem Arcanà vocatum amplius culpare. Patres, poſt meum ex Ægypto deceſſum, liberati, Romam poſtea profecti ſunt.

Caput VII.

De Cophtis Chriſtianis, qui in deſerto divi Macarii aſperrimam vitam ducunt.

Inter Cairum, & Alexandriam haud longe à lacu nitroſo (de quo ſuo loco) in Deſerto ſunt quatuor Cœnobia Divi Macarii vocata, in quibus Reverendi Monachi Cophti reperiuntur, antiquorum patrum more vitam ſanctam, & cœlibem ducentes. Primum Deir el Seide nuncupant, in quo quadraginta Reverendos Monachos inveni una cum eorum Epiſcopo. Secundum Deir el Siriam vocatum, quod Syrii patres habitant. Tertium verò Beatæ Virginis cœnobium eſt, & quartum divi Macarii, in quo ſanctiſſimus ille vir olim habitavit. Hi Patres corpora quædam quorundam Sanctorum habent, quæ Babiſoi appellant, adhuc integra, colore vivido, perinde ac ſi in vivis eſſent, coriis quibuſdam involuta, quæque incorruptibilia ſervata dicunt, quod Domini noſtri, quem benignè hoſpitio ſuſceperant, pedes laverint. Inter mira autem quæ de his dicunt corporibus, hujuſmodi eſt. Quendam Patriarcham ea integra eſſe minimè credentem,

illa cum detexiſſet, morbo correptum ſtatim mortem obiiſſe: unde qui ipſius loco ſubſtitutus eſt, foras coriis inſcripſit. Quicumque corpora hæc integra eſſe non crediderit, anathema ſit. Iſti omnes Reverendi Patres, quos dixi, in victu ſemper abſtinent à carnibus, & ovis: jejunii vero tempore ne oleum quidem, aut piſcem comedunt, ſed pane, & leguminum quodam genere ſunt contenti, atque modico mellis. Reliquis autem diebus eorum cibus eſt, mel, oleum, legumina, & cerealium ſeminum quædam. Quotidie pſalmos David canentes altare circumeunt, lignum ligno pulſantes. Cœnobia vero muris præaltis ſunt cincta, portas ferreas habentia, humiles tamen, ut illis Arabum impetus ſuſtineant. Qui cum ſæpe in ſolitudine & ipſi, & ipſorum equi fame pereant, ad Monachos confugiunt, ut hi illis ſuccurrant. Atque cum nonnulli pro equis hordeum petant, alii pro eorum uxoribus puerperis farinam, alii oleum: aut hujusmodi aliud, Patres quicquid petunt, deorſum fune demittunt, neminem eo fruſtra veniſſe permittentes. Camelos quibus neceſſaria ducuntur ad monaſteria, ne furto ſurripiantur, proſtratos in cænobia recipiunt. Monachi ſucceſſivis horis, quibus ſcilicet non orant, fiſcellas contexunt. Eorum cœnaculum noſtratia æmulatur: paropſides iis ſunt ex fictili fiſcella contectæ, atque mappæ ſtoreæ, ſive mattà, cervical lapis: nunquam veſtes pelliceas, ſeu rhenonem induunt. Hi habent corpus divi Macarii integrum, nihil antiquitate corruptum, extra cænobium veluti in quodam ſacello parvo repoſitum, quod habet portam ligneam ſera lignea clauſam. Anno MDLXXXII. quidam reverendus Presbyter ex Italia in Ægyptum profectus peregrinationis gratia, Cairique aliquantulum, ut peregrini ſolent, cum moraretur, & fortè ad Divi Macarii ſe cum aliis contuliſſet devotionis cauſa, & eorum Monachorum vitam ſanctiſſimam, Monaſteria, & alia ſedulò obſervaſſet, præſertimque corpus divi Macarii contineri in loco extra monaſteria poſito, non ex toto clauſo, nec eſſe difficile noctu illud ſurripi, & illinc per Nilum flumen ad quod paucis horis itur, per Alexan-

xandriam navi inpoſitum in Italiam deferri poſſe, eo modo quo corpus Sancti Marci Venetias olim devectum fuit: una cum comitibus explorato loco, ſimul Sancti Macarii corpus noctu ſurripere deliberarunt: quod ut exequerentur cum naviculam conſcendiſſent, fingentes redire Alexandriam, atque ut melius omnia explorarent, rurſus ad cœnobium profecti, finxerunt ſe acuratius iterum ea Sancta Corpora videre velle: At Rever. Patres à quodam Cophto Chriſtiano interim de ea re admoniti, timentes, die, noctuque continuè excubias facientes, ſacellumque cuſtodientes, irritam, atque inanem eorum ſpem effecerunt. Reverenduſque ille vir cum aliis Cairum reverſus, paulo poſt ex Ægypto diſceſſit.

Caput VIII.

De Hebræis in Ægypto habitantibus.

In Ægypto non minor Hebræorum quam Chriſtianorum numerus eſſe obſervatur, qui aut ex mercatura vivunt, aut variis artibus inſtructi. Ex ipſis multi maximè divites mercaturæ negotio efficiuntur. Plerique vectigalia, præſertim portoria pro Turcarum Imperatore mercium in Ægyptum & introentium, & inde exeuntium habere ſtudent, (noſtri Publicanum vocant, & Arabes Malem) Hi omnes citò diteſcunt, atque adeo, ut theſauros cumulent. Hujusmodi fuit Hebræus Natan Cohen vocatus, qui multos annos cum portoriorum in Alexandria exactionem obtinuiſſet, ita ditatus eſt, ut Aſſam Baſſa Prorex Ægypti cum inſidioſe eſſet à quodam Hebræo edoctus de Hebræi Natan Cohen Malem, qui exactionem plures Annos Alexandriæ portoriorum vectigalium habuerat, maximis divitiis, ùt ab ipſo eas extorquere, expilareque poſſet, mandavit ut in Carcerem ipſum conjicerent; at ille antea illud ſuſpicatus, ita to-

tum theſaurum ſuum occultavit, ut nunquam Pro-rex ipſum, etſi magno ſtudio diu fuerit perſcrutatus, potuerit reperire. Verum tamen in ligneæ capſulæ, cum merces omnes extractas abſcondiſſet, angulo, pyxidicula lignea ſmaragdus clauſus, inibique oblitus inventus eſt, hic ſeptuaginta millia aureorum fuit æſtimatus, ex quo judicent quot gemmas pretioſas alias ille habuerit, quantumque auri, argentique: nihilominus ipſe antea (ut dixi) inſidias ſibi à Prorege parari ſuſpicatus, ita probè abſcondit, ut non fuerit poſſibile eas divitias detegere, etſi omni ſtudio, & diligentia id Baſſa procurarit, quin imo in Carcere mortuo Natan Cohen Hebræo, paulo poſt Cairum accerſivit ejus filium, annos, ſi bene memini, quadraginta natum: coram quo vafer Pro-rex ſimulavit, magnum ſe de parente ejus mortuo dolorem ſenſiſſe, quod illum ſuis virtutibus atque illius cognita vitæ innocentia, & præſertim de eo in quo fuerat accuſatus, plurimum amare cœperat, qui ſi ſupervixiſſet, inquit, mea quanta erga illum futura fuiſſet benevolentia, maximè expertus fuiſſet; at, cum ita voluerit Deus, oportere & filium, & conſanguineos, & amicos ejus voluntati acquieſcere. Cumque hæc, ut filium conſolaretur, dixiſſet, ſubjunxit, & ut tu privatim cognoſcas illiuſce memoria, meus quantus erga te ipſum, & tuam familiam amor, benevolentiaque ſit futura, tibi primum concedo eandem exactionem quam tuus pater tot annos habuit, tibique præterea polliceor, me te, tuamque familiam omni benevolentia in patris memoriam ſemper proſecuturum, tibique perſuadeas volo, me tui præſertim & protectorem, & fautorem ſemper & hîc, & alibi futurum. Hisque verbis filius Natan perquam benignè ab Aſſan Baſſa Eunucho Ægyptique Pro-rege ſopitus, gratias ei egit primo, poſtea conditionem accepit, ſcilicet onus exigendi pecunias redituum recidentes in Turcarum Imperatorem. Itaque Malem, ideſt exactor, ab eo in locum Patris ſuffectus, &, ut conſuetudo eſt, veſte nova ſericea ſibi à Pro-rege donata indutus, dimiſſusque à Pro-rege, domum magna pompa à multis comitatus, *reverſus* eſt.

eſt. Neque inſidiæ ei ſtruebantur, Prorege ſperante iſtum filium potuiſſe ſcire, ubi Patris theſaurus abſconditus eſſet, & hoc modo facilius ab eo ſe inventum eundem theſaurum poſſe eripere. Nihilominus neque filio pater indicaverit locum in quo fuit, neque ipſe unquam invenire ipſum potuit, ſed paulo poſt in paralyſim incidit, quem cum quadam die ego conveniſſem, ut ab eo morbo ipſum curarem, ita jubente Conſule Veneto Illuſtriſſimo, cui multam pecuniam mutuo datam debebat, contigit, dum ibidem eſſem, ut, juxta cubile in quo decumbebat, audita vox à quibusdam ſit, Ibi Subaſſi, qui viſitatum ipſum nomine Pro-regis venerat, ſtatim (tantum eſt apud omnes hoc nomen Subbaſſi formidabile) ex eo ingenti oborto timore, coram me, atque aliis multis expiravit: Subbaſſique cameram ingreſſus, mortuum vidit; unde neque Pro-rex vafer ſua aſtutia, calliditateve compos voti effectus eſt, nullo modo enim ſcire potuit ubi theſaurus fuerit ſepultus. Innumeri ferè ſunt ex Ægyptiis ditiſſimis, qui cum magnos theſauros habeant, Pro-regis inſidias timentes, ſic abſcondere ſolent, ut ne vel filii iis mortuis inveniant. Sic ſolent Turcæ miſeros ſubditos expilare, præſertimque ſub avaris Imperatoribus: quo tempore enim Imperatores probi, juſti, non avari vivunt, cavent ſibi Baſſa, & Præfecti ſubditis malefacere. At ex omnibus Ægypti Pro-regibus, nullus ditior factus eſt, quam Aſſan Baſſa Eunuchus, qui ſpatio duorum annorum in Ægypto, (illicitis tamen artibus) plurima centena millia aureorum lucratus eſt, quorum duodecim centena millia, per illud tempus quo Pro-rex ibi egit, Byzantium Matri Imperatoris, Sultanis ejus Concubinis, & aliis fautoribus dono miſit: reliqua centena millia in itinere, abiens ab Ægypto, & Byzantium proficiſcens occultavit. Is enim, quod per columbam admonitus ex juſſu Imperatoris Turcarum matre, quæ illum ob magna dona accepta plurimum diligebat, quod Hebraimus Baſſa Pro-rex Ægypti creatus brevi venturus eſſet, brevique expectaretur, ut Aſſan Baſſa primo Imperatoris mandato, in Ægypto Maſul declararet; ideſt à Præfectura privatum, & obtruncaret, atque magnum

 gnum

gnum theſaurum ab ipſo, per fas (ut ajunt) & nefas cumulatum, invaderet: fuga arepta Aſſan Baſſa per deſertum iter, antequam Hebraimus adventaret, cœpit Byzantium verſus: mox per legatum, illi in deſerto miſſum, poſtera die ab Hebraimo, qui Cairi in arcem jam pervenerat, Imperatoris nomine revocatus, reſpondit, ſe nolle redire, &, ſi Turca Rex quicquam ab eo vellet, ſe Byzantium ad ipſum Imperatorem profecturum.

CAPUT IX.

De Medicina Ægypti, deque Medicis Ægyptiis.

Poſteaquam de gente quæ Ægyptum habitat, deque ejus temperamento, victu, atque de morbis qui eam vexare ſolent, in hac hiſtoria hactenus ſcripſerimus, pauca de eorum medicina quoque non omittenda duximus: pauca tamen de ea dicemus, quando in Libris de Ægyptiorum medicina plura dixerimus. Verum ſi nos de ea medicina qua veteres Ægyptii olim uſi fuerunt, loquamur, profecto illud unum affirmabimus, eos quippe nullis fuiſſe poſtponendos, cum Hippocraticam artem ii optime calluerint, atque medendo exercuerint, atque, ſi quid eſt hac noſtra ætate quod in hac arte bonum eſſe videatur, id totum antiquorum illorum medicorum doctrinam redolere videtur, & quaſi hæreditate ad illos perveniſſe eſt credendum. Veteres itaque dogmaticam Medicinam probe tenuerunt, multaque multi de ea doctiſſimè ſcripſerunt, & quæ perpulchra ſunt; quæ omnia continere videtur liber utiliſſimus, elegantiſſimusque eo idiomate ſcriptus (*Siſe*) nuncupatus ab Ægyptio compoſitus, quem Turcarum Imperator cum Ægyptum ſubigeret, inter precioſa quæque reconditum invenit. Nec multo poſt Turcæ qui inter eos primas tenent, plura exemplaria conſcripſerunt.

Hunc-

Huncque jure optimo magni faciunt, magnoque Avicennæ canoni præferunt. Neque eorum, qui ad Civitates regendas mittuntur, ullus reperitur, qui ſecum hunc librum non ferat, quo quidem & valetudinem tueantur, & morbos absque ullo Medici conſilio depellant. Cujus libri exemplar nunquam ibi aſſequi ab illis potui. Habent & Librum quem Ebnagel ducam appellant, in quo omnia medicamenta cum ſimplicia, tum compoſita ſcripta habent ad omnes ſanè morbos tollendos opportuna, qui liber eſt maximè omnibus familiaris, cujus exemplar ad me non absque magno labore pervenit. Ex antiquis habent omnes medicos Arabes, quippè Avicennam, Albumazaram, Raſim, Averroem, Abimbetar. Habuerunt igitur antiqui Ægyptii medicinam quondam maximè excultam, neque immeritò, cum & Cyrenem haud procul ab Ægypto habuerint, in qua Dogmaticam veram medicinam multum claruiſſe conſtat, & Hippocratem ab iis, non minus quam à Crotonienſibus præcipua medicinæ dogmata accepiſſe, aliquibus creditum eſt. Nunc vero hæc ars apud ipſos haud parum defeciſſe à ſua perfectione videtur. Dogmaticam enim etſi ipſi fateantur habere, nihilominus, ut & in Lib. de Medicina Ægyptiorum diximus, admodum imperfectam: majori etenim ex parte empiricam exercent. Neque enim ibi Medicus totam artem ſe habere profitetur, ſed quandam illiuſce partem, vel aliquot partes ſolummodo, minime integram. Namque quidam medici febrium curationem iis pollicentur, & alii ſingularium quorumdam morborum. Unde alii Chirurgiam exercent, in qua parte longe noſtris antecellunt, & in ſanandis vulneribus, ulceribusque & in chirurgicis operationibus faciendis, præſertimque in mittendo ſanguine ex variis venis perſectis, atque non minus etiam exſectis arteriis. Secant enim arterias non minus ſecurè, quam venas. Exercent in pueris, in mulieribus, in Eunuchis crurum ſcarificationem, tantopere ab antiquitate concelebratam, quæ apud nos planè obſolevit. Habent etiam modos varios partes inurendi, ſed unum præſertim ex involuto linteolo ad ignem accenſo, ex qua inuſtione vix (ita magna dexteritate, at-

que

que artificio fit) aliquem dolorem ſentiunt. Arabes inuſtionibus in capite factis à variis morbis homines & præſervant, & ex toto obortos morbos, vel etiam noſtris, qui videntur inſanabiles, tollunt: antiquos enim dolores capitis ea uſtione ſanant, catarrhos firmant; ad os ſtomachi inuſtio facta coctionem juvat, mirum in modum ſtomachum roborando: ab antiqua tuſſi, orthopnea pectus inurendo eo modo liberant: non minus lienis, hepatiſque tumores eo præſidio ſanant, & coxendicis dolores, cæteroſque alios articularios morbos his uſtionibus tollunt. Ad lapides ex veſica, & ſectione, & abſque ſectione extrahendos præſtantiſſimi ſunt. De quibus omnibus nos in Libris de Medicina Ægyptiorum accuratiſſimè ſcripſimus. Præter hos medicos, ſunt medici auricularii, dentarii, ocularii, bechici, uterinarii, qui ſolummodo harum ſingularum partium ægritudines ſanare profitentur. Uteri vero morbis ſanandis medicæ Mulieres præferuntur: putant ſanè viros non poſſe mulierum morbis (quod eas partes ignorent, neque liceat eas videre) recte ſed mulieres mederi.

Caput X.

Quibus modis Ægyptii Sanitatem tueantur: qua occaſione de victus ratione, de evacuationibus, purgationibus, deque exercitationibus, balneis, & partium quarundam præſervatione, agitur.

Etiamſi in Libris de Medicina Ægyptiorum de arte medendi apud eos populos uſitata abundè ſcripſerimus, atque de modo quo ſeipſos à morbis præſervant, nihilominus non abhorrebit à noſtra Naturali Hiſtoria, ut hoc loco de modis quibus ſanitatem conſervant, pauca etiam perſtringamus.

Si-

Siquidem plurimi illorum ſalubri diæta, moderato cultu, & victu tuendæ valetudini incumbunt. Atque horum alii cum delectu tantùm in ciborum adminiſtratione, alii nullis Legibus ſe ſubmittentes, ſed quotannis ſe purgantes: quidam caſſia Saccharo condita non ſemel aſſumpta: quidam ſero caprino: plurimi tamarindis, nonnulli camelarum lacte: Quidam ſunt qui per totam æſtatem polenta utuntur ex recenti hordeo mediocriter toſto parata, atque farinæ, ut ſuave olentior fiat, aquam roſaceam addunt. Hæc autem duobus modis in uſum venit, vel enim ipſam in aqua linteo ligatam macerant, expreſſionemque addito Saccharo bibunt, vel in aqua modicum ebulliunt, & cum Saccharo itidem eam aſſumunt. Cibus utilior, gratior, & magis conveniens in regionibus calidis inveniri nequit. Hac utuntur, qui temperamento calidiori præditi ſunt, ſitibundi, nauſeabundi, maximè autem mulieres, quæ ob ventriculi mordicationem in animi deliquium incidunt. Quod & Hippocrates *In 2°. Epid. 2°.* in Epidemiis docuiſſe viſus eſt, dicens. „Mulier cardialgia „torquebatur, nec prius malum eſt ſedatum, quam polenta „ſucco punici aſperſa ſemel in die uteretur, reliquis cibis „abſtinens, nec amplius vomitu reiiciebat, qualia Chevion „Charitonis filius.„ Qui tamarindis ſe purgant, his in aqua quotidie ad quatuor uncias infundunt, atque ſaccharum addentes, abſque ulla moleſtia eorum alvi ſolvuntur, biliſque ea purgatione educitur: ad quam quidem bilem purgandam magis conveniunt quam caſſia, aut manna, præſertimque in regionibus calidis, ubi dulcia facilè in bilem vertuntur. Non ſecus atque in India fieri accepi, multi à purgatione per quindecim dies aſſumunt nonnulla grana lapidis Bezahartici cum aqua bugloſſi, aut machalef, per eumque annum, ſic facientes, à morbis ſe præſervatum iri putant. A multis morbis præſervantur exercitiis, frictionibus, & balneis, quorum genera, atque uſus optimè norunt: partes enim omnes; & ſanas, & ægras exercent, eo penitus modo, quo id faciendum eſſe docuit Galenus ità dicens. " Hæc igitur omnia *In 2° de tuend. valetud.* „exercitationum genera ſunt, quæ & modo dictas differen-

„ tias habent, & ſupra has, quod alia lumbos magis quàm „ brachia, crurave exercent: aliæ ſpinam totam, aut pul- „ monem tantum, aut thoracem, quippè itatio, curſuſque, „ crurum exercitationes ſunt acrochriſmi, & ſciamachiæ bra- „ chiorum, ac manuum propria, lumborum autem aſſiduè ſe „ inclinare, ac rurſus revocare, idque aut pondus aliquod à „ terra tollentem, aut aſſiduè in manibus ſuſtinentem. Sunt „ & qui depoſitis ante ſe halteribus uno intervallo diſtantibus, „ poſtea medii ipſi ſtantes inclinant ſe, atque attollunt „. Pedes ergo greſſu, & curſu exercent, acrochriſmis manus, lumbos flexione, thoracem & pulmonem maximis reſpirationibus voce, & dieta, & ipſius inſtrumenta, maxime vero, qui propter frigiditatem excalfieri deſiderant, atque pro variis morbis, variis exercitationibus utuntur, ut in ſuſpirioſis, orthopnea laborantibus, quartanariis, capitis affectibus, vociferatione utuntur. Morbo vero comitiali obnoxios, aurium dolori, *geſtatione*, *ambulatione*, *curſu mediocri*, vehiculiſque exercent. *Nec non qui facilè incidunt in tonſillarum* inflammationem, aut *vitia*, *quæ antiades vocant*, collumellam, gangrænas, dentium vitia, qui *imbecillis* ſunt cruribus, & ejuſmodi vitiis conflictari ſolent, ſuperiorum partium exercitia, veluti cheronomia injungunt. Qui vero abſolute imbecilles exiſtunt, leves exercitationes tantum ſuſtinent: validiores autem, qui pluribus diebus febre carent, aut qui nonnullorum morborum principia ſentiunt. Vocem plurimi exercent, non modo ad ſanitatem, ut dixi, *ſed etiam* ad quæſtum. Qui enim elegantiori modulatione, graviorique vocis ſono cæteris præſtant, ii magna præmia ferunt. Cum enim nolis, & tintinnabulis horariis Mauri careant, nonnulli ante lucem per tres horas, terque in die, ſemelque ad noctis horam, voce pollentes, turres in templis extructas, ceu & noſtras ſacras, conſcendunt, atque antelucano tempore in omnibus templis per horam declamant, canentes, hortanteſque, ut omnes ad orandum de ſomno ſurgant, melius eſſe dicentes orare, quam dormire, ut eorum quorum ſunt Oratores, exoratores exiſtant: Deo enim gratiſſimum eſſe, ejus

ſervum

ſervum ſibi diluculo gratias agere, quo tempore ipſum è Cælo deſcendere ajunt, ut videat, num quis pro tot beneficiis ei grates perſolvat. Pſalmos quoque David canunt, atque etiam ex eorum lege multi ſunt, qui concinunt, cantare, & reſpondere parati: quod ſummopere delectat, cum Arabes præſtantiſſimi ſint Muſici, non arte, ſed natura. In quacumque urbe reperitur templum inter reliqua maximum, à quo incipit cantus, atque ubi præclari Muſici hinc fuerint auſpicati, ad alias arces, ſeu turres proficiuntur. Ad hujuſmodi voces ferè omnes, & mulieres ipſæ conſurgunt, ut orent: alii ad templa ſe conferentes, alii verò domi. Qui autem cantu antecellere ſtudent, ad vocem expediendam ſemper aliquid ore detinent, ut liquiritiæ ſuccum, ejusdem decoctum, Myram, ſtiracem, iridem, tragacanthum, gummi genera multa, hyſſopi vinum, quo quidem, & cum aliis, & ut medicamento uti poteſtatem habent, rerum pectoralium decoctum, oleum è nucibus Indicis, oviſque ſorbilibus, & multis aliis, quæ brevitati ſtudens omitto. Sed ex vocis exercitatione ad frictiones, atque ad balnea, quibus tuendæ valetudinis cauſa omnes ferè utuntur, redeo. Frictionibus citra Medici auxilium in balneis, & domi opportunè in quantitate & qualitate utuntur, qualitate, ut dura, molli, mediocri, quantitate vero, ut mediocri, multa, & pauca. Earum uſus optimè norunt, dura enim ad adſtringendum, mollia ad ſolvendum, modica ut impleat, multa ut minuat, utuntur. Frictio præparatoria, quæ fit ante exercitationem, primum blandè, deindè valentius, quoad corpus rubeſcat, iis familiariſſima eſt. Similiter apoterapia, ſeu recuratoria, ut recentiores vocant, quæ fit, ut ea, quæ in muſculis ab exercitatione detenta ſunt, evacuentur. Eaque duplex eſt, altera, ut exercitationis pars, altera vero, ut ejuſdem ſpecies. In his membra modulantur, & contrectant; his à laſſitudinibus præſervantur. Divites dormituri, ut leviter pluribus manibus perfricentur curant: hoc enim modo ſibi ſomnum promoveri, corpuſque recreari aſſerunt. Ad quem uſum etiam balneis utuntur, quippè pro illorum corporum præſervatione, de quibus cum in Libris

bris de Medicina Ægyptiorum poſtremæ editionis accuratè ſcripſerimus, non eſt iterum ut eadem repetamus. Utuntur itidem in balneis præter fricationes, ſudatione, & vomitione, de quibus etiam à nobis in iisdem libris commodè actum eſt. In balneis variis pſilotris, quæ ad manus habent, pilos in inguinibus, & aliis partibus expilant; inter quæ vulgatiſſimum eſt quod ex calce, aut chali, & ſandaraca conficiunt. Alii thithimali ſucco, alii urina canina, atque aliis utuntur. Eodem modo ad canitiem retardandam multa medicamenta in promptu habent, cujuſmodi eſt decoctum myrobalanorum, oleum de coſto, de melanchio, nec non oleum de ſinapi, & de colocyntide. Cedria quoque multorum capillos illinunt per quatuor horas, & poſtea lavant. Mulieres in balneis multa faciunt, & ut ipſarum lavent corpora, & ut caput ſpeciatim detergant, ad dolorem tollendum, atque ad capillorum quoque conſervationem, ablutionem, & pulchritudinem comparandam. Pro quibus Balneatores multa medicamenta parata in balneis habent: Inter quæ eſt terra Beilum vocata, qua multæ capillos obvolvunt, eoſque pulcherrimos reddunt, &, ut dicunt, etiam longos. Ad quem uſum itidem habent oleum amygdalinum dulce, & myrteum. Sed hoc iis eſt valde familiare medicamentum, quod componunt, accipientes hordei ſine cortice ℥ xxx., chebuliorum, aut emblicorum mirobalanorum ℥. v. ex aqua coquunt, deinde addunt oleum violaceum, ladanum ad ℥ iij, foliorum althææ, ſeſami, & cucurbitæ ana ℥. x., coquuntur quoad oleum tantùm ſuperſit. Quoniam autem tota Mauritanorum ſecta, quin imò omnes mulieres plagam orientalem incolentes, albedinem in capillis damnant, colore atrorubente delectantur: idcirco ad eum uſum in balneis parantur medicamenta, ex quibus non parum quæſtus iis accedit. In frequenti uſu ſunt liguſtrum Ægyptiacum, quippe ejus folia quandoque ſola, quandoque miſta roſis: modo nucum aquam, modo cariophyllos addunt, ne cerebrum lædatur. Vel gallas aſſumunt in fictili cum modico olei torrefactas, deinde contuſas, cum liguſtro miſcent, addentes modo modicum aluminis,

aliàs

aliàs ſal armoniacum, alias æs uſtum, quod Ferretum Hiſpanicum vulgus vocare ſolet. In multis autem regionibus mulieres liguſtri foliis pulveriſatis (Archenda Ægyptii vocant) atque aqua vel ſimplici, vel roſacea ſubactis, capillos ruſo colore inficiunt, caputque, & cerebrum hoc medicamento ſanum conſervant, cum adſtrictionis non paucæ ſit particeps. Ad febrium ardorem, & vehementiam nullum aliud remedium validius invenere, quo refrigerentur, quam Nymphææ pulverem ſi liguſtro miſceant, vel ſi liguſtri pulverem, Archendam dictam, ejusdem Nymphææ ſucco, aut aqua ſubigant, aut alio conſimili ſucco, aut aqua refrigerante manuum, & pedum volas tingant, & illinant: quo etiam medicamento ad uſtas partes, & inflammatas uti ſolent, nec non ad oris ulcera. Liguſtri florem maximo cum emolumento olfaciunt ægri, nec non frontem illinunt, quod Mauri cognoſcentes ipſum familiariſſimum habent, nullumque ibi ægrum invenias, apud quem hujusmodi flos non reperiatur: ex eo etiam aquam extrahunt ad fluxum ventris, gonorrhœam, & uteri profluvium ſummè utilem, atque ad ſanguinis rejectionem. De liguſtro autem Ægyptio, nos in libris de Plantis Ægypti ſcripſimus, atque longè accuratius poſterius in hac noſtra hiſtoria de eodem acturi ſumus. At his obiter dictis, rurſus ad præſervationem redeo, unumque non omittam pro puerorum præſervatione, quod quamvis Ægyptii calidam habitent regionem, nunquam puellos vel nuper natos, vel etiam pueros adultos lavant, adeo frigus timent, ut multi vigente æſtu veſtes pelliceas induant. Pro infantibus vero multa in balneo medicamenta inſtructa reperiuntur, inter quæ primas tenent myrti pulvis, & ſantalorum, atque curcumæ radices. Ipſos octavo quoque die lavant, diligentiſſimè educunt, nutricis, & lactis magnum delectum habent: lac ſuper ſpeculum an probum ſit experiuntur: ante ſeptennium pueros equitare aſſueſcunt: eorum legem ut diſcant, ſumma diligentia curant: eorum moribus ſummè ſtudent, atque optimo cantu eos delectant. Mulieres verò, puerique eunuchi, quibus abundant Ægyptii, nunquam vi-

num bibunt, quod ſi qua mulier vinum bibere deprehendatur, eàm in carcerem adigunt, atque inter meretrices recenſent: eandem pœnam ſubeunt omnes alii, quod vinum biberint accuſati, qui cum ad judicem deducti ſunt, eorum naribus clauſis, num vinum biberint, expiratione explorant: qua perſpecta veritate, hominem humi proſternunt, ejuſque pedes in laqueum ligno alligatum conjiciunt, quod utrimque attollentes, pedeſque, & crura ſurſum elevant, caput deprimunt, ab utroque latere hominem detinentes, ipſum multis verberibus, fuſtibus & nervis bubulis ſuper pedes, & nates plectunt, ut quandoque ungues decidant. Ab hoc tamen immunes ſunt, qui à Rege ſtipendium habent. Præſervationis quoque gratia Ægyptiorum plurimi, ne omnes dicam, quotannis, non modo ſemel, ſed bis vere, & autumno ſanguinem ſibi detrahunt, & hoc faciunt tam urbani, quam agreſtes homines. Unde quandoque omnes unius Villæ incolas ad quatuorcentum una urbem petere, ut ſanguis ipſis mitteretur, vidimus: quidam è brachiis, quidam è cruribus, multi ex venis frontis, nonnulli ex occipitio, prout vel alias conſueverant, vel ab eorum medicis iis præſcriptum fuerat. Chirurgi autem hujusmodi hôminibus ſanguinem educunt, non in pelvim, aut in vas aliquod illum colligentes, ſed in terram effundentes, quantitate conjectura æſtimata. Ob ſanguinis vero abundantiam ipſum Ægyptii extrahunt, quod ni faciant, febribus ſanguineis corripiuntur, in plethoramque quoad vires & quoad vaſa incurrunt, aliiſque morbis, à quibus periculum impendet, corripiuntur, quo probè ab iis cognito, ſanguinem educendo morbos præveniunt. Sanguine autem multo Ægyptios abundare, ſicuti certum eſt, ſic qua de cauſa fiat, illis incertum. Dicam verò (licèt hanc rem in Lib. de Medicina Ægyptiorum ſatis, ſuperque conſideraverim) quod à doctioribus Ægyptiis accepi. Inquiunt ii, aquam Nili magnam copiam ſanguinis gignere, non qua aqua, ſed ob ſanguinis vim quam adhuc ex eo tempore retinuit, quo vir ſanctus, & propheta Moiſes Dei juſſu Iſraëlitas ex Ægypto, ex Pharaonis tyrannide liberare ſtudens, aquas

quas Ægyptias in ſanguinem convertit, quas licet denuo poſtea in aquas mutaverit, tamen ſanguinis vim hucuſque retinuiſſe, omnes exiſtimant. Quod utcumque ſit, hoc veriſſimum eſt, ſanguinem ibi abundare, ægroſque eo ſuffocari, niſi citiſſimè venæ ſectione occurrant, aut aliis præſidiis ſanguinis abundantiam tollant: & hoc pace tanti viri Galeni dicatur, qui in libro de Sectis, ſi tamen ipſius eſt, inquit, Ægyptios non pati largas ſanguinis evacuationes. Nos alibi, ſcilicet in Lib. de Medicina Ægyptiorum, diximus, cauſam multi ſanguinis in Ægypto præcipuam eſſe aquam Nili, qua ii ad potum largè, aſſiduèque utuntur, quæ jecur illorum corporum ex calidori cælo calidius quaſcumque venas ſua tenuitate partium permeans, uſque adeo contemperat, ut ad gignendum ſanguinem opportuniſſimum fiat: quam utilitatem in nobiſmet ipſis ibi ex largo, continuoque ejus aquæ potu experti ſumus; de qua re alibi accuratius, ut dictum etiam eſt, egimus. *Quemadmodum in iis quoque libris* exactiſſimum *ſermonem habuimus de variis modis* quibus Ægyptii mittunt ſanguinem, quippè de variarum, & venarum, & arteriarum pro miſſione ſanguinis ſectione, de ſcarificationibus malleolorum, deque cucurbitulis apud eam gentem obſervatis. Sed de hac præſervatione, quæ ab evacuatione ſanguinis fit, hæc obiter dicta nobis ſufficiant. De ea vero præſervatione qua illi oculorum probam ſanitatem conſervant, nunc pauca quoque à nobis ſunt dicenda. Sibi ipſis enim de oculorum præſervatione magnam curam habere *ſolent*, quando intenſa illiuſce regionis caliditas, pulvereſque ſalſi, & nitroſi, arenæque aliquando ex ventis copioſius illuc delatæ oculos maximè inflammant, atque iis aliàs noxas inducunt. Ad id & domi, & in balneis multa medicamenta ad manus habent. Domi aqua *ſimplici*, vel *ſtillatitia* ex herbis frigidis utuntur quavis die oculos abluentes, in ipſoſque largè aquam projicientes: hæc enim & ab oculis pulveres calidos detergendo, & refrigerando maxime ne inflammentur oculi præſtat. Qua oculorum ablutione, qui ſpirantibus ventis auſtrinis (Campſinis vocatis) maximè æſtuoſis, arenaſque copioſas ſummè inflam-

flammatas deferentibus (quo tempore ophthalmiæ innumeræ epidemicæ graſſantur) uſi ſunt, aut nihilo oculi eorum, aut parum læſi fuerunt. In nobis vero metipſis iſtius præſervationis utilitatem, toto illo tempore quo in Ægypto moram traximus, experti ſumus, nunquàm enim oculis in ea regione laboravimus. Habent & aquas varias ſtillatitias ex herbis frigidis, quibus eodem modo utuntur. Alii in oculos lac Camelinum, aut Aſininum, aut Humanum, aut iſtorum defectu Caprinum ſæpe (iis flantibus ventis) inſtillant. Sunt, qui oculis inflammari incipientibus ſaccharo in tenuiſſimum pollinem in ipſos injicientes utuntur. Pleriſque vero familiariſſimum eſt, decoctum collyrii modo inſtillatum, quod ex antimonio fit, quod cum ii cognoverint oculos maxime roborando plurimum ad tuendam oculorum, & ſanitatem, & gratiam, & pulchritudinem valere, omni tempore illius uſum ideo ii frequentant, atque etiam ad nigrorem oculis, atque *ciliis conciliandum*, quomodo olim Matronæ Romanæ, & *aliarum Nationum mulieres* eo uti conſueverunt. Quo Græcis meritò γυναικεῖον dictum eſt, quod tingendis nigrore ciliis mulierum expetitur, & à Plinio platyophthalmon, quod picturæ nimirum mangonio dilatare oculos quodammodo videatur. Aliàs à nobis dictum eſt, experientia cognitum eſſe, nullam ex Ægyptiis mulieribus inibi vaſculo parvo eo ex antimonio linimento confecto pleno ad uſum oculorum carentem invenias. In Ægypto puerulos oculos albos habentes longo illius linimenti ex antimonio parati uſu, nigrum colorem nanciſci conſtat. In balneis vero ad manus quoque ſua collyria habent od oculorum uſum, quibus utuntur: balneo enim egredientes ferè omnes, palpebras collyrio tingunt, & non modò à balneo, ſed quotidie id faciunt. Proinde multi medici ocularii nuncupantur, cum tamen nihil aliud in eorum officinis vendant, quam collyria, quibus eorum, qui ad eos accedunt palpebras illinant, ad eoſque concurrit multitudo magna. Sunt & mulieres ocularia, quæ urbes percurrunt, collyria admoventes, quibus oculos præſervari, tum à lachrymis, tum à flu-

fluxione dicunt. Accedit, quod palpebrarum pilos hoc modo nigros reddentes, quandam oculis gratiam conciliant, præſertim in mulieribus, quæ eo longe formoſiores redduntur, quod ut aſſequantur, nonnullæ etiam collyriis ſupercilia connectunt: ex multis autem collyriis, quæ ſunt in uſu frequentiſſimo, duo referam, ut magis familiaria. Alterum conſtat ex thuris maſculi, & coſti, oleique fuligine: alterum vero conficitur, ut nuper dictum eſt, ex antimonio in tenuiſſimum pulverem redacto, & cum aliis decocto. Jam hæc de conſervanda oculorum ſanitate obiter dicta ſint: Nunc de eadem ad dentes conſervandos pauca à nobis etiam dicenda ſunt. Nullum in hac regione, quod mirum maximè eſt, unquam dentium aliquo affectu correptum vidi, ſicut apud nos frequentiſſimè dentes vitiati, ac læſi nobis occurrunt, idque fit, quod Ægyptii dentium maximam curam gerant: nam à ſomno ſurgentes, ubi ſe laverint; oraverintque, per horam dentes fricant, vèl Ban, de quo poſtea, vel granati, aut ejusmodi ligno, maximè vero quodam Meſuag nuncupato, quod è Mecha afferunt, eorumque prophetæ lignum vocant. Hujus ramuli alterum caput contundunt, aqua macerant, mandunt, molleque reddunt: dein dentes fricant, ſicque eos purgant, à dolore, eroſione, putredine, carieque præſervant, & quominus labantur efficiunt, oris halitum commendant, gingivas roborant, earum eroſionem, & fluxionem inhibentes. Multi ad id Fauſel ore detinent, quo & Indos adeo ſuos dentes ſervare dicunt, ut dentium dolorem India non noverit. In maximo Mechæ delubro ex Meſuag dentifricia quotidie venalia, aquamque in pelvi parant, vanè populo perſuadentes, Mehemetem quacumque nocte eo venire, ſeque lavare, nec non ejus dentes eo ligno fricare. Hæc, atque alia lucri cauſa fingunt. Verum enim vero hæc dentifricia utiliſſima ſunt, ob cauſas nuper dictas: ſèd de ligno Meſuag poſtea accuratius. Unum demum non omittam, quod eſt, quia omnes ibi immoderatius Veneri incumbunt, ut quædam dicamus de iis, quæ illis maximo uſui

ſunt, ad venerem ſcilicet in viris promovendam, augendamque ad ſobolis conſervationem.

Caput XI.

De prolificæ facultatis in Viris præſervatione, proindeque de iis, quæ ad augendam Venerem Ægyptiis ſunt familiaria, Medicamentis, agitur.

Non omittendum duxi, quin de iis medicamentis etiam ſcriberetur, quæ eos, qui ad procurandam prolem impotentes, imbecilleſque ſunt, relevant. Hi enim veneri neceſſariò multum indulgent, cumque plures ipſi habeant mulieres, illis ad copioſiorem prolem à lege conceſſas, ipſam venerem omnibus modis ciere ſtudent: ad quam quidem ciendam utuntur aromatibus, oleribus multis; radicibus, fructibus, atque aliis multis medicamentis, & ſimplicibus, & compoſitis: quæ priusquam ſingula referam, decrevi hic tranſcribere, quæ de iis medicamentis quibus frigida venus calefit, ex libro quodam Arabico, qui dicitur Artis Perfectio, à Medico doctiſſimo olim conſcripto, accepi. Ille enim ita ſcribebat. „ Venerem ſtimulant in frigido tempe„ ramento, paſtinaca, ſilveſtris eruca, raphanus, eorum ſe„ mina, lini ſemina, terebinthi baccæ, apium, & ſemina, „ ſeſama, cyperus eſculentus, faba, cicer, faſeolus cum cin„ namomo, macis, nuclei pinei, avellana, piſtacia, traga„ cantha, aſſa, quæ calida eſt, & inflat, ejuſque ſeſqui„ drachma ex vino ſummopere prodeſt. Utrumque ben, ſci„ licet album, & rubrum, coſtus, ſatyrium, ſcincus, gingi„ ber, præſertim melle conditum, galanga, buzeidan, her„ modactylus, mogad, ſcinci cauda, renes, & ſal, colum„ barum, paſſerum, & perdicum ova, ova gallinacea ſor„ bilia cum gingibere, tauri virga arida cum luteo ovi ſor„ bilis,

„ bilis, aut cum carne cocta, omnia cerebella, præſertim
„ paſſerum, gallinarum, anatum, & ejuſmodi cum ſcinci ſa-
„ le, Cameli lactentis coagulum ciceris quantitate ex aqua tepi-
„ da maximè ſubvenit, quod ſi lædat, aqua frigida lavetur. In
„ temperamento temperato, lac concretum decoctione, atque
„ quotidie ad cyathum epotum, aqua mellis in qua ferrum
„ candens fuerit extinctum, uvaque recens, erucæ ſuccus
„ cum vino dorſum validum reddit, illicoque ſubvenit. Paſ-
„ ſerum aſſiduo uſu, & lactis potu aquæ loco ſemper viget
„ libido, ſemenque augetur. Ex compoſitis vero, Mithri-
„ datum, diamoſchus, atque quatuor cum dimidia drach-
„ mæ confectionis ex ſeminum erucæ, aqua medicamentum
„ de ſcincis, atque Philoſophorum electuarium locum habet.
„ In cibis erit caro arietis, ciceres, cæpæ, triticum, rhye-
„ mata, faba vel ſola, vel cum ſeminibus, vel cum cinna-
„ momo, & galanga, ſcinci ſale, & gingibere. Præſtat hæ-
„ dus mas pinguis, nec non gallinæ, & pulli pingues. O-
„ ryza cum lacte, & præſertim cum carne, caro cum a-
„ ſparagis, porra, ova ſorbilia, piſces recentes. In tempe-
„ ramento calido, utilis erit cucumis, chetta, perſicus, lac,
„ cancri fluviatiles, uvæque recentes. Ab acidis, & acri-
„ bus, ut acetum, abſtineant, & ſalſis, & à ſtupefacienti-
„ bus, ut lactuca. Menta, ſeminis vaſa roborat, atque ſti-
„ mulos addit. Fructus erunt piſtacia, avellana, radicula
„ cyperi eſculenti, vel dulcis, nuclei pinei, ſemina paſti-
„ nacæ, & erucæ ex oleo ſrixa addito melle, quod ſat ſit,
„ atque erucæ electuarium præſtantiſſimum eſt. Cervi ge-
„ nitale in pulverem tritum, caryophilla in lacte, dauci ſe-
„ mina, vitis nigræ radix, id eſt uva taminia Plinii, hor-
„ minum, gladioli radix ſuperior, aſphodeli itidem radix,
„ dracunculique majoris radix. Potum ſit vinum ex paſſis,
„ & vinum novum dulce. Sumatur itidem paſtinaca, eru-
„ ca, ficus, napus, coquaturia aqua, quorum decocti pars
„ una ſumatur, atque vini ex paſſis pars ſaccharo miſceatur,
„ & aſſumatur. Inungatur pecten, & genitale, ejuſque ra-
„ dix oleo balanino, liliorum alborum, & ſambacino, nucis

 „ my-

„ myriſticæ, Indicæque oleo, nec non cicino cum moſcho, „ vel zibetho, oleove ſinapino, cum benzuino, vel oleo piſtaciorum, & ſimilibus. Ex medicamentis itidem venerem moventibus fiunt clyſteres, & balani, qui magnæ ſunt „ utilitati. Nam ex Columbi adipe ſuppoſitorium mirificè „ eos juvat: fit verò clyſter hoc modo. Paſſerum caput, „ & pedes, & triticum, partes æquales ſumantur, mogad, „ buzeidan, ſcincus, & ſemen nuclei pinei quarta pars, co- „ quantur per noctem in furno, quoad diſſolvantur, quibus „ addatur lac, & butyrum, nec non renum ſcinci adeps; „ oleumque de ſpica, & fiat clyſter. Quod ſi veneris de- „ fectus fuerit ob genitalis debilitatem, ſi in calidam aquan „ injectum, & moratum aliquandiu roboretur, moveaturque, „ ſpes erit ut curetur oleis prædictis, ſin autem in aqua „ non moveatur, curationem non admittet. „ Hæc liber qui dicitur Artis Perfectio habet: quibus profecto nos ſubjungemus, quæ hac noſtra ætate Ægyptiis ad movendam Venerem ſunt in frequenti, familiarique uſu. Itaque inter aromata illis uſui eſt, gingiber conditum, caryophylla, zedoaria, zurambet, piperque condita, nec ſecus nux Indica, nux myriſtica, mirobalani omnes conditi, maximè autem Bellerici vocati, radicis chinæ conſerva ex melle, galanga, & multa alia condita, quibus abundant Ægyptii, maximè autem mercatores, ad quos hæc omnia per Mare Rubrum Liburnicis ab eorum procuratoribus gratis mittuntur. Inter domeſtica vero ad eum uſum commendantur, eruca, *bulbus*, Belbus vocatus, ſatyrium, urtica, buzeidam, *paſtinaca*, *loti* radices, Rais el nil vocatæ, ſecacul, ſeſamum, quo ſummopere delectantur. Oryza cum lacte, piſtacia, nuclei pinei, napæ, rapæ, ciceres, mala inſana, & fructus caſtaneis ſimiles, qui ex Nubibus afferuntur, ipſoſque ad id plurimi faciunt. Inter animalia vero, ut alia omnibus nota omittamus, *ſcincus* laudibus multis concelebratur, de quo ſuo loco nos accuratius, & crocodili caro, quam ſummopere extollunt, ipſamque vires recreare, totumque corpus, & dorſum roborare, afferunt, idque vel ſemel comeſtam præſtare. Ex *compoſitis*

tis etiam omnia de quibus Avicenna Lib. quinto ad eum uſum meminit, ſcilicet tripheræ variæ compoſitiones, Theriaca magna, atque Mithridatium, electuarium philoſophorum, quod Magion el Fileſefe. Illis vero ad id communiſſimum eſt Bernavi electuarium vocatum: Quo nihil præſtantius ad Deam opiparam reſovendam, inſectandamque Mauritanorum ſchola invenit. Philonium, & Perſicum, & Græcorum in uſu quoque eo eſt, Opium, Bers, atque Aſſis. Et quemadmodum innumeræ ſunt officinæ, quæ nihil aliud vendunt, niſi horum unum, vel plura, ſic non deſunt medicorum ſectæ, & aliorum, qui hoc magis, quam illud laudent. Inter antidota vero, quæ omnibus ſunt maximè familiaria, Theriaca magna, atque Mithridatium exiſtit; quæ tamen magna fraude componunt, multisque modis. Etenim pro Regibus exactiſſimè eas componentes, optimis, omnibusque ſingulis ingredientibus ſimplicibus medicamentis, ea perficiunt. Pro plebe vero minuta alia componunt, magno cum ſimplicium eam perficientium defectu. Theriaca vero, de qua compoſitione in quinto Libro de Medicina Ægyptiorum ultimæ editionis nos exactiſſimè ſcripſimus: omnibus numeris abſoluta Cairi paratur à viro peritiſſimo, & doctiſſimo Seridim nominè, cui mortuo ſucceſſit Mahemet Ebneferidim, utpote ſuus filius: hic enim omnia ſimplicia medicamenta habet. Ex hac Theriaca Morat, hodie Turcarum Imperator, modicum quotidie aſſumit, qui quandoque & Bers comedit, quamvis epilepſia laboret. Qui Magion el Fileſefe utuntur, optimè vivunt, inculpataque valetudine fruuntur, nec ſecus, qui Theriaca, Mithridato, atque Tripheris. At qui Opium aſſumunt (multi enim ſunt, qui per ſexaginta annos quotidie uſque ad drachmas duas comederunt) tandem atrophia laborant, eorum concoctio depravatur, ventriculus labefactatur, calor naturalis ferè extinguitur, dormitabundi fiunt, facile obliviſcuntur, inconſtantes ſunt, cogitabundi, quod promittunt, minimè facientes. Eorum os fere ſemper ad partes trahitur, ut eos oris convulſione, aut tortura laborare dicas. Eorum alvus ſæpè ſiſtitur, ut clyſteribus uti neceſſe habeant. Qui vero Philonio delectantur, quod va-

riè componunt, dum ipſum in corpore ejus vires prodit, multa loquuntur, facetiis, & leporibus, venuſtateque affluunt, legunt, ſcribunt, laborem non ſentiunt, aſſurgunt, ſedent, moventur, quamvis ſenes ſe robuſtiores, & leviores, magisque agiles evaſiſſe ſibi videntur: omnia pollicentur, ab iis omnia impetres, ut quidam Gemmarii, in eos philonio agente, ſæpe gemmas noſtris minori pretio, quam ſtarent, vendiderint. Alii, eo veluti temulenti, Servos manumittunt ſcripto, cujus Philonii vis ubi evanuerit, ſe id feciſſe, & jurejurando perjuriovè negant, eosque iterum vendunt, quod ſæpe eveniſſe in illis vidimus. Bernavi, & Aſſis utentes, ſicuti pejus ſe habent, quam qui Theriacæ, & Mithridatio ſe dant, ſic minora incommoda ſentiunt, quam qui Philonium aſſumunt. At omnes in eo antecellunt, quod majora oblectamenta capiunt: nam lætitia hi ſumma afficiuntur, ad venerem non modo concitantur, ſed & robuſtiores fiunt, per quatuor horas ſe in amæniſſimo loco eſſe ſibi videntur, pulcherrima pomeria, prata, viretaque vident, eorum oculis & menti obverſantur viſa, ſpectra, phaſmata, phantaſiæ, & omnia fere quæ per ſomnum videri ſolent, ſicuti ſomnium, inſomniumve iis oraculum videtur. Cum Angelis ſe loqui dicunt, multasque, & varias rerum imagines ſe videre affirmant, quæ non recenſeo. Hinc amplam occaſionem Mahemetem nactum fuiſſe ferunt, qui ab ineunte ætate huic electuario aſſuetus erat, quo tempore primum in uſu venit, ut & prophetam eſſe, & ſe cum Diis loqui Arabibus perſuaderet, cum id & nonnulli ejus domeſtici, quibus fidebat, hoc aſſumentes, in ſe ipſis experirentur, id ſibi evenire cenſebant, quod eos diligeret Deus, ut prophetæ ſocios. At poſtmodum cum id innotuiſſet, eſſetque in communi conſuetudine, factum eſt, ut à plerisque doctoribus non modo non credatur propheta, ſed prorſus nullam ei fidem habeant, quamvis id facere ſimulent, aut metu, aut fortunæ bonis, quæ iis eorum ſectæ credulitas affert. Non ab re autem eſſe duxi, dicere quid ſit Bernavi & Aſſis, &, quia Aſſis Bernavi iſtius electuarii eſt præcipua baſis, de Aſſis ideo primum dicendum puto. Aſſis igitur nomen

men ad omnem herbam genericum eſt: verum cum herba hæc adeo ab omnibus propter ipſius vim eximiam, & non parum admirandam expetatur, celebriſque apud eas gentes ſit, per quandam veluti antonomaſiam generis nomine dicta eſt. Alii vero eam *Cheles* etiam nuncupant. Hæc vero, ut ex plantis quid ſit intelligatur, à nobis canapis fœmina eſſe viſa eſt, de qua poſteà longe accuratius agemus, & an ſit canapis diſputabimus. Ex hac inquam herba, ideſt foliis ejus ſiccatis, & in pulverem detritis Bernavi electuarium componunt, variè tamen pro aromatum varietate, & pondere, quæ in eo ad libitum injiciuntur. In communi uſu parata, fit hoc modo, accipiendo aſſis pulverizatæ ʒv. piperis nigri, albi, longi, ana ʒv. pyrethri ʒiij. croci ʒij. calami aromatici ʒj. galangæ ʒv. Mellis depurati q. ſ. cum vino aromatico fit electuarium: cujus doſis eſt à ʒij. ad ʒiiij. Quidam addunt & caſtorei ℥ij. alii euphorbii modicum, atque alii alia. Plurimi Aſſis ſola herba utuntur tenuiſſimè trita, deglutitaque, *aut* ex ſimplici aqua ſubacta. Arabumque *ritus eſt*, *ut* eo modo ipſam aſſumant. Qui hanc ipſam ſumunt, ſemper colore citrino conſpiciuntur, eorumque oculi vivido colore deſtituti: ut plurimum graciles ſunt, ſenectutem accelerant, & canitiem. Quod de iis dixi, idem & de Bers ſentiendum eſt. Quod recipit euphorbii ʒxx. maſticis ʒx. ſpicæ Indæ ʒxxx. piperis ʒc. pirethri ʒxv. Apii, hyorcyami albi ana ʒLX. caſtorei ʒxv. his pulverizatis ex melle deſpumato cum vino odorato mixtis paratur electúarium, quo utuntur *Turcæ in regionibus frigidis*, & in *Ægypto* Mauri hyemis tempore. Iis vero, qui Opio, Philonio, Aſſis, Bernavi, atque Bers aſſueti ſunt, nunquam ea intermittere poterunt, quod ſi aliquando faciant, in magna, ſævaque ſymptomata, & vitæ periculum incurrunt. Johannes Jacobus Manus, olim Medicus in Ægypto apud Venetam Nationem maximè celebris (ex cujus viri relatione multa quidem alia accepimus) retulit duos, qui ab intermiſſo Opio in ſæviſſima ſymptomata incurrerunt. Alter (inquit) nauclerus fuit, cui cum Cairum iter habenti, Opium, cui aſſueverat, defeciſſet

ſuper

ſuper Nilum, horaque qua illud aſſumere ſolebat, adventaret, nempe à ſolis ortu, primum ventriculi languore corripiebatur, deinde animi deliquio, & ſudore frigido, tandemque vox ei intercipiebatur, cumque per aliquod ſpacium male ſe habuiſſet, neque merum, aut quid ſimile eorum, quæ ad manum in navigio erant, ei opem ferret, in aquam, ut furens ſe conjecit, atque tranans per deſerta fugam arripuit, liburnicam linquens, nobisque non parvum metum incutiens, verentibus ne inde Turcis locus eſſet nos culpandi, atque ejus mortis culpam omnem in nos transferrent: quod ſæpiſſimè ii absque ulla cauſa ita nobis inſidias ſtruere ſoleant. Alter autem, Camelorum ductor, & viam præmonſtrans, qui cum in Arabia Deſerta in via, quæ Hieroſolymam ducit, Philoneo careret, quia totum illud quod ſecum tulerat conſumſerat, de Camelo decidit, neque pes, aut manus ſatis ſuum officium faciebat, graviſſimis ſymptomatibus vexabatur, ambulareque minime poterat, neque equo inſidere, ut ejus ſocii, ne feris præda eſſet, ipſum ſuper Camelum, ut furentem vincire coacti fuerint. At ſtatim recreatus ubi opiati electuarii conſueti aſſumendi fuit poteſtas. Alii rurſus fuere, qui cum ejuſmodi medicamenta intermittere, & eum uſum prorſus relinquere ſibi propoſuiſſent, morte immatura perempti ſunt. Qui Theriacæ uſui indulgent, Tharachì, qui Opio delectantur Affiunì, qui Aſſis, Aſsì dicuntur, & ſic de aliis. Nos vero quoſdam ab hac Opii ſervitute liberavimus, per plures dies illa hora qua opiatum medicamentum aſſumebant, vinum merum antiquum, præſertim Creticum cum pipere, zinzibere, atque aliis aromatibus ebullitum, largius exhibentes, atque ad minus quater in die repetentes. Atque hæc de iis, quæ ad prolem augendam venereos actus movent, atque roborant, & ad deliramenta quibus illa gens non minus oblectari ſolet, plurimum faciunt.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De tractandis in hoc tertio Libro, & primum de Terris, quas Ægyptus producit.

Univerſa Ægypti terra eſt nitroſa, nimirum quæ nimio calore ſolis quaſi uſta; minus verò quæ juxta Nilum; eaque maximè limoſa, nigra, quæ fluminis inundatione unà in Ægyptum defertur: quaque Ægypti ſolum, ut Herodoto, atque aliis viſum eſt, à ſuis primordiis humillimum quotannis à flumine ità auctum eſt, ut Nilus in agros modò exundare nequeat, niſi decem & octo cubitibus creverit. Hæc inquam, quæ ab eo flumine per æſtatem aucto in eam provinciam devehitur, ut dixi, limoſa eſt, mollis, nigra, ita pinguis, ut ea quaſi oleoſum quiddam exſudare videatur, ſaporeque obdulceſcat. Ea inibi agri ita pinguefiunt, ut ſtercoratione non egeant: ſtercora enim animalium, boumque præſertim, ſubigunt, in placentasque formant, ad ſolem ſiccant, atque per urbem ad uſum ignis vendunt, cum Ægyptus lignis non abundet. Hanc inquam terram ſiccatam Ægyptii reponunt, pro exploranda Nili fluminis auctione, quæ fit menſe Junio, uti ſuperius dictum eſt: ipſam ſingulis diebus bis, terque expendentes, lanceque ponderantes, & principium augmenti Nili fluminis animadvertunt, & quantum ejus incrementum futurum ſit, cognoſcunt. Hæc, etſi frigida ſit, & ſicca, tamen à quadam ſibi mixta aerea pingui ſubſtantia minus refrigerat, & ſiccat, cum quadam molliendi facultate. Altera terra in Ægypto eſt nitroſa, & ſalſa, utpotè quæ longè à Nilo abeſt, ſqualens, ſicca, arenis mixta,

S quæ

quæ plurimum ſalis, & nitri exſudat. Habent Agricolæ ſuam terram pinguiſſimam à pinguiſſimo limo, qui quotannis à Nilo in ſuo incremento deducitur, effectam: quam margam Ægyptiorum eſſe conſtat, ex qua Ægyptium ſolum ad ſegetum productionem adeo fœcundum fit, ut propterea nullibi locorum agri ad frugum abundantiam fertiliores exiſtant. Habent varias quoque inibi argillas, quibus fictilia varia parant, lapides lateritios, quibus ſole ſiccatis utuntur ad muros conficiendos pro ædium multarum fulcimento, ex qua etiam viliori argilla muros cæmenti loco exædificant, qui multis ævis illæſi durant. Nec non cretis diverſis fullones ad veſtium, atque aliarum rerum deterſionem, & circumlinitionem in ea regione abundant; iiſdemque & medici utuntur ad uſum medicinæ. Vaſa verò in quibus aquam refrigerant Ægyptii, ut ſuperius quoque dictum eſt, ex terra alba, & nitro ſubactis parant, in illiſque ipſam aquam continuè bibunt. Quemadmodum in Syria, ut à Syris accepimus, eadem fictilia ex terra alba itidem, atque ſale conficiunt. Nitrum vero, & ſal ad aquæ refrigerationem facere dicunt, quod hæc reddant vaſa rara, ſicque frigido aëri ingreſſus ex raritate illiuſce materiæ pateat, ſed aliis viſum eſt in iis vaſis per antiperiſtaſim aquam refrigerari, quod nimirum frigiditas ad centrum aquæ retrahatur, à nitri nimirum qualitate calida fugiendo ſeſe ad aquæ centrum recipiat. Atque hinc fortaſſe fit, ut illorum vaſorum etiam ſoli expoſitorum aqua refrigeretur. Ex villa, quam Chſagbut appellant, haud procul ab *Heliopoli* poſita, convehunt terram ibi effoſſam colore rubro pallido, adeo odoriferam, ut conficiendis fictilibus utiliſſima, & omnibus jucundiſſima ſit. Ex qua Ægyptii figuli cum nitro fictilia multa parant, præſertimque vaſa potatoria multarum figurarum. Inter multas vero terras, quibus Ægyptus abundat, quandam habent admodum ad uſum mulierum familiarem, quam Beilon nuncupant. Magnis glebis viſitur, gravis, friabilis, ad argillam accedens, atque colore flaveſcente, aliquantulum ad ochram declinans, guſtui lenteſcit, non expers alicujus qualitatis calidæ, quo merito deterſoria eſt, *cum vi* em-

empláſtica. Mulieres in balneo hac terra trita, & aqua ſubacta capillos illinunt, & obvolvunt, ſæpè illos manibus tractantes, ut in pannis fit à fullonibus detergendis, mundandisque, poſteaque cum fere per horam caput ea terra fricarint, & capillos ſæpiſſimè manibus contrectarint, eos calida aqua detergentes, caput lavant. Hæc terra capillos maximè detergit, flavos colore efficit, firmat, atque longos itidem reddit. Eſt & altera terra, quam inibi effodiunt, quæ cinerei eſt coloris, levis, lubrica, ſplendens, atque guſtui molliſſima, quæ ſapore, & odore Lemniam imitatur, viſu vero ſaponem æmulari prorſus videtur, non minusque lubricitate: unde & ipſi ea ad linteamina dealbanda Ægyptii utuntur ſaponis loco, & in medicinæ uſu ad multos morbos tollendos ab iis non negligitur, præſertimque ad ſanguinis ſputum, & ad quodcumque aliud ſanguinis profluvium cohibendum, non minus & ad ſudores immoderatos firmandos. Ad oculorum lachrymationem itidem collyria parantur ex ea utiliſſima: hanc terram credimus eſſe lapidem Morochtum à Dioſcoride vocatum; lapidem à lapidis figura, & conſiſtentia, quamvis terra quædam ſit argillarum genere comprehenſa. Habent Ægyptii terram Lemniam ſigillatam, bollum Armenium, Samiam, Erythræam & albam, & purpuream, nec non ad uſum venenorum, & venenatorum morſuum lapidem bezahar, ac vel etiam unicornu non carent. Vaſa quædam vidimus è lapidibus bezahar ad Regios uſus confecta, quæ in magno pretio apud eos ſunt, & ad venenorum præſervationem, atque in peſte, & in peſtiferis febribus plurimi æſtimantur, ſi in ipſis antidota, vel aquas, vel ſuccos ad eos morbos abigendos accommodatos bibant. Hæc vero ex Orientali India habent. At de his fortaſſe nos poſtea etiam diligentius.

Caput II.

De Sale in ſolo Ægyptiaco proveniente, atque de nitro.

Sale optimo, candido, ut nix, omnium profecto ſalium præſtantiſſimo Ægyptus abundat, non foſſili, non marino, ſed qui in terræ illuſce ſuperficie concreſcit. Nos enim menſe Julio è Raſſit Cairum navigantes univerſam eam planiciem ſale copioſiſſimo, candidiſſimoque conſperſam, ac veluti obrutam conſpeximus, proinde ac in Italia quodam tempore, hyeme, nive copioſa à cœlo cadente, terra obruta apparere ſolet. Ruſtici eum colligentes in acervum componunt, qui ita vili venditur, ut cuique inde impune accipere liceat. Servus à ſupellectili noſtri Conſulis, plures ſportas eo ſale plenas in cymbam pro uſu domus gratis accepit, ſecumque Cairum detulit. Gignitur vero tanta ſalis copia à terra, quæ per ſummos æſtatis calores à ſole inſigniter eam adurente, ità ſalſa efficitur, ut poſtea ex Nilo aqua ipſam inundante, liquefiat, & ſolvatur, quæ ita liquata, & ſoluta, ſuperveniente poſtea æſtatis calore, eam cogente, ſiccanteque, in ſal mutatur, candidiſſimum, tenuiſſimum, optimumque, quo Ægyptii in victu utuntur. Nitrum, quod *Arabes* Natron vocant, copioſum in Ægypto effoditur, ubi *tanto* eſt uſui, adeoque ad multos uſus tam medicos, quam alios, præſertim in telis dealbandis ab ea gente affectatur, ut ſingulis annis centum millibus aureorum nitrum vendat ille Arabs, qui parti Ægypti præeſt, quam Nilus ejus vadum alluens à ſiniſtra relinquit. Ibi tercentum & ſexaginta Villæ ſunt, pro quibus in annum tercentum ſexaginta millia ſeſtercia Turcarum Imperatori ſolvit: inter illas duæ ſunt maximæ, quarum alteram Demenor, atque alteram Laux nuncupant, in qua Arabs princeps habitat. Ex hoc *loco* bidui

bidui itinere in Deſerto eſt lacus aquæ ſtagnantis, in quem lacum quicquid conjicitur, ſivè lignum, ſivè animal mortuum, ſivè aliud, ſiccatur, atque in nitrum convertitur. Nitrum vero quotidie quindecim homines effodiunt, & in fruſta ferramentis frangunt, & dividunt in parvas glebas, quod quidem nitrum erutum, in glebaſque redactum, quinquaginta camelis, nihil aliud portantibus, ad Villam ſupradictam defertur, exindeque liburnicis Cairum vehitur. Ejus duo ſunt genera, unum roſei coloris, grave, gleboſum, durum; alterumque album, atque leve. Primum Sultanì nuncupant, ſecundum Laſultanì: primum ſecundo præferunt, quod citius, cariusque venditur: atque ut plurimum Cairi ejus uſus eſt. Laſultanì vero dictum in Syriam, Heliopolim, & Damaſcum defertur. Centum libras optimi, aureo vendunt, alterum dimidio ejus dant. Nitrum itaque quod ibi eruitur, magna gleba eſt, lapidi non diſſimilis, minus tamen gravis, aut albicans, aut roſei coloris, omnis ſalis modo nitens, ſapore ſalſo acri, in amarum deſinente. Roſeum, & ſalſius, & acrius, & amarius albo eſt, unde &, quod pertinet ad qualitatem calidam, & ſubſtantiam, & calidius, & ſubſtantia eſſentiave tenuius eſt. Tractu temporis circum ipſum exſudat veluti farina alba, quam ſpumam nitri appellant. Cæterum nonnulli dubitarunt, an hoc genus nitri veteres cognoverint, cum ipſorum nitrum, non ſalſum, ſed amarum ſolummodo fuiſſe conſtet. Siquidem per nitroſum ſaporem amarum intellexerint & Theophraſtus, & Plato, & Galenus. Hi enim omnes ſapores ſeptem numero eſſe voluerunt, quippè dulcem, acrem, ſalſum, amarum, acidum, auſterum, atque acerbum, per amarum nitroſum intelligentes. Idem, & Galenum ſenſiſſe *In primo* conſtat, ſcilicet per amarum nitroſum intelligi voluiſſe, præ- *Simpl. Cap.* ſertimque in Lib. tertio Simplicium cum dixerit: „ Quibus ſa- *36.* „ por aut acris, aut nitroſus, aut ſalſus. „ Quibus quidem du- *Cap. 15.* bitari poteſt Ægyptium nitrum, cum ſit ſalſum, acre, atque amareſcens ſimul, an ſit antiquorum nitrum. Verum enim vero iſti minimè de Ægyptiaco nitro dubitare debent, quod propterea antiquorum non ſit, nimirum ſapore præditum mix-

to ex ſalſo, acri, atque amaro; cum apertiſſimè conſtet, ſaporem, nitroſum vocatum, non eſſe ex ſimplicibus, ſed ex compoſitis ſaporibus, qui ex ſalſo, acri, atque amaro conſtat. Qua ratione Plato, Theophraſtus, Galenus, atque alii, qui tantùm ſeptem numero ſapores eſſe docuerunt, ſimplices ſolummodo intelligi voluerunt, &, ne verbum quidem de nitroſo, quod eſſet compoſitus, dixerunt, veluti nec etiam de acetoſo, & pingui, quod & ipſi ſint compoſiti. Eſt itaque ſapor nitri meritò mixtus ex ſapore ſalſo, acri, atque amaro. Quam veritatem ex Galeno confirmamus, qui Betam, & Braſſicam nitroſam eſſe tradidit: harum enim herbarum ſapor mixtus eſt ex iis tribus ſaporibus, quippè ex ſalſedine, acrimonia, & amaritudine. Ita & in nitro Ægyptio primum ſalſedo guſtu ſentitur, mox acrimonia, atque demum manifeſta amaritudo. Eo utuntur Ægyptii & ad telas dealbandas, atque ad carnes tardioris coctura citius concoquendas, atque ad frictionum, pro evocandis ad cutem malignis humoribus, uſum. Quod & ipſum in puerorum variolis, malignisque exanthematibus, & in aliis in ſatis frequenti uſu habent; atque non minus etiam ad alios uſus, quos ſuperius diximus.

In 8. Simpl.

Caput III.

De Lapidibus Ægypti.

Si de Lapidibus inſignem duritiem habentibus, qui tamen inciduntur, & perpoliti nitorem habent, Marmora Lapidarii appellant, ſermo fiat, profecto Ægyptus marmoribus cujusque coloris maximè abundat. Ex candidis primò copioſius fert Alabaſtritem vocatum, & eum qui marmoream habet duritiem, & qui fragilis eſt, quique inter Gypſa potius reponi debet: etſi Alabaſtrites uterque, & durus ſcilicet & fragilis ex loco Ægypti circa Thebas Alabaſtrite olim vocato,

to, nomen invenerit, ſcilicet candidus ſed varius, ad unguis colorem inclinans, unde ab aliquibus onyx dictus eſt, Thebani montes abundant, & eo qui mellei coloris eſt, maculoſi, non translucidi. Ex hoc præſertim vaſa parantur, in quibus, & Nobiles Ægyptii, & pharmacopolæ medicamenta compoſita conſervant. Habent hujusmodi Lapides ſuos uſus ad medicinam, qui Ægyptiis ſunt familiares: diſſolvunt illos ſucco Limonum in tenuiſſimum pollinem, & utuntur cum ovi albo ad Jecoris calidam intemperiem, & ad renum inflammationem compeſcendam, maximè vero ad partium contuſiones ſanandas. Habent, & nigerrimi coloris lapides, qui perpoliti maximè nitent, quales Alalandici dicebantur, inter quos habent optimos Chryſites, quibus aurum, argentumque examinant. Ex Numidia habent, & lividum duriſſimum, atque ex Æthiopia duriſſimum ferrei coloris, quo olim pro incude utebantur: Spectantur ibi & mixti ex colore nigro, & albo, ſed Ægypti videtur magis proprius qui niger maculis lividis infectus viſitur. Virides quoque multi in ea regione gignuntur, quique colore Jaſpidem imitantur, & qui in colore viridi maculas habent rubentes, veluti ſanguinem fuſum æmulantes, atque etiam virides totos translucidos punctis ſanguineis infectos, heliotropium lapidem planè imitantes. Porphyrites, vulgo Porfidum vocatum, in Ægypto copioſius reperitur, præſertimque qui rubet candidis intercurſantibus punctis, vel maculoſis. Habetur etiam rubens cum maculis nigris ex Syene Thebaidis convectus: ex hoc quidem lapide omnes obeliſci, qui & Cairi, & Alexandriæ ſunt, extiterunt, non minus & Columnæ marmoreæ, quæ & Alexandriæ, & Cairi extant, ex iſto lapide ſculptæ fuerunt, maximèque ex columnis illa maxima quam Pompeji columnam vocant in medio urbis Alexandriæ poſita, atque ſepulcrum, ſeu Arca, in majori pyramide poſita. Ibi quoque viſitur rubens punctis aureis infectus ex Thebaide itidem convectus: atque tales lapides marmorei in Ægypto obſervantur. At de gemmis, quæ ibi viſuntur, pauca quoque dicamus, à Smaragdis exordientes.

Caput IV.

De Smaragdis, qui in Ægypto naſcuntur.

In Ægypto omnes gemmarum ſpecies copioſius inveniuntur, majori ex parte ex orientalis Indiæ locis delatæ, aliquot vero in hac regione naſcuntur, quippe Smaragdi præſtantiſſimi, Chryſolitæ, Chryſopraſſi, Heliotropii, Jaſpides, Cyanei lapides, atque alii. Quod Smaragdi pretioſiſſimi omnium in Ægypti provincia Gait vocata effodiantur, omnibus, qui Ægyptum habitant notiſſimum eſt. Itaque in Gait, ſub Ægyto meridiem verſus poſita provincia, vel regno, ubi olim Inarum regnaſſe ferunt, Smaragdorum puteus eſt, quem Bir el Smerud vocant, in quo quotidie pro Turcarum Imperatore fodiuntur Smaragdi, &, quamvis foſſores ſummo ſtudio obſerventur, ne lapillos hos pretioſos ſuffurentur, tamen adeo vafri, & callidi ſunt, ut ſæpe præſtantiſſimos lapides occultent, quos noſtris mercatoribus vendunt. In eo puteo, quo tempore Meſſir Baſſa Pro-rex in Ægypto fuit, Smaragdus pulcherrimus, quatuor ſupra triginta drachmarum pondere, inventus eſt, ad eximiam perfectionem, & commendationem accedens, quem ſæpius Ægypti Pro-rex Clariſſimis Conſulibus Venetis, illic pro Veneta Natione morantibus, oſtendit, cujus Smaragdi pretium, ſi nunc in pretio ita eſſent hi lapides ſicuti antea fuiſſe conſtat, quatuorcentum mille aureis nummis procul dubio æſtimaretur. Ex Smaragdo confecta vaſa ferè innumera, & varia inveniuntur apud Turcarum Regem, nonnullaque pulcherrima, anno eo, quo Cairum venimus ad ipſum Pro-regem ex Ægypto, à quodam ejus Præſide, ex regia ſtirpe oriundo, delata ſunt qui diu Thebarum provinciæ præfuit, atque apud hunc ea fuit Smaragdorum copia, quæ fidem ſuperet, eamque aliqui ex noſtris mecum una viderunt. Ægyptii, Ara-

Arabesque ipſum vocant Smerud, non autem, ut perperam Garcias ab Ortu credidit, Zamarut. Hujuſce gemmæ haud probam is cognitionem habuiſſe viſus eſt, præſertim cum ſcripſerit, Smaragdorum locum natalem ex quo effodiuntur vix cognoſci, nullis fragmentis remanentibus: cum notiſſimum omnibus Ægyptiis ſit, Smaragdorum verum natale puteum eſſe, in regno Gait vocato, ſub Ægypto, quem, ut dictum quoque eſt, Bir el Smerud appellant. Atque etiam quòd apud Mauros quamplurimi reperiuntur Smaragdi, nedum fragmenta, quæ minimi precii ſunt, ſed plurimo pretio æſtimati Smaragdi. Veruntamen unum, quòd animadvertit, non eſt ad medicamentorum uſum negligendum, ſcilicet eos errare, qui in compoſitione electuarii de Gemmis, ex Meſues mente, Smaragdum præſcribi putant: cum Meſue Ferure habeat, & non Smerud, ut Jacobus etiam Mannus auctor eſt: per Ferure vero Arabes lapidem Cyaneum intelligunt, non autem Smaragdum, quem, ut dixi, Smerud vocant. In iisdem locis, in quibus Smaragdi effodiuntur, Chryſopraſi, & Chryſolitæ abundantius inveniuntur.

Caput V.

De Vaſis Murrhinis, & variis Conchiliorum generibus.

Ægyptii vaſa aurea, & argentea rejecerunt, ubi Murrhina vaſa adinvenere, quæ ex India afferuntur, (neque enim in Æypto, ut perperam Petrus Bellonius credidiſſe viſus eſt, quædam illorum fiunt) ex ea præſertim regione, quam Sivì vocant. Ibi enim ex variis (ut multi mercatores affirmant) lapidibus conficiuntur, gemmarum genere comprehenſis, maximeque ex variis Jaſpidibus. Namque ex iis, atque aliis ſimul mixtis materiam parari ajunt, ex qua vaſa

hæc fiunt. Antonius Pigafeta in Narrationibus ſuæ navigationis ad inſulas Molucas, ſcribit, ea vaſa fieri ex terra alba, ſpacio quinquaginta annorum ſub terra excocta, atque præparata, ſed &, ut probè apta reddatur, ſepeliunt in terra, & in ipſa terra obruta centum, & pluribus annis, ut purior efficiatur, à calore concoqui ſinunt: meritoque hæc vaſa omnibus aureis, argenteisque præferuntur vaſis, tum quod mundiſſima ſint, nunquamque inquinentur, tum quod vim quandam obtineant & cor roborandi, & venenis reſiſtendi, cum ex materia conſtent, quæ eſt antidotus ex occulta facultate ad omnia venena. Etſi hæc vaſa varii ſint coloris, in pretio tamen majori habentur alba ex toto tranſparentia. Quæ non ità ſunt perfecta, ſolent variis coloribus infici, atque ornari. Quædamque ex iis præſtantiſſima ibi reperiuntur, quibus utuntur Reges, & Primates, adeoque magni fiunt hæc à Mauris, ut plures ibi periti inveniantur, qui & fracta reſarciant, eaque arte ibi vivant. Abundat Ægyptus ex Rubro Mare variis Conchiliorum generibus, & præter Margaritiferas, quibusdam Margaritiferis longè majoribus, & ex omni parte amplioribus, materia, lapidea duricie, intus candida, & translucida, colore, & ſubſtantia vaſis Murrhinis ſimili. Ex iis torno varia vaſa fiunt, quibus perindè ac Murrhinis utuntur: ex iis quoque innumera ſanè cujusque generis, in magna copia à multis exinde in Italiam convehuntur, ad eos qui in hortis, fontibus, atque caveis agreſtibus delectantur.

Caput VI.

De Lapidibus aliis quibus Ægyptus abundat.

Occurrunt in Ægypti Montibus Silices omnis generis, & albi, & nigri, & alterius coloris, qui ſunt in uſu ad ignem excutiendum, at inter hos eſt Silex Silviſera, in quo lapi-

TAB. II.



lapide ſilvæ, herbarum, fruticum, atque arborum variarum quaſi pictæ imagines cernuntur, proindeque omnibus ſunt amæniſſimi aſpectus. Varii item Jaſpides cujusque generis ibi naſcuntur, atque ii præſertim nobiliſſimi tota ſubſtantia translucidi, amæniter cum punctis ſanguineis tota ſubſtantia virentes. Hos vulgus Gemmariorum Heliotropios appellat, in magnoque pretio apud omnes habentur, Magosque maximè, qui iis ſuperſtitiosè utuntur. Inter Jaſpides, quibus Ægyptus maximè abundat, eſt parvus lapillus, viridis coloris nigreſcentis, totus lineis multis inæqualibus albicantibus infectus, unde ab iis maculis, plures Lapidem Serpentinum appellarunt, vel ex eo, quòd *hic lapillus* ſucco limonis tinctus, ſponte ſerpentis inſtar hinc inde moveatur. Quod experimentum ex me Melchior Guilandinus olim Præceptor meus nunquam ſatis laudatus, magna cum voluptate vidit, quo tempore ego ex Ægypto redieram: namque lapillo in vaſe ſtanneo plano poſito, unàque modico *ſucci limonis* affuſo, *ipſe* paulo *poſt* à ſucco limonis alteratus per *vaſis ſuperficiem inſtar animalis* variè movebatur, ſemper tendens ad centrum vaſis, in quo aderat ſuccus limonis, ad quem ſuccum delatus, ipſoque imbibitus, omni motu caruit. Geſtant hunc lapidem idcircò ſuperſtitiosè non pauci, quo putant ipſos tutos à ſerpentum morſibus vivere. Jaſpides vero alios, qui viridis ſunt coloris, quique habent vel maculas rubri ſanguinis æmulas; vel puncta ſanguinea, geſtant ad ſanguinis profluvium cohibendum. Naſcitur & in ea regione lapis * Ætites, aquilinus à quibusdam vocatus, eo quia Aquilæ absque eo minimè parere queant, aut quod in Aquilarum Nidis inveniatur. Minera horum lapidum in deſerto Divi Macharii haud procul à lacu Nitroſo cernitur, in qua innumeri producuntur Ætites lapides, variarum ſanè figurarum, ſunt majori ex parte oblongi, rotundi, plerique compreſſam rotunditatem habentes, ſed aliqui etiam ſunt (quanquam pauciſſimi) quaſi perfecta rotunditate extuberantes, magnitudine vero varia ſpectantur, ſiquidem aliqui ſunt usque adeo parvi, ut ciceris magnitudinem non excedant; plerique caſtaneis ſimiles cernuntur, ſed multi usque

* *Vide Tab. II. Num.* 1. 2. 3.

adeo magni exiſtunt, ut magnitudine ſimiles panibus triticeis oblongis ſpectentur. Multi ipſorum intus alium lapidem habent, unde Dioſcorides meritò dixit: Ætites lapis eſt veluti prægnans, cum quatitur, alio in utero ſonante. Verum non omnes ſi quatiantur obſtrepunt, ſed ſolummodo minimi, qui intus cavi ſunt, vel alium lapillum, vel pulverum, aut luteum, aut nigrum continentes. Exterius veluti corticem habent duricie lapidea, ſed tamen fragili, colore ferrugineo: externa ſuperficiei ſubſtantia nigra eſt, ac veluti ſplendens; quibusdam arenulis lapideis nigricantibus, luciditatis non expertibus, mixta, atque hic veluti iſtiuſce lapidis cortex viſitur, cujus craſſities major eſt latitudine ſemidigiti minoris, atque minor unguis humanæ, digiti pollicis craſſitie cernitur. Ex iis vero intra corticem habent alii alium parvum lapillum, alii modicum terræ luteæ cretoſæ, & alii pulverem nigreſcentem: atque hi lapides cum quatiuntur, ſonant, & ſtrepitum faciunt. Qui vero non ſonant, & ſunt cæteris graviores, intus repleti ſunt terra vel lutea albicante, vel alba friabili, linguam ſiccante cum obſcura excalefactione, atque odore ad cretam inclinante, qua terra plures utuntur ad ulcera ſordida detergenda, & lota ex aqua in febribus peſtiferis, atque in pueris vermibus vexatis. His lapidibus coxis adligatis in puerperis Obſtetrices partum accelerant: veluti ad fœtum retinendum eosdem brachiis adligatos geſtare utero gerentes cum utilitate ſolent. Cum conſtet Ætitis lapidis longè plures ex terra natali reperiri differentias, omnes tamen hos, quos Africanos vocant, cæteris ad uſum Medicinæ ſcriptores prætulerunt.

Eſt & juxta radices montis Sinai lapis parvus, ovi majoris magnitudinem non excedens, oblongus, aut ovali, aut triquetra figura, inæqualisque figuræ ſuperficiei undique viſitur, denſus eſt, gravis, ſilicis duricie, colore pallido nigricante, ſuperficiem totam veluti parvulis vermiculis obtectam, infectamque habens, ex quo † Scolecitis dictus eſt, quaſi ſit inæqualiter a vermibus corroſa, & ſuperficie tenus excavata, quæ ſuperficies tota eſt lenis, ac veluti arte perpolita.

† *Vide Tab. II. Num. 4.*

lita. " Geſtant hunc lapidem ad amatoria, & ad valetudinem conſervandam ſatis ſuperſtitioſè. Detritus ex cote, albo colore tingit, & amareſcit, unde ad ocularia collyria paranda uſum habet detritus ex cote cum aqua roſacea, potiſſimumque ad ophtalmias oculorum. Eodem ferè in loco in iis montibus Sinai paſſim proveniunt lapides multi, magni, duriſſimi, graviſſimi, ea figura, magnitudine, & colore efformati, ut quartæ parti orbiculati caſei Ovilli omnino ſimiles videantur, unde in publicis conviviis hic lapis menſæ ludi gratia apponitur, ad quamplures ſcilicet decipiendos, pluresque ex epulantibus aliquibus Noviciis dicunt joci gratia, Cur non comeditis de illo caſeo ovillo Italico, qui optimus eſt? qui, quum ut portionem ex eo ſecturi, ipſum acceperint, continuò apud omnes riſus oboritur. Cyaneus itidem lapis in Ægypto magnis glebis pulcherrimis effoditur, ſtellis quidem, vel punctis aureis emicans: quo Medici etiam utuntur, à feçe tamen purgato, & ex aqua roſata probè loto, per os ipſum exhibentes, ad cordis tremorem, & palpitationem, & ex eo quoque purgatorias potiones, & catapocia parare ſolent. Non minus ii abundant lapillis parvis oblongis olearum nucleis ſimilibus, quos quòd in Judæa quoque naſcantur, lapides Judaicos nominant, ſcilicèt Hagiar el Judi. Triplicis ſunt figuræ, quidam oleis planè ſimiles exiſtunt, habent vero per longum innumeras ſtrias ab una extremitate ad alteram, per longum æqualiter porrectas: ipſorum omnium materia eſt lapidea, duriſſima, ad ſilicem colore inclinans, intusque in ſuperficie translucet. Alii pyriformes ſunt, non excedentes oleæ magnitudinem, & craſſitudinem: eodem itidem modo perpulchre ſtriati. Ab iis & rotundi exiſtunt ceraſis & magnitudine, & figura ſimiles. Dioſcorides perbellè ipſum Judaicum lapidem ita deſcripſit. „ Judaicus lapis in Judæa naſcitur glandis effigie, albus, *In Lib. 5. de Med. Mat.*
„ ſcita admodum configuratione, lineis æqualiter inter ſe di-
„ ſtantibus quaſi de induſtria detornatis. „ Ægyptii hoc, ex cote cum aqua ſtillatitia ex ononidis radicum corticibus detrito, utuntur ad calculos in renibus, & in veſica comminuendos, atque ad urinam movendam. Morochtam vocatum lapidem,

 quem

quem alii leucographidam à lineis albis quas ducit, etiam vocant, habent copioſum, qui lapis etiam ab ipſis vocatus eſt à quadam veluti lapidis duritie, licèt terra ſit, de quo in capite de terris egimus: aliqui terram ſaponariam ipſum nominant, quoniam dealbandis linteis uſum apud eas gentes habet, & quod etiam ſaponem colore, figura, mollitie imitari maximè videatur.

Caput VII.

De Chalchanto, Alumine, Pompholyge, atque aliis metallicis medicamentis, quæ in Ægypto obſervantur.

Ægyptii omnia genera Chalchanti, & naturalis, & arte facti habent. Naturalis eſt cæruleus, purus, translucidus, in teſſellas hexagona, vel ſeptagona, aut nonagona figura formatus; cujusmodi eſt Cyprius. Habent & candidiſſimum Chalchantum, flavum, ſubluteum, viride, & nigreſcens. Parant & ipſi factitium viride, cæruleumque quo utuntur ad colores, atque ad alios uſus. Eodem modo iis ſunt familiaria Alumina cujusque generis, ſcilicet ſiſſile, rotundum, atque humidum: factitiaque etiam omnia, inter quæ Rupeum vocatum longè eſt efficacius in adſtringendo, eo quod in Italia fit. Habent Spodium, Antiſpodium, quod ex liguſtro Ægyptio parant, quibus ad virium robur uti ſolent. Spodium Tabaxir vocant, quo nomine vulgus pharmacopæorum Spodium factitium, quippè metallicum, intelligit. At eruditiores viri eo nomine lacrymam quandam ex caudice arboris proceræ in India naſcentis, albicantem, odoratam, facultatis refrigeratoriæ, & cor maximè roborantis itidem intelligunt. Quibus commonitos Medicos noſtri temporis eſſe volu-

volumus, ut ubi apud Arabes Medicos in compoſitione medicamentorum Tabaxir, ſive Spodium legerint, non metallicum Spodium ad uſum eorum componendorum recipiant, ſed gummi Indicum Tamaxir vocatum, quod tutò per os aſſumatur. Metallicum vero, quod eſt Græcorum Spodium, omnibus ſuſpectum eſſe merito debebit, ut quod ſit metallicum, proindeque nunquam uſum habere poterit ad ea medicamenta componenda, quæ per os aſſumuntur: ſed ſolummodo iſtius uſus erit, exterioribus corporis partibus ulceratis medicandis, præſertimque probè loti, quod emplaſticæ ſit facultatis ad ulcera cicatrice claudenda, atque ad partium externarum roborationem. Habent & puriſſimam myſin, optimam chalcitim friabilem, ſoryn, cæteraque alia omnia ſimplicia medicamenta, quæ ex æris materia fiunt. Addo, eos ita cineribus, quos ex Kali herba, inibi copioſiſſimè proveniente, uſta parant, abundare, ut quotannis Naves iis onerantes ingentem copiam Venetias, atque ad alias urbes mittant. Planta Kali ex qua uſta cineres fiunt, eſt fruticoſa, lignoſa, ramulis multis tenuibus prædita, quibus foliola parva oblonga trina ſimul, aut quina, rutæ ſimilia, inſunt, & aliquando unicum foliolum oblongum, geniſtæ ſimile. Demumque in Mare Rubro vocato naſcuntur proceræ arbores, quæ extra aquam extractæ coralliorum modo lapideam duritiem nanciſcuntur, adeo ut caudices cum totis ramis lapideſcant, coloreque nigro cernuntur; qui nullius apud eas gentes uſus exiſtunt.

Caput VIII.

Stirpes, quæ in Ægypto proveniunt.

Poſteaquam nos ea foſſilia, ſive mineralia, quæ in Ægypto obſervata ſunt, breviter fuimus complexi, non injucundum ſtudioſis Medicinæ fore exiſtimavimus, ſi etiam ſtirpes Ægyptiis familiares perſpectas cognitasque brevi ſermone redderemus, atque non minus ipſarum & facultates, & uſus ad medicinam cognitos. Nunc verò paucis dicemus de illis plantis, quæ familiarius in Ægyptio ſolo proveniunt, exordientes ab eſculentis, ad eas, quæ medicinæ apud eas gentes uſui ſunt, tranſeundo. Itaque eæ ſtirpes ſunt, quæ ibi familiarius proveniunt: quippè lactuca longa, endivia, cichoreum, portulaca, malva, beta radicis rotundæ, braſſica florida, petroſelinum, apium, coriandrum, ocymum, pulegium, eruta, piper, junci folium, menta, atriplex, ſpinachia, chali eſculentum, ſtaphilinum; paſtinaca, carduus, cinnara, papaver, bammia, melochia, capparis, porrum, allium, cæpe, ſinapi, blitum, gingidium, fæniculum, aſparagus, ſeſamus, rapa, napus, traſi, lotus Niliaca, arundo ſaccharifera, cheta, cucumeres alii, cucurbita, melo, pepo, anguria. Malus punica, medica, aurantia, limonia, pomum Adami, naphea, palma, vitis, ficus, perſicus, muſa, ſycomorus; ſebeſten. Atque ex leguminibus, piſum, & piſi genus parvum quod Mas appellant, inter legumina apud eas gentes majori in pretio æſtimatum: Cicer, lens, faſeoli multa genera, faba, bammia, ervilia, aracus, ervum. Ex ſtirpibus vero non eſculentis, papyrus, nenufhar, ocymum, chali non eſculentum à quo cineres fiunt, ſecamonè, periplocam vulgus herbariorum nominat, melilotus, trifolium, linum, achaovan, artemiſia. Marina, ſoſſera, ſesban, marù ſpecies ſclareæ: gra-

graminis genera multa, ſar, cujus fructus beidelſar vocant. Hyoſciamus albus, hermodactilus, urtica lini ſemine, canabis, cyperus, liguſtrum, cujus foliorum pulverem archenda vocant, balſamum, licium, agiahalid, lignum Meſuag, acacia, tamarix ſativus, caſſia cathartica, tamarindus, calaf, bon, bahobab, goſſipium arboreum, jaſminus Arabicus, ſtratiotes aquatica, pſyllium, melanthium, ſolanum ſomniferum, conyza, nux metella. Hæ ſunt ſtirpes ſub cælo Ægyptio naſcentes, quarum plerasque in libro De Plantis Ægypti cum tractaverimus, de aliis, de quibus in eo libro vel non egimus, vel imperfectè quidem egimus, in hoc libro ſcribemus, ipſarumque hiſtoriam contexemus, exordientes ab iis quæ Ægyptiis ad ciborum uſum familiares exiſtunt.

CAPUT IX.

De ſingulis plantis eſculentis apud Ægyptios naſcentibus, atque primum oleraceæ, herbaceæve conſiderantur.

Quoniam Ægyptii ſub cælo calidiſſimo viventes cibis frigidis maximè delectantur, hinc eſt, quod iis gentibus lactuca eſt eſui acceptiſſima, atque unum præſertim lactucæ genus longum, quæ illi lactucæ eſt viſu ſimillima, quam Veneti Romanam appellant, guſtu verò longè eſt ſuavior, & videtur Memphi propria, cum in hac Civitate præſertim feratur, magnoque ſtudio colatur: per urbem eam Aſinis venalem ferunt, vilique pretio vendunt, ea copioſius omnes veſcuntur cruda, ſeque magna copia aſſiduè indigenæ ingurgitant, nec immeritò, cum noſtrates ſuavi guſtu longè antecellat. Multæ urbes, oppida, atque rura reperiuntur, in quibus ferè omnes incolæ quindecim diebus, ſolis lactucis iisque crudis,

valetudinis conſervandæ gratia, veſcuntur, intermiſſis aliis ſolitis cibis; deinde per venam ſectam ſibi ſanguinem absque Medici conſilio mitti jubent, quum putent ſe plethora laborare: idque faciunt præcipuè, mulieres virgines, viduæ, aliive multi, qui procul à negotiis agunt, vitamque in quiete, otiovè tranſigunt. Quem vivendi modum quotannis ſervantes inculpata valetudine ſe diu vixiſſe plures nobis affirmarunt. Hoc genus lactucæ, quod cæteris lactucis bonitate maximè præſtet, optimum ſanguinem in iis corporibus generare haud injuria exiſtimant, ſibique ipſis perſuadent; nimirum quia eorum corpora calidioris ſunt temperamenti, ex quo plus amaræ bilis, quam ſanguinis generari ratio ſuadet, ab uſu lactucæ refrigerata, ipſorumque calore immodico à lactucæ refrigeratoria facultate diminuto, plus ſanguinis, quàm amaræ bilis gignunt. Mirum eſt, quod de lactucæ temperamento Galenus aliquando affirmavit, quippe ipſam lactucam liberalius eſitatam, vel ejus ſuccum copiotius aſſumptum, non ſecus hominem interimere, quam faciat cicuta; aut papaver. Unde lactucis facultatem ineſſe intensè refrigeratoriam, idcircoque & deleteriam affirmaſſe viſus eſt. Quam facultatem non tamen interimere illos inquit, qui copioſius lactucis veſcuntur, quoniam cum ſit ipſa craſſarum partium, diu retinetur in ſtomacho antequam ad cor feratur, ejusque calorem extinguat, in quo tempore à calore alterata excoquitur, atque in nutrimentum vertitur. At, pace Principis Medicorum Galeni, dixerim ego, atque iſtud ipſum auderem etiam affirmare, ut in primo quoque libro diximus, nullam lactucæ ineſſe facultatem deleteriam cicutæ ſimilem, neque immoderatè eſſe refrigeratoriam ut cicuta, aut papaver, quod & ipſemet Galenus non negaſſe viſus eſt, cum ipſe in 6°. Lib. Simplicium dixerit: „Lactuca frigidum eſt, humidumque olus„ non tamen extremè (ſiquidem edendo non foret) verum maxime ſecundum aquæ, ut dicam, fontanæ frigiditatem. Quod vero nihil facultatis refrigeratoriæ mortiferæ habeat lactuca, eo facilius argumento deprehenditur, quod ipſa liberius eſitata, nihil moleſtiæ ferat: Nos vidimus quosdam

In lib. 3°. *Simp. cap.* 18.

In 3°. *de Temp. cap.* 4.

Cap. de Lactuca.

Ægy-

Ægyptios viginti usque & plures etiam lactucas comediſſe, & probè eas concoxiſſe, nullam vel etiam leviſſimam moleſtiam ſentientes, & nos quoque aliquando ad ſitim coercendam plures ſimul eximia cum guſtus voluptate ingurgitavimus, à quibus nullam moleſtiam ſentientes, probè nutriebamur, easque citius in ſtomacho, quàm fortaſſe alii cibi, qui celerioris coctionis æſtimantur, fuiſſe concoctas obſervavimus: Addimus quod ſi particeps eſſet illiuſce facultatis refrigeratoriæ cicutæ ſimilis, liberalius aſſumpta, refrigerationem, & ſtuporem hominibus induceret, ac vel etiam partes exterius adhibita ſtupefaceret, quod non facere, ne dum Ægyptii, ſed vel etiam Itali, lactucis copioſius veſci conſueti, facile deprehenderunt. Demum natura ipſam in guſtu non leviter abhorreret, quemadmodum ſtomachus ab omni veneno abhorret. Guſtui vero lactuca eſt jucundiſſima, eſuique gratiſſima. Quibus comprehendimus lactucam eſſe temperaturæ moderatè frigidæ, atque ſubſtantiæ naturæ humanæ non modo *nihil contrariæ*, *ſed quam ſimillimæ*, *qua ſimilitudine à calore noſtro tota excoquitur*, & *citò in optimum vertitur nutrimentum*. Abundat Ægyptus omnibus cichoraceis, præſertimque Endivia, atque Cichoreo, quæ plantæ usque adeo ex ſoli illius pinguedine augentur, ut ad lapam in quibusdam locis, maximè poſt Nili fluminis augmentum, foliis fere cichoreum accedere videatur, unde radices craſſiſſimas, atque teneriſſimas habent, quas ſaccharo condiunt ad uſum ægrotantium, & rectè valentium, qui eas radices, ut à caloribus non lædantur, ſeque ipſos præſervent, atque tueantur, frequentant. Ad eundem uſum portulacam eſitant omnes familiarius. Non minus & malva magni uſus eſt apud eas gentes, ea enim ſummoperè delectantur, eamque quotannis ferunt, ex ea plurimum lucri facientes, coctam enim, & crudam eſitant. Memini me anno 1581. quendam familiarem meum Horrem Bei vocatum, qui ſuburbia multa, villas, atque vicos habebat, ubi Nilus deſinit, & mari conjungitur, Canopi malvæ copiam quingentis aureis vendidiſſe. Ad uſum medicinæ malvæ ſemina plurimi faciunt, præſertim ad

tuſſim ex calida diſtillatione obortam, familiariſſimi ſunt apud illos ſeminum cremores ex ejusdem vel aqua, vel decocto parati, ut & ad ardorem urinæ, ejusque difficultatem, & ſuppreſſionem. Althææ quoque folia, caules, ſemina, atque radices familiarius ad medicinæ uſum apud eos ſunt in uſu: germinaque recentia, ad pectoris, atque pulmonum, & veſicæ affectus calidos, ex aqua decocta, non ſecus atque malvam comedunt. Lignum malvæ, ſiccatum in umbra, publicè venditur, Cadmieque nuncupatur, eſtque in frequentiſſimo uſu ad dolorem ſtomachi, pectoris, ex frigidis humoribus, vel à flatibus excitatum demulcendum: ipſum lignum contundunt, in aquaque maceratum exprimunt, tepidumque ægrotis præbent. Multi hoc ſolo utuntur cum fæniculi aliquanto, atque ſaccharo, ad ſedandosque hoſce, atque alios dolores, hoc expreſſum, omnia medicamenta antecellere longa experientia apud eas gentes eſt comprobatum, undè aſſiduè per urbem venale hoc lignum circumfertur, guſtui eſt gratum, nec calefacit, meritoque ab Ægyptiis (utpote quibus ſæpe dolor ventriculi accidit, ex multorum fructuum fugacium eſu, atque uſu) maximè æſtimatur hujusmodi planta, & ad prædicto dolores, & quod renum, & veſicæ doloribus à calculis etiam obortis ſuccurrat, atque urinæ ſuppreſſæ opem ferat. Nullus hortus & in urbe, atque extra urbem eſt, qui althææ plures plantas non alat. Semina ejusdem plantæ ad eosdem affectus itidem, & utiliſſima, & in frequenti uſu ſunt. Ea contundunt in Mortario cum modico fæniculi ex aquaque lac exprimunt, quod dant tepidum cum modico ſacchari. Coriano, ſivè coriandro horti Ægyptii abundant, in uſuque frequentiſſimo herbam viridem habent, ad fercula potiſſimum paranda, & ita eſt apud eas gentes familiaris uſus, ut in adagio apud eos dicatur, ſine coriano non fit ferculum. Quod maximè mirum nobis viſum eſt, cum hæc herba non parum fæteat, nihilominus ipſa & juſcula, & fercula condita guſtui ſuavia apparent. Quibus quidem liquidò conſtabit, verum fuiſſe, olim ſumme etiam fætida, cujusmodi apud antiquos fuit laſer, ideſt aſſa fætida, fuiſſe in uſu ad cibo-

borum condimenta. Quam herbam moderatè aſſumptam, quicquam facultatis deleteriæ habere non conſtat, quod Græcis perperam fuit perſuaſum, immoderatius autem eſitata, inter exſtatica venena haud injuria erit adnumeranda, cum homines cum ſopore deliros, amentesque reddat. Fructus, ſive ſemina, eosdem uſus habent apud Ægyptios, perinde atque apud nos. Bammiis, & melochiis Ægyptii maxime abundant, ex iisque fercula ipſorum guſtui ſuavia parant, quibus frequentiſſimè in prandio, atque cœna veſcuntur. Mihi tamen ea fercula ob inſignem viſciditatem, qua prædita ſunt, nunquam accepta fuerunt, etſi ſapore ſuavia ſint. His ſimile Blitum viſum eſt, atque etiam ferculum, quod ex viridi ejus herba ex aqua decocta conficiunt. His addimus Braſſicas, inter quas duas ſolummodo fuiſſe apud eos populos in frequenti uſu obſervavimus, ſcilicet rapoſam, atque floridam, quam & Cypriam, & Syriacam nonnulli vocant, quod in Cypro Inſula, & in Syria nata, & grandior, & guſtui præſtantior ſit. Sed in Ægypto tum rapoſa vocata, tum florida copioſius naſcitur. Rapoſam in fruſtula parva diſſectam, & in jure pingui Caſtrati decoctam comedunt, at nonnunquam ex aqua itidem percoctam, cum oleo, ſale, & aceto. Floridam vero vocatam eſſe, cognitum eſt ex multis floribus, quos albos, teneros, guſtui ſubdulces, cum ramulis veluti in unum globum congeſtos profert, quibus ſic conglomeratis, congeſtisque fit veluti globus rotundus, magnitudine, atque forma noſtratis braſſicæ capitatæ, atque hoc caput ex floribus, ramulisque candidis, tenellis, conſtitutum, in jure pingui percoctum avidius eſitare ii ſolent. Verum, ut liberè dicam, meo guſtui hujusmodi braſſica quadantenus inſipida, & eſui haud admodum accepta viſa eſt. Hoc vero evenire potuiſſe à multis creditum, quod ſolum Ægyptiacum præ multa humiditate (etenim terra hæc niſi largiſſima aqua irrigata plantas non producit) omnes plantas paulo inſipidiores ferat. Betam & albam, & rubram (betarapam) noſtris vocatam) in hortis copioſius ferunt, atque in cibis perindè atque noſtri iis familiarius utuntur. Atriplicem legitimam Theophraſti iti-

dem copioſius ferunt, qua in ferculis utuntur, non ſecus & ſpinachiam vocatam, & erucam: Apium naſcitur copioſius, vegetiorque hæc planta ex multa ſoli humiditate creſcit; crudaque ejus radice, & teneris caulibus cum ſale, atque pipere ad venerem movendam libentiſſimè veſcuntur, vocantque hanc plantam Carafs, atque hanc eſſe legitimum Apium antiquorum, Græcis Selinon vocatum, in Libro quinto de Medicina Ægyptiorum, cum hac Hiſtoria evulganda, ſatis probè à nobis demonſtratum putamus, ſcilicet hanc plantam, quippe vulgo Selinon vocatum, eſſe legitimum Apium antiquorum, atque noſtrum vulgare petroſelinum nequaquam (etſi perperam plerisque fuerit perſuaſum) poſſe eſſe apium antiquorum. Bagdunez vulgare noſtrum petroſelinum vocant: cujus plantæ, non caulibus, radicibusque ad ciborum condimenta utuntur, ſed tenerrimis foliis. Apii vero, cruda radice, atque caulibus teneris propè radicem, crudis libentius veſcuntur. Eodem itidem modo utuntur carduis multis, quibus Ægyptus abundat, ſpeciatim vero Judæi iis & crudis, & coctis libentius veſcuntur, quod ipſorum uſum ſciant ad augendam venerem maxime eſſe accommodatum. Cinaris quoque in quibusdam locis (vulgus artichiochum appellat) non parum hæc regio abundat, quibus & crudis, & coctis avidiſſimè veſcuntur, præſertimque Chriſtiani, atque Hebræi: nunc audio longè abundantius cinaras ſive artichiochos ibi haberi. Aſparigique altiles in hortis non deſunt, neque menta, neque fœniculum, neque ocymum, quæ planta ibi arboreſcit, & odore cæteris plantis præfertur, unde Riham, quaſi odorem, per excellentiam quandam Incolæ vocarunt: neque melanthium, neque pulegium, etſi rara planta ſit, ibi haud omnibus locis humentibus conceſſa. Hæc ad condienda fercula uſum familiarum habent: ſinapi quoque coctum aliquando comedunt, ii præſertim qui frigidiori ventriculo laborant, medicinæ potius, quam nutrimenti cauſa. Inter genera Kali (quibus omnibus Ægyptus maxime abundat, ex quibus igne uſtis cineres conficiunt, quos ut ſuperius quoque dictum eſt

ma-

magna quantitate in varias Provincias mittunt, præſertimque Venetias) unum genus habent eſculentum, quo cocto, aliqui perinde ac Crithmo, cum oleo, ſale, atque aceto veſcuntur. Seſami planta ibi ubique locorum copioſius ſeritur, atque abundat. Semina uſum habent in bellariis, atque ad oleum conficiendum, quod ad uſum ciborum cum ſit guſtui acceptiſſimum, apud omnes in magno pretio habetur, & majori pretio venditur quam oleum olearum: quo etiam utuntur ad incruſtandas carnes aſſas. Habent & plantam quam piper longum appellant, quæ piperis acrimoniam majorem in foliis habet, uſumque aliquando habet in exigua quantitate piperis loco in ciborum condimentis. Eſt hæc planta junco rotundo quam ſimillima, unde piper juncorum appellari meritò potuit: ex foliis emanat ſuccus flavus, valdeque acris. Habent & Zatarhendi plantam, cujus folia ſiccata cum ſale, & pane comedunt, non ſecus quam Græci in Creta inſula origanum. Capparorum, quorum in Alexandria multus eſt proventus, flores prius quam dehiſcant ſale condiuntur, ex aquaque decocti cum oleo, & aceto condiuntur; omnium optimi creduntur ad ciborum uſum, qui ex Alexandria ad nos convehuntur. Aceto conditi ex Liguria habentur, guſtui ſuaviſſimi, ſed longe Alexandrinis minores ſunt, quoniam & frutices capparis, qui in Alexandria Ægypti proveniunt, majores exiſtunt, foliaque habent majora, & minus ſpinis horrent. Commendatur ſalitorum uſus ad eos qui ſtomachum pituitoſis, craſſisque humoribus oppletum habent, proindeque ad debilem ſtomachum, inappetentiaque laborantem, & ad viſcerum obſtructiones, præſertimque lienis, ad paralyſim, ad convulſionem ex iisdem humoribus factam, ad febres omnes longas, & chronicas maximè laudatur. Naſcitur in Ægypto papaver, & nigrum, & album: hoc in familiari uſu eſt, quippè ipſius ſemina alba, ſuntque hæc puerorum bellaria: eſt ipſorum lac expreſſum aqua tepidum exhibitum utile ad ſomnum vigilibus conciliandum, ad renum inflammationem compeſcendam, atque ad urinæ ardorem, non minusque ad acrem, ſalſamque diſtillationem ex capite ad pulmones, ad

tuſ-

tuſſimque exinde ſævam obortam. Per os quoque ſemina cum ſaccharo ad eosdem affectus, atque ad ſputum etiam ſanguinis, contuſa ſæpe cochlearis menſura ſumma cum utilitate devorantur, præcipueque cum ægroti eunt dormitum. Nigrum verò naſcitur in Thebaide Ægypti, ex quo capitibus ſcarificatis exit lachryma, quam ii Affium, & noſtri Opium nuncupant, atque ex iisdem papaveris capitibus contuſis, & prelo expreſſis, ſuccum colligunt, Meconicum Græcis dictum, quod pro opio ad nos mittunt; at opium in iis locis magna quantitate conſumitur apud Ægyptios, Turcas, atque Arabes, quorum multi ipſum fere quotidie ad ſemidrachmam, & usque ad drachmam, & geminam etiam ejus eſui aſſueti devorant, ut hilares, atque animoſiores, præſertim in bello efficiantur: ſed plura de opii eſu, atque uſu, atque de ſingulis operibus, quæ in aſſuetis ipſum aſſumere fiunt, nos ſuperius in ſecundo libro, & in libris noſtris de Medicina Ægyptiorum ſatis accuratè ſcripſimus; frequentant in uſu ad cibum germen palmæ, Cephalonem vocant, crudumque, & coctum libenter eſitant. Ubique locorum in agris ſeruntur arundines ſacchariferæ, quæ eſui quod ſint jucundiſſimæ, ab omnibus crudæ eduntur, ex iisdemque torcularibus ſuccum exprimentes, atque poſtea ad ignem coquentes, optimum ſaccharum conficiunt, quo tota ea regio maximè affluit, præſertimque Inſula, Delta vocata, ejus quidem eſt fæcundiſſima: atque hujusmodi eſt, quod nos aliquando offendimus ſpontè circum quasdam arundines concretum ſalis modo, quod Dioſcorides mellis genere comprehendit, qui de ipſo ita ſcripſit. „ Eſt & aliud concreti mellis genus quod ſaccharum nominatur: in India vero, & fælici Arabia in Arundinibus invenitur. „ Avicenna ſalem Indicum vocavit, & Arrianus in Navigatione Maris Rubri, itidem ſaccharum. Antiquos fortaſſe latuit ſaccharum fieri contuſis arundinibus, atque expreſſis, ſucco eo dulci extracto, igneque excocto. Atque hæc de ſtirpibus oleraceis totis eſculentis in Ægypto naſcentibus, nunc de iis plantis ſermonem habituri ſumus, quæ habent radices eſui accommodatas.

In 2°. Lib. de Mat. Med. Cap. 92.

CAPUT X.

De Loti radicibus, quibus Ægyptii quotannis familiarius veſcuntur.

Cum inter radices eſculentas, Ægyptiis familiares, ex iis quas Nilus flumen producit, duæ ſint admodum illis gratæ, nempe Lotus, atque colocaſſia: de Loti radicibus primum ſcribemus: etenim ea gens iis Loti Nilotici radicibus & crudis, & coctis admodum familiariter delectatur, præſertimque Hebræi, quam plantam Arais el Nil appellant. Hanc, cum Librum de Ægypti plantis ſcriberemus, nobis fuiſſe planè ignotam fatemur, & cum Loto, quam eatenùs minimè agnoveramus, Nympheam (Nuphar Arabibus vocatam) confudimus, Lotum ſcilicet, Nympheæ eſſe ſpeciem ſuſpicati, tum ob alia multa, tum quod præſertim habere & ipſam eas mirabiles ad ſolem converſiones obſervaverimus, quippè cujus, occidente Sole, in aqua flos comprimatur, occludatur, atque eo oriente ex aqua emergat, quod de tota planta, præcipuè vero de ejus flore, & capite obſervatur. At, evulgato Libro de plantis Ægypti, poſtea à Dominico à Rege, Nationis Venetæ in Civitate Cairi, & Chirurgo, & Pharmacopæo, complures loti radices ex Ægyptó miſſas accepimus, quæ nucem juglandem magnam magnitudine æqūant, in longumque rotundæ ſunt, cum multis radicibus parvis tenuibus longis, ceu fibris, à radice naſcentibus: radix intus eſt lutei coloris, extra nigreſcentis. Qua radice recenti, & cruda, & cocta, æſtatis tempore, quo, accedentibus aquis Nili riguis, provenit, perque tres menſes, in quibus in Urbem ruſtici deferunt, libenter veſcuntur: addiditque ſe audiviſſe ab eo viro ex quo eas radices coemerat, eam plantam Nymphææ minori eſſe ſimilem, hoc excepto, quod flores cærulei coloris eſſent.

Quæ ſi vera ſunt, hæc lotus Niloticus erit Athenæi, & non Dioſcoridis, qui ſcripſit, florem lotum ferre lilio ſimilem, ex totoque candidum, cujusmodi nymphææ majoris eſt. Quod vero hæc planta Nymphææ quoque genere comprehendi debeat, non eſt quod dubitare debeamus, quoniam lotus cum Nymphæa ferè omnino conveniat, quippè & foliis, & caulibus, & floribus, atque fructibus; quinimo non injuria olim nos dubitaveramus, Nymphæam majorem fuiſſe lotum Dioſcoridis, cum ipſum ita deſcripſerit. „ Eſt & in Ægypto lotus, quæ „ aquis provenit plana irrigantibus, caule fabæ, flore parvo „ candido lilio ſimili, quem tradunt occidente ſole comprimi,* occludique; ad ortum autem aperiri: adduntque caput „ veſpera aquis condi, & ad exortum ſolis emergere. Caput „ quale papaveris maximum, & intus grana, ceu milii, quæ „ Ægyptii ſiccant; & in panes cogunt. Radicem Lotus „ hæc habet mali cotonei similitudine, quæ cocta, crudaque „ manditur: decoctaque lutei ovi ſpeciem exhibet. „ Qua deſcriptione confirmatur opinio, quod lotus ſit Nympheæ ſpecies, cum ille caules, flores, & capita ſimilia capitibus papaveris, intus ſemina, ut milii, continentia habeat. Quid amplius: an non cognitum eſt loton cum Nymphææ radice convenire? Nos enim prope Venetias in Margheræ lacunis invenimus præter Nymphæam longa radice, etiam albam itidem Nymphæam radice rotunda mali cotonei ſimilitudine. Radix vero longa luteæ Nymphææ magis propria eſſe nobis viſa eſt, cum lutea Nymphæa omnis, ut hactenus cognitum eſt, longam radicem habeat. At albæ nymphææ, cæteris grandioris plantæ, quædam longam, & quædam rotundam loti corſiam habet: cujusmodi eſt, quam nos olim, ut diximus in Margheræ lacubus offendimus, cujus figuram * hic expreſſam damus. Ambibetar Arabs medicus, qui diligentiſſimè ſcripſit de plantis provenientibus in Ægypto librum, tantopere ab herbarum ſtudioſis hactenus deſideratum, quemque vidimus apud quendam Medicum Hebræum ex Arabico idiomate in Hiſpanicam linguam verſum, ut ingenuè dicam, non rectè, neque fideliter, ut deſideraſſem, quem ſi fideliter etiam in

In Lib. 4. Mat. Med. Cap. 115.

* *Vide Tab. II. num. 5.*

in Hiſpanicam Linguam verſum intellexiſſem, omni pretio ab eo Medico Hebræo ipſum emiſſem. Hic auctor in eo Libro, poſteaquam hanc plantam, quippè Lotum, ex Dioſcoride deſcripſit, ipſum itidem hunc in modum expreſſit, dicens. „ Dico ego Biſnim copioſè in Ægypto provenire, atque rectè ibi cognitum eſſe, præſertim ubi aqua Nili augetur, „ atque terram contegit, quæ planta Nymphææ æquè ſimilis videtur, & duas ſpecies Ægyptii cognoſcunt, unam „ quam el Hanziri vocant, atque alteram el Arabi vocatam, „ quæ melior eſt. Ex hujus floribus, non ſecus quam ex lilii, „ & Nymphææ itidem floribus, oleum apud eos confici ſolet „ maximè ab illis in phreniticis per nares attractum laudatum: & ejus radix dicitur Biaron; & radix el arabi eſt „ præſtantior quam ſit el Hanziri, quæ eſt minus odorata*, „ & odor videtur cypero ſimilis. Cum ex jure carnis decoquitur, colore efficitur ſimilis ovi luteo cum modico albumine, & ſapore inclinat ad Chama ſi deguſtetur, & „ eſt inclinans *aliqualiter* ad calidum, & auget venerem, & „ ſtomachum calefacit, & confert dyſenteriæ. „ Hæc de Loto Ambibetar, quæ etſi videantur convenire cum iis, quæ & Dioſcorides, atque alii de loto ſcripſerunt, nihilominus ea deſcriptio loti admodum imperfecta deprehenditur, cum neque folia, neque flores, neque fructus, neque radices, neque etiam admirandam eam ad ſolem circumverſionem, quam de loto omnes meminere, expreſſerit; hæc fortaſſe ſingularia de induſtria tacuit, cum dixerit eſſe Nymphææ ſimilem, ſcilicet foliis, caulibus, floribus, capitibus, radicibus, & ſingulari ea ad ſolem converſione. Quod hunc virum non latuerit, nymphæam reperiri habentem radicem rotundam mali cotonei ſimilitudine, quam nos quoque in Margheræ lacunis invenimus, cujus quidem & ad ſolem miram eam converſionem ſedulò olim in Nymphæis Margheræ lacuum obſervavimus, eamque recognovimus, ut nos quoque in Libro de Plantis Ægypti teſtatum fecimus. Addimus, vires, atque uſus ad medicinam ipſius loti ex Ambibetar deſcripti eſſe ferè eoſdem cum Nymphææ uſibus, quippè

 cum

cum dixerit, conferre oleum ex floribus ad phreneticos per nares attractum, & radicem conferre ad dyſenteriam tollendam. Itaque quoad in Nilo flumine planta reperietur, quæ ſit Nymphææ ſimilis, & omnes notas loti habeat, credemus lotum Dioſcoridis, eſſe Nymphæam albam radice loti corſia præditam. Accedit etiam, ut magis hæc noſtra ſententia confirmetur, Dioſcoridem de Nymphæa dixiſſe duo, quæ faciunt ad credendum Nymphæam albam rotundæ radicis eſſe loti ſpeciem: unum eſt quod dixit, Nymphæam ferre florem lilio ſimilem candidum in medio crocos habentem; atque alterum, producere in capitibus ſemina nigra: quæ ſi vera ſunt, cum flores nymphææ ſint ex toto candidi, nullum croci colorem in medio habentes, & ſemina etiam ſint flaveſcentis coloris, non nigra, videtur non parum dubitandum, hanc eſſe Nymphæam Dioſcoridis, ſed ejus potius lotum, quem expreſſit habere florem candidum, & capita continere ſemina non nigra, ut de Nymphæa dixerat, ſed ut milii ſemina. Quibus profecto omnibus, ſatis conſtare arbitror, Nymphæam, habentem flores candidos, & ſemina non nigra, radicemque loti corſiam, & cujus flores occidente ſole clauduntur, & capita intra aquam conduntur, atque ad exortum ſolis flores aperiuntur, & capita extra aquam emergunt, pro loto nos aliàs recognoſcere non injuria potuiſſe. Quod vero lotus, cujus radix Arais el Nil Ægyptiis dicitur, ſit & ipſa Nymphææ ſpecies, ex caulibus, florum figura, & magnitudine, & capitibus, non erit dubitandum. Eſſe verò lotum Athenæi facile conjicitur ex floribus cæruleis, vel ex ipſomet etiam Athenæo, qui in Libro decimo quinto Deipnoſophiſtarum ſcribit, coronas olim ex loto contexere Ægyptios conſueviſſe, alias ex floribus roſei coloris, quas Antinoias itidem refert Athenæus fuiſſe nominatas, alias ex floribus cyanei coloris, quas itidem Lotinas coronas appellarunt. Retulit etiam à quodam viro Ægyptio, Adriano Imperatori Alexandriæ agenti, florem loti roſeum, velut ingens oſtentum ac miraculum, ſpectandum fuiſſe latum: eſſe vero lotum vel Theophraſti, vel Plinii non eſt credendum ex flore

flore non albo, ac vel etiam quod radix non habeat magnitudinem mali cotonei, cum, ut à nobis dictum eſt, nucem juglandem magnam magnitudine ipſa æquet, non autem malum cotoneum. Verum enim vero quòd loti cognitio non ſit nobis ex veterum monumentis, præſertimque ex uno Theophraſto, Dioſcoride, & Plinio planè certa, cauſam referendam eſſe crediderim, quod Theophraſtus, & alii ea omnia ex aliorum relatione de loto ſcripſerint, minimeque ex illiuſce plantæ vera notitia. Ægyptii igitur per tres menſes comedunt radices coctas, quæ intus verè quidem luteum ovi, colore, ac fere ſapore, æmulantur, non minusque etiam & crudas, omniumque maximè Hebræi, in quorum foro, Nilo flumine augeſcente, quippe menſibus Julio, Auguſto, atque Septembri, Arais el Nil venalis reperitur. Unde Plinius cum errore inquit: *Loti herbam apparere recedentibus aquis Nili riguis*: cum aquæ incipiant recedere menſe ſolummodo Octobri. Retulit mihi olim Jacobus Manus Medicus in Ægypto, qui plures annos medicinam fecerat, ex iis ſeminibus, quæ loti capita intus habent, Ægyptios ex aqua, vel lacte ipſorum farina ſubacta, panes conficere ſolitos eſſe. Quod tamen an verum ſit, non leviter dubitarem, quod omnes Ægypti incolæ, vel divites, vel pauperes, vel urbani, vel ruſtici, nullo alio panis genere veſcantur, quam triticeo, non enim aliud genus panis eam gentem edere conſueviſſe, nos ſatis ſuperque cognovimus, niſi in tempore penuriæ: quo tempore ſolummodo, quippe caritatis, penuriæve, Ægyptios iis panibus ad cibum uſos fuiſſe eruditè Diodorus Siculus poſteritati tradidit. Poſtquam hæc de loto ſcripſimus, litteras accepimus ex Cairo Ægypti cum Arais el Nil, ideſt, loto flore albo liliaceo, de quo loto Diſcurſum reſervavimus in Libro ſecundo de Plantis Exoticis faciendum, quo in loco loti *Dioſcoridis*, Theophraſti, atque Plinii veram & indubitatam imaginem affabrè delineatam dare pollicemur.

Caput XI.

De radicibus, quas Ægyptii Culcas appellant, atque noſtri Colocaſias, quibus coctis familiarius veſcuntur.

Scripſi aliàs in Libro de Plantis Ægypti eam gentem inter radices quibus in cibo frequenter coctis ex jure, aut alio modo utuntur, primum in honore habere illas quas Culcas appellant, quæ ſunt majori ex parte radices longæ, craſſæ, cannarum radices æmulantes, aut melius, cum magnitudine, tum figura chinæ radicibus vulgo vocatis ſimiles, intus albicantes, exterius nigricantes, ſapore acri, cum quadam adſtrictione, quibus nituntur folia multa ſuis pediculis craſſis longis adnexa, nymphææ foliis ſimilia, ſed longe ampliora. Ex iis radicibus etiam multæ orbiculari figura, & craſſitie ibi & copioſius proveniunt. Unde fit, ut Culcas Ægyptiorum duplicis differentiæ, ſcilicet longæ radicis, & rotundæ exiſtant. Rurſus rotundæ quædam radix eſt depreſſa, quædam ex toto orbicularis, quæ tamen radices figura variæ, eædem ſunt ſubſtantia, colore, atque guſtu. Diximus vero in Libro de Plantis, de hac radice ſcribentes, ejus plantam eſſe ſterilem, ita ut neque caulem illum ferat, neque florem, ac neque fructum, aut ſemen: quod nunc etiam affirmamus, eorum omnium qui hactenus Ægypti loca perluſtrarunt, qui multi fuerunt, uniformi teſtimonio. Nemo ex innumeris, qui ab eo tempore quo ex ea regione diſceſſimus hactenus inibi fuerunt, inventus eſt, qui vel viderit unam ex Colocaſiis, vel audierit, cum flore, vel fructu viſam fuiſſe. Non me latet tamen (etſi ea planta in Ægyptio ſolo omnium conſenſu nativo, & patrio nunquam viſa ſit cum caule, flore, atque fructu) alibi in alio ſolo peregrino aliquando colocaſiam floruiſſe, à multis eſſe affirmatum, at-

que

que etiam à viris & ingenius, & doctiſſimis, inter quos fuerunt Ferrantes Imperatus, non minus eruditione, & doctrina, quam probitate, & ingenuitate clarus, atque Fabius Columna, vir & ipſe omni laude dignus. Ambo per litteras ad me miſſas affirmarunt, Neapoli vulgarem colocaſiam ſæpè floruiſſe, treſque flores ari floribus ſimillimos juxta quolibet folium productos fuiſſe, à quibus poſtea piſtillus cum fructibus etiam proſilierat, ſed qui nunquam maturitate perficeretur: quin imò Imperatus unum florem ex colocaſiæ planta decerptum ea liberalitate, qua & alia, proximis menſibus ad me miſit, quem apud me ſervo. Quo ſane Fabius Columna, vir, omni diſciplinarum ſtudio clarus, in eam venit ſententiam, quod vulgaris hæc colocaſia ſit legitimum Aron Ægyptium Plinii, præſertimque quia hæc planta habet radicem orbiculatam bulboſam, florem ari producit, & piſtillum, & ejus radix editur & cruda, & cocta. Quæ notæ videntur ſatis convenire Aro Ægyptio, à Plinio deſcripto, qui inquit: " Eſt inter genera, quod in Ægypto Aron vocant, *In lib. 19. Cap. 5.*
„ ſcillæ proximum amplitudine, folio lapathi, caule recto
„ duorum cubitorum, baculi craſſitudine, radice mollioris
„ naturæ, quæ edatur & cruda.„ Profecto magnitudine, & figura, quadantenus orbiculari ſcillæ, rotunda radix colocaſiæ ſimilis viſa eſt, non minus & folia lapatho rotundi folio, per quam plantam fortaſſe Rhaponticum intellexiſſe potuit, quam ex Rhodope Thraciæ monte ab hinc quatuor annis nos accepimus, quamque itidem Diſſertatione, in Scholis Gymnaſii Patavini habita ad Medicinæ ſtudioſos, demonſtravimus, lapathum eſſe, & ex foliis ad orbicularem figuram accedentibus lapathum rotundifolium etiam appellavimus. Hujusmodi planta foliorum amplitudine, & figura ſimilis colocaſiæ omnibus viſa eſt. Forſan Plinio haud fuit ignota planta, Rhei nomine, lapathi rotundi folio. Redeo unde diſceſſeram, & colligo vulgarem colacaſiam, & quod radix ejus orbiculata ſit, ſcillæque quadantenus ſimilis, mollioris ſubſtantiæ, unde etiam cruda edatur, folia vero ampla ad lapathi rotundi folii folia figura accedentia, nec non quod caulem

ha-

habeat rectum baculi craſſitudine, viſam fuiſſe multis Aron Ægyptiacum, cujus opinionis primus fuit Andreas Mattheolus, vir ſua ætate in ſimplicium Medicamentorum cognitione nulli fortaſſe ſecundus, qui verè quidem (dummodo fabæ Ægyptiæ Planta delineata fictitia non ſit) colocaſiam eam, quæ habet radicem rotundam, eſſe Aron affirmaſſe videbitur, ex ſimilitudine quam cum Aro, & foliis, & radice habere videtur; Colocaſiam vero Ægyptiorum, non eſſe Arum Ægyptiacum, vel eo argumento demonſtratur, quod majori ex parte, bonitateque eſt apud Ægyptiam gentem præcipuè æſtimata, radix eſt macroriza, id eſt radicis longæ, craſſis arundinum radicibus ſimilis. Non nego tamen etiam rotundæ figuræ radice veſci illos copioſius quoque ibi, in nullis præterquam in radicis figura à macroriza differente. Si itaque ex Mattheolo rotundæ radicis colocaſia erit Aron, in quem ſenſum fortaſſe & Plinium eam pro Aro Ægyptio, ex ea ſimilitudine quam cum Aro habuiſſe viſa eſt, recepiſſe aliquis ſuſpicari poſſit; quid erit Colocaſia longæ radicis? an non erit faba Ægyptia antiquorum? & ſi faba Ægyptia ſit, numquid erit Aron macrorizum, id eſt longæ radicis? Nequaquam: cum Colocaſiæ cum Aro ſimilitudo in radice rotunda præcipuè conſiſtat. Quid de fabæ Ægyptiæ figura à Mattheola tradita? Abſque dubio ſuſpicor deceptum fuiſſe à ſuo Augerio de Busbeke, qui illam imaginem Conſtantinopoli allatam dederat. Ego certe ſemper ſuſpicatus ſum eam fabæ Ægyptiæ figuram eſſe fictitiam: cum ego, inquam, qui in Ægypto quatuor integros annos Medicinæ cauſa moram traxi, numquam eam Mattheoli plantam in Nilo flumine offendere potuerim, tametſi ſummo ſtudio in multis Ægypti locis eam perquiſiverim, ab oppido Roſetta vocato ad Cairum uſque, per Nilum flumen, & à Cairo in Damiatam, ad quam civitatem æſtatis tempore per Nilum navigavi, quo tempore per totam *Deltam* inſulam, omnium Ægypti Provinciarum fæcundiſſimam, in qua agros colocaſiis refertiſſimos conſpeximus, & omnia alia plantarum genera ibi obſervavimus, non tamen eam fabæ Ægyptiæ plantam un-

unquam videre potuimus, nec minus aliquos qui eam plantam alicubi in Ægypto offenderint. Non paucos quoque lacus vidimus, percurrimusque, in quibus eam plantam amplitudine foliorum inſignem fruſtra perquiſivimus. Quid amplius? An non, ſi in Ægypto ea planta fabarum fæcundiſſima copioſius, ut antiqui tradidiſſe viſi ſunt, vigeret, etiam fabarum illarum eſculentarum copia, indigenæ quibus veſcerentur, abundarent? veluti leguminoſas fabas toto anno virides familiarius eſitant. An non in Civitate Cairi, aut alibi in aliquo oppido, vel vico venales fabæ Ægyptiæ reperirentur, ſi inibi producerentur? Sed ſi hæ ab Ægyptiis perquirantur, nos derident, dicentes nusquam in Ægypto plantam ſe cognoſcere, quæ hujusmodi fabas ferat. Plantam, quam pro Aro Ægyptio pictam dedit Mattheolus, non eſſe Colocaſiam rotundæ radicis, etſi radix rotunda videatur, nos, qui plurimum Colocaſias pertractavimus, facilè cognovimus: namque Colocaſia rotundæ radicis, habet radicem orbiculatam rapæ ſimilem. *Illius vero* Colocaſiæ figuræ radix rotunda, *nota eſt longæ* radicis in noſtra regione, quæ cum non habuerit terram ſibi convenientem, ſed ab ea, in qua rectè viveret, diverſam, magna ex parte conſumpta, in parvam eam rotundam radicem deſinere ſolet. Cum Venetiis olim Medicinæ cauſa viveremus multos annos, ad nos lignea capſula ex Ægypto, eadem terra Ægypti plena, cum multis Colocaſiis macrorizis, ideſt longæ radicis inſitis, hyeme perlata eſt, in qua Vere ineunte vidimus, Colocaſiis in ea capſula germinare incipientibus, ipſarum radices omnes longas, geniculatas, arundinum cannis ſimillimas eſſe: quibus per æſtatem magna ex parte conſumptis, ſingula longa radix tandem in parvam radicem rotundam mutata eſt. Quare haud injuria credidimus eam fabam Ægyptiam, ferentem caulem, florem, atque fabas illas eſculentas, quando neque planta, neque fabæ eæ in Ægypto ab aliquo cognoſcantur, eſſe fabuloſam, & cum radix illiuſce plantæ, colocaſia antiquitus ab iis gentibus fuerit nominata, idque proprii habuiſſe etiam conſtet, quod apud eas gentes, & cruda, & cocta, familiarius,

 fre-

frequentiusque ederetur, haud injuria eos laudamus, viros, qui radicem eam in Ægypto ſpontè naſcentem, maximèque ibi in aquis lacunoſis luxuriantem, colocaſiæ nomen uſque nunc ſervantem, habentemque uſum familiariſſimum in cibo & crudam, & coctam, antiquorum fabam Ægyptiam eſſe voluerunt. Nihilominus, cum omnium ſtupore nobis Ægyptia Colocaſia in hortis floruit anno MDCXII. de qua legito quæ nos ſcripſimus in Libris de Plantis Peregrinis: neque eſt quod Theophraſtus, atque ab eo Dioſcorides, atque ab iis alii cum errore ſcripſerint, hanc plantam ferre caulem, flores, & fructus, quos à ſimilitudine, ut aliquibus viſum eſt, fabas appellarunt, easque uſum habuiſſe quondam apud eas gentes familiarem in cibo, quippè quæ & crudæ, & coctæ familiarius ab iis eſitarentur. Qui vero fieri poteſt, ut credamus plantam ſponte olim in Lacubus Ægypti ita copiosè naſcentem, nunc prorſus interiiſſe? & ſi non interiit, cur non cognoſcitur, atque ipſius non minus fabæ edules, tantopere ad cibum, cum ejus radicibus ab omnibus frequentatæ? Si quis vero objiciat nobis, plantam quam Mattheolus ait ſe ab Odoardo Polono Tridenti ex Ægypto allatam vidiſſe, cujus imaginem ab Augerio de Busbeke acceptam in ſuis commentariis inſeruit, eſſe pro antiquorum faba Ægyptia recipiendam, unico argumento hanc falſo dici facile demonſtrabimus, ſcilicet quod ſi hæc admitteretur, non duas radices olim apud Ægyptios in Nilo naſcentes ad ciborum uſum fuiſſe uſitatas, atque ab iis populis cognitas, veluti omnes veteres Scriptores tradidiſſe viſi fuerunt, ſed longè plures, dicendum eſſet, quippè primo fabam eam Ægyptiam à Mattheolo creditam; deinde Lotum Ægyptiam, atque Colocaſiam longam, & rotundam. Quod vero duæ tantùm fuerint cognitæ radices ad uſum ciborum in Nilo naſcentes, plerique veterum ſcriptorum nobis innuiſſe viſi ſunt. Herodotus, antiquiſſimus ſcriptor, duas plantas in Nilo naſcentes memorat, quarum alteram orbicularem radicem habere tradidit, quæ erit, non Lotus, ut perperam Petrus Bellonius credidit, ignarus in Ægypto Colocaſias majori ex parte habere radices longas, craſ-

In Lib. 2°.

craſſas, arundinum radicibus ſimiles, etſi Colocaſiæ nomine etiam radices rotundas habentes inibi naſcantur; alteram vero quidpiam olivarum nucleis ſimile in capite habere, quæ idcirco eſſe à multis credita eſt faba Ægyptia vocata. Poſt Herodotum, Diodorus Siculus in Libro primo de Fabuloſis antiquorum geſtis, ita de iis Plantis inquit. „ Lotum præ-„ terea fert plurimam, ex qua panem conficiunt ad victus „ indigentiam, ciborum inſuper abundantius fert, quod appel-„ lant Ægyptiam fabam. Quid de Theophraſto, atque de Dioſcoride dicemus? an non de duabus ſolummodo plantis in Nilo naſcentibus egerunt? ſcilicet de faba Ægyptia, cujus radicem dixit Dioſcorides vocari Colocaſiam, atque de Loto itidem Ægyptia? Quid itaque dicemus? Si faba Ægyptia diverſa erit à Colocaſia, non duæ plantæ erunt in Nilo naſcentes, ſcilicet, Lotus, & Faba Ægyptia, ſed etiam præter has Colocaſia; quod ſi Colocaſia rotundæ radicis eſſet, uti aliis viſum eſt, Aron Ægyptium, plantæ in Nilo naſcentes eſſent quatuor, cum tamen antiqui uniformiter duas ſolummodo eas fuiſſe mortalium memoriæ prodiderint: ſcilicet fabam Ægyptiam, per quam plantam nullam aliam intelligere potuerunt, quàm Colocaſiam ipſam, atque Lotum Ægyptiam. At quid dicemus de Aro Ægyptio? An in Ægypto naſcitur? Neminem ex veteribus legi, qui Ari Ægyptii meminerit, uno Plinio excepto, qui Ægyptium Aron nominat, atque deſcribit, dicens habere folia ampla lapatho proxima, caulemque rectum bicubitalem, baculi craſſitudine, & radicem ſcillæ ſimilem, naturæ mollioris, quæ & cruda edatur: Si Colocaſia rotundæ radicis caulem in Ægypto produxiſſet, Plinius eam non immeritò Aron appellare potuiſſet: ſed cum in Ægypto neque florem, neque caulem ferat, idcirco Colocaſia Aron eſſe non poterit: & non modo non in Ægypto, ſed neque in Cypro, neque in Creta Inſula, quibus in locis fluvii ſpontè ferunt innumeras Colocaſias ſtrongylorizas, ideſt radice rotunda præditas, in quibus nunquam flores fuere producti. Quod ſi eæ aliquando floruiſſent, flores fuiſſent ab aliquibus obſervati, præſertimque ab Honorio Bello Vicenti-

no Medico illuſtri, in herbarum cognitione maximè exercitato, qui plures annos in ea Cretæ Inſula Medicinæ cauſa vixit, præſertimque cum mordicus contra nos tenuiſſet, Colocaſiam eſſe Aron Ægyptiorum. Cujus quidem opinionis defendendæ cauſa, Johannes Vincentius Pinellus, vir & genere, & diſciplinarum omnium ſtudio maximè illuſtris, ad Honorii Belli opinionem confirmandam, planè, ut illi omninò faveret, mihi ſæpe pollicebatur integram Colocaſiam cum flore Neapoli procuraturum, mihique eam oſtenſurum, ut veritatem in ea planta cognoſcerem: tandemque, nullis ſumptibus parcens, eam cum Neapoli convectam recepiſſet, ocius me, atque Jacobum Antonium Cortuſum, nobilem Patavinum, Horti Medici Patavini præfectum, accerſivit, ut eam cum flore ambo recognoſceremus, ſed contra ſpem evenit, ſiquidem cum ego fortè eam diligenter inſpexiſſem, ejus florem eſſe Ariſari plantæ cognovi, quod & Cortuſus illico faſſus eſt. At cum Pinellus conſtanter negaret, ecce, à me bona fortuna, revolutis Colocaſiæ ſiccatæ foliis, apparuit Ariſari folium etiam cum flore in principio conjunctum, negligenter ab iis qui eam plantam Pinello miſerant, inter folia latens, relictum. Quo viſo omnes obſtupuerunt, & faſſi quoque fuerunt florem eſſe fictitium, omniſque Diſputatio de Colocaſia continuò ceſſavit, facileque & hinc creditum eſt, Lucam Ghinum in Bononienſi Gymnaſio medicamentorum Simplicium Profeſſorem celeberrimum, ut oſtentaret & ipſe Colocaſiam eſſe Arum Ægyptium, in terra in qua planta Colocaſiæ fuerat plantata, ſimul etiam ab ipſo inſerta Ari radice, quæ poſtea in medio foliorum Colocaſiæ floruit, & piſtillum quoque è terra excluſit, plures decepiſſe, qui idcirco putarunt, Colocaſiam eſſe Arum Ægyptium. Hanc hiſtoriam dedit Aloyſius Anguillarius in ſuis Simplicium Medicamentorum Diſcurſibus. Sed quid tandem ad Ferrantem Imperatum, atque ad Fabium Columnam, viros ingenuos, qui ad me ſcripſerunt, ibi Colocaſias ſæpe cum floribus ſimilibus Ari floribus conſpexiſſe, dicemus? ſi verum ſit quod ibi ea planta floreat, non tamen fatebimur eſſe Aron, cum in multis

p. 173

TAB. III.



LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE ROYAL ASIATIC SOCIETY.

p. 273.

TAB. IV.



multis Colocaſia ab Aro differat, præſertimque foliorum amplitudine, & foliis non maculoſis, omniumque maxime radice, atque ejus facultate, quæ Colocaſiæ eſt infarciens meatus, & Ari meatuum deterſoria. Abimbetar Ægyptius, in capite de Colocaſia, apertè & ipſe tradidit, Colocaſiam caulem non ferre, neque florem, neque fructum. Quod ſi ibi etiam antiquitus Colocaſia aliquando flores Ari produxiſſet, veteres ſcriptores eam tanquam diverſam plantam à faba Ægyptia, quæ eſt Colocaſia Macroriza, deſcribere non omiſiſſent: non enim duas ſolummodo plantas Nili familiares eſſe dixiſſent, ſed Arum quoque recenſuiſſent inter Niloticas plantas. Neque credi poteſt à quoquam, Herodotum per plantam, quæ habet radicem orbicularem, Arum intellexiſſe, at potius Lotum, cujus radix, ut Theophraſtus auctor eſt, rotunda eſt, malo cotoneo ſimilis. Andreas Cæſalpinus ſcripſit in Libris de Plantis, quandam plantam Colocaſiæ ſimilem, quamque & Siculi Colocaſiam appellant, naſci in Sicilia, habentem folia fermè amplitudine Perſonatæ, non ſine maculis quibusdam effigie undarum lætè virentium, radicemque ferre rotundam, ſed tamen hanc & ipſam plantam, neque florem, neque caulem ferre tradidit. Hanc Arum magnum eſſe tradidit. Fortaſſe nos, qui alias Colocaſias ex Ægypto expectamus, cogemur hanc eandem difficultatem longè accuratius in Libro ſecundo de Plantis Exoticis tractare, quo loco ultimam manum pro hac veritate cognoſcenda ponere † operam dabimus.

In Lib. 5°. de Plant. Cap. 38.

† *Vide Colocaſiam rotundam Abimbetaris & Colocaſiam longam Tab. III. num. 1. & 2. atque aliam ſpeciem Tab. IV.*

Caput XII.

De reliquis radicibus eſculentis in Ægypto naſcentibus.

Ægyptii abundant & aliis radicibus eſculentis, quibus crudis, & coctis veſcuntur, interque eas eſt vulgaris Paſtinaca, & ſylveſtris ea, quam noſtri vocant Carotam, tum nigræ radicis, tum albæ flaveſcentis, quibus crudis familiarius quam coctis veſcuntur. Has frequentant mulieres, quæ non liberalius purgantur, & ad movendam urinam, atque ad venerem excitandam *haud ipſarum uſus eſt ſpernendus.* Veſcuntur & raphano crudo prima menſa, non ſecus quam faciunt Itali, at non in ultima menſa, quod fœtidas eructationes moveat. Betam rapoſam, & cauli rapam coctam ex jure, aut cum cæpa, petroſelino, atque ſale libentius edunt, non minus quam rapum, napumque. Habent & cæpas albas, ac rubras aſcalonias, porra, allia. Hæc ſunt (ſcilicet allia) ita apud omnes in uſu familiari, & frequenti, ut absque allio nullum ferculum paretur: eo optimo incolæ non abundant in proprio ſolo, quod propter calorem inſignem nucleos vel non producat, vel valde exiles. Itaque & ob hanc cauſam, quod optimum Ægyptus non producat, & quod eo omnes cum Ægyptii, tum Arabes, atque Indi ad cibos frequentiſſime, atque ad medicinæ uſum non minus, utantur, optimum magna quantitate ex Italia navibus convehitur in Ægyptum, ibique magno pretio venditur, atque aliquando tanto pretio æſtimatum vidimus, ut pro allio æquo pondere tantundem optimi piperis rotundi mercatores habuerint. Apud eas gentes allium complures medicos uſus obtinuit: namque utuntur ejus ſucco calido in aurem inſtillato ad ſurditatem antiquam,

quam, ad tinnitusque in iis obortos. Allio recenti contrito, vulnera recentia, effatu digna ſanant: dolores ventris, ubi non ſit febris, eo eſitato diſcutiunt: ad vermes felicius ipſum eſitant: ad acores capitis in pueris uſto cum melle illiniendo utuntur: ad tuſſim antiquam coctum utiliſſime devorant. Ad venena, atque ad venenatos morſus ferarum venenoſarum, copiosè crudum eſitant, ſuccumque ejus per os aſſumunt, vel vinum in quo fuerit decoctum, merum, generoſumve liberalius bibunt. Hirundines alicui parti interius adhærentes, allio vorato expellunt: ad urinam movendam ipſum eſitant, non minus quam ad ventrem emolliendum, laxandumque. Inſeſſio decoctionis allii ſicci cum ejus caulibus ad movendos menſes mulieribus eſt utiliſſima, præſertimque in puerperis ad ſecundas expellendas, idemque præſtare obſervant mulieres, ſi iſtius decoctionis vaporem in uterum exceperint, ad quem uſum ſuffitum ex allio cum ſuo caule ſuper carbones uſto utiliſſimè frequentare ſolent. *Naſcuntur non longe à flumine radiculæ parvæ in terra, cyperis rotundis haud diſſimiles*, exterius flavi coloris, intus albæ, quæ dulciſſimæ ſunt, unde multi iis crudis veſcuntur: ex ipſis lac expreſſum dant tuſſientibus, atque ardore urinæ vexatis. Hanc Arabes Zeilin vocant, Serapioque ipſius meminit. Theophraſtus vocat Melinatalam, & Plinius Antalium, & noſtri Cyperum eſculentum.

Caput XIII.

De Plantis Cerealibus, atque de leguminibus quibus Ægyptii abundant.

Cerealibus omnibus ſeminibus Ægyptii, quibus & Itali, abundant, quippe tritico, ſecale, hordeo, zea, avena, milio Æthiopico, quod Dorà appellant, vicia, trifolio. Triticum abundè ea regio producit: ſeritur initio menſis Novembris poſteaquam aqua Nili ex toto à terra abſorpta eſt. Complures ſunt, qui terræ ſiccationem ad ſerendum non exſpectant, menſe Octobri triticum in aquam projicientes, quod in aqua naſcitur, creſcitque ſenſim, ac ſenſim, veluti aqua adhuc tellure inundante ſenſim ac ſenſim ex toto abſumpta, terraque ſiccata radicibus firmatur. Ita creſcit in pinguiſſimo ſolo ex Cæli calore, ut ad Nativitatem Domini omnes ſegetes ſpicas proferant, quæ toto menſe Februario perfectam maturitatem nanciſcuntur. Provincia Memphitica, Maſrim dicta, abundè triticum producit. Sed Saitica provincia, atque Thebaica ita tritico abundant, ut ingentem quantitatem magnas naves onerantes, Cairum quotannis convehant: quo horrea (vulgo ſonè vocata) ob annonæ alicujus futuræ caritatis timorem, ad ſervandamve annonæ ubertatem, ſingulo ſeptennio replent. Qua providentia ibi plerumque vili pretio triticum venditur, atque ita ejus copia incolæ juvantur, ut omnes cum urbani, tum ruſtici, tum divites, tum pauperes triticeo pane veſcantur, atque nutriantur. Triticeæ paleæ ad equorum pabulum utiliſſimæ ſunt, namque ibi paleas ſiccatas quodam molendinario inſtrumento conterunt, eas triticeis furfuribus parvitate proximas reddentes, quas ita paratas hordeo mixtas ſuis equis in pabulo continuo

tinuo exhibent, quo probe ii nutriuntur, & robuſtiſſimi evadunt. Hordeum ibi ad equos alendos abundantiſſimè ſerunt, ac colligunt: Secale non multum delectantur: Oryzam abunde in toto Ægypti ſolo aquis irriguo ferunt, & magno ſtudio colunt, quod cibus ſit Ægyptiis longè aliis cibis frequentior, & familiarior. Decoquunt in jure pingui vervecis donec veluti cruſta pultis reddatur, & poſtea copioſum butyrum addentes, ebulliendo ipſum adhuc perfectius concoquunt: hocque epulum Pilà nominant. Serunt zeam, viciam, atque medicam pro equorum, mulorumque pabulo. Milium habet Ægyptus etiam, ſed non multum, quod pullorum gallinaceorum cauſa ſerunt. Habent, & copioſius quoddam genus milii, quod Æthiopicum appellant, & proprio nomine Dorà. * Planta fert caulem arundinaceum, geniculatum, Veneto milio (ſorgo vulgo vocato) longe brevius, foliis itidem brevioribus, minusque latis: paniculam fert magnitudine, atque figura ſorgo proximam, non tamen ſurſum, ut in ſorgo, rectè, actam, ſed deorſum flexam, ſeminibus parvis, rotundis, ſorgi granis ſimilibus innumeris congeſtam, colore extra, intusque candido; ex ipſorum farina panis conficitur albus & eſui acceptiſſimus, & utiliſſimus. Eodem tempore quo triticum ſerunt, eodem & linum, quo maximè Ægyptus abundat, & trifolium, & reliqua omnia cerealia ſemina, atque leguminoſa ab Incolis ſeruntur. Inter legumina quod primum bonitatis locum habet, eſt quod Mas appellant: poſt ipſum bonitate, piſum, phaſeolus, cicer, lens, faba, ervile, cicercula, aracus, fænugræcum, & ervum. Ægyptii omnibus leguminibus præferunt Mas ab omnibus Arabibus vocatum, & planta, & ſemine piſo ſimile, ſed longè minus: crediderim tamen ego eſſe piſi genus, ſed eo longe ad victum utilius, quando facilis ſit coctionis in paſſivis qualitatibus. At de hoc legumine in fine primi Libri iſtiuſce Hiſtoriæ cum à nobis accuratè actum ſit, nihil aliud addimus. Piſa huic ſuccedant, quibus coctis familiarus ad cibum utuntur, atque viridibus crudis quoque indigenæ perinde ac noſtri veſcuntur. Phaſeolos multorum generum habent, inter

* *Vide Tab. III. Num. 3.*

ter quos albos Italis ſimiles, & parvos, lentis ferè magnitudine: libentius eſitant Ægyptii, Turcæque plurimum eſu leguminum delectantur, atque adeo, ut in conviviis, quæ fiunt à Pro-rege Ægypti, Turcarum Imperatoris ſumptu, in aula auditoria Cadis, Spais, Chiauſſis, Beis, Sangiachis, atque aliis Turcis, dapes majori ex parte ſint legumina varia, ſcilicet Mas, piſa, phaſeoli albi parvi, ciceres, lenteſque.

Caput XIV.

De Plantis non eſculentis, quæ in Ægypto naſcuntur, atque de ipſarum uſu.

Innumeræ ferè plautæ in Ægypto naſcentes etiam obſervantur, non ciborum uſui ſervientes, cujuſmodi ex iis, quas potuimus obſervare, eſt Kali, cujus multæ ſunt differentiæ Kellù vocata ab Arabibus, Harmel Armala, Melanthium papaver nigrum, hyoſciami genera quædam, ſed album præſertim, urtica à noſtratibus differens lini ſemine, oſſar, cujus fructus beidelſar vocant, viola, gramen, melilotus, viſnuga, ſchœnanthus, iris, pſyllium, beem album, & rubrum, hermodactylus, buzeidam, abelmeluch, *papyrus*, ſtratiotes aquatica, cyperus *rotundus*, artemiſia *alba*, roſa ſofferra, ſesban, bon, gelſiminum Arabicum, calaf, ſeu ban, goſſypium, uzeg, agialid, glans unguentaria, liguſtrum, tamariſcus, acacia, ſecamonè, caſſia cathartica, balſamum, tamerindus, atque lanifera arbor. *De his modo* ſingulis enumeratis ſtirpibus non eſculentis, particularis ſermo à *nobis* habendus eſt. Ex *Kalli* plantis Kellù vocatis, eas, quas in Libro de Plantis Ægypti ſcriptis tradidimus, altera ejuſdem generis planta poſtea nobis innotuit, ex qua uſta cineres ad vitra conflanda, atque ad ſaponem parandum etiam fiunt.

fiunt. Hanc Petrus Bellonius prope urbem, Raſſit vocatam, in quadam planitie, ſe vidiſſe tradidit; quam plantam eſſe Anthillidem Græcorum credidit, neque immeritò ſane, cum hæc planta habeat ramulos rectos, folia parva lenti ſimilia, ſed longè minora, totaque planta guſtui ſit ſalſa, in ſabuloſiſque, & ſalſis locis naſcatur. Armale multis in locis naſcitur qualis profectò à Dioſcoride expreſſa videtur. Violas habent & inibi naſcentes, & aliunde perlatas, quibus familiarius, atque utilius omnes in illo calido cælo utuntur. Melanthium quoque & nigro ſemine, & albicante odoratum ibi copioſius naſcitur. De papavere nigro quod copioſè ibi provenit, ſuperius dictum eſt, quippè ipſius plantæ contuſis capitibus, preloque expreſſis, ſuccum meconium vocatum emanare, atque ab iisdem ſcarificatis lacrymam exire, quæ ab Arabibus Affium dicitur, atque à noſtris Opium, quæ eſt exitiale venenum refrigeratorium, de cujus viribus, atque uſibus cum ſæperius ſatis, ſuperque dixerimus, nihil aliud in præſentia addere voluimus. Hyoſciamum album in multis locis provenire vidimus, ſed privatim circum magnas eas pyramides in ea planicie copioſius, cujus quidem plantæ imaginem dabimus in altero libro de Exoticis Plantis, quas nos ſpatio annorum viginti, quo & Venetiis Medicinæ cauſa fuimus, & Patavii Medicam materiam ordinarie in Patavino Gymnaſio profeſſi ſumus, collegimus; eo enim temporis ſpatio multa à multis ex variis locis accepimus: qui liber ſimul cum hac hiſtoria, quam nunc ſcribimus, evulgabitur. In ruderibus Alexandriæ, & antiquæ Memphis, quæ nunc extant in ruinis ſolummodo, hæc planta naſcitur. Urtica ſemine lini copioſius provenit, cujus profectò vires, atque uſus aliàs abundè diximus. Naſci etiam in locis humentibus Oſſar planta, & gramina multa, & melilotum, quam plantam Alchimelech vocant, in Libro de Plantis Ægypti diximus. Gingidium quoque, quod viſnagam multi appellant, Cairo per Nilum flumen Alexandria navigantes, juxta ramum Caliz vocatum, non procul ab Oppido Raſſit appellato, copioſiſſimè naſci offendimus, cujus quidem plantæ umbella-

rum ramulis ſiccatis ad uſum dentium detergendorum magno comodo uti frequentius ſolent. Habent & plantam Papyri in Nilo flumine naſcentem, cyperumque rotundum, quam plantam nos in ejusmodi fluminis ſuperciliis humentibus copioſam ſæpe manu noſtra decerpſimus, quippe rotundas radices habentem, & grandiores quidem quam ullis aliis in locis unquam fuerint inventæ. Habent & quasdam radiculas ſubtiles coloris flaveſcentis, & ſapore ſubdulci, cum quadam lævi excalefactione, quas Buzeidam vocant, quæ radices uſque adeo ſimiles videntur radicibus Polemonii, quas Officinæ ben album appellant, ut aliquando easdem eſſe crediderim. Hæ ad venerem movendam apud omnes in magno pretio habentur, atque ita, ut tunc temporis ſingulæ drachmæ harum radicum ſingulis aureis venderentur. Fatemur & nos ex omnibus Medicamentis ad venerem augendam mortalium memoriæ à veteribus traditis, atque hucuſque à noſtris cognitis, hanc unam radicem omnibus eſſe præferendam. Johannes Brattius Juſtinopolitanus, Medicus maximè eruditus, multos annos Venetiis qui Medicinam fecerat, frigidi, ſiccique temperamenti, atque ita, ut potuerit inter frigidos maleficiatos facile comprehendi, cum fortè Venetiis in Officina Medica ad inſignia Struthii modicum illiuſce radicis caſu deguſtaſſet, faſſus eſt nocte ſubſecuta uſque adeo ipſi venerem fuiſſe excitatam, atque auctam, ut per totam eam noctem ſe in magnum priapiſmum incidiſſe, atque laboraſſe ſuſpicaretur. Non poſſum affirmare, hæc radix an in Ægypto naſcatur, vel aliunde deferatur. Ad hunc uſum etiam habent Behem album, & Behem rubrum legitimum Arabum: quod eſt planta paſtinacæ ſylveſtri ſimilis, radicibus quæ nititur multis, non unica, ut in paſtinacis, brevibus, craſſis, in acutum deſinentibus, per longum rugoſis, non rectè, ſed oblique actis, colore aut rubro, quas † Behem amra, aut albo, quas Behem abiat vocant. Sunt etiam boni odoris, & ſaporis ſubdulcis. Serapio in lib. Simpl. cap. 223. has radices ex Medico Aben Meſuag ita deſcripſit. „ Behem ſunt duæ ſpecies, ſcilicet rubri, & albi, & ſunt

† *Vide Tab. II. num. 6. & 7.*

„ ambæ

„ ambæ venæ in magnitudine radicis paſtinacæ parvæ, qua-
„ rum quædam ſunt tortuoſæ. Deferuntur ab Armenia:
„ odor ejus eſt bonus, & eſt in eis viſcoſitas quædam, &
„ utræque ſunt calidæ, & humidæ, & augent ſperma. Avi-
„ cenna vero dixit: Behem eſſe radices carnoſas, aſperas,
„ à ſiccitate contractas: „ Cum errore autem ſtatuit has eſſe calidas, & ſiccas, cum hæc ſemen non augeant, ſed quæ humidæ ſunt: Quod melius à Serapione dictum fuit, eas calidas, & humidas eſſe. *Abelmeluc ſunt ſemina, quæ ex Meccha deferantur cujusdam plantæ ricino ſimilis, oblonga, rotunda, nigreſcentia, extrema in acutum deſinentia, violentiſſima vi purgatoria prædita, atque adeo purgant, ut unum ſemen devoratum cum per vomitum, tum per ventrem violentiſſimè purget ellebori albi modo. At hæc duplicis ſunt differentiæ: quædam majora piſtaciorum cum corticibus ferè magnitudine, atque figura: quædam vero longè minora, eadem tamen figura, quæ nucleis pinis piaſſè ſimilia magnitudine videantur. Hæc longè venenoſiora ſunt, ut medietas unius ſeminis ita exitialis ſit, ut purgando non raro ſævis ſymptomatibus homines qui eam devoraverint, quaſi interemerit. Ab his omnes abſtinent, tanquam à veneno exitiali. Majora vero apud quoſdam ruſticos in uſu exiſtunt. Iridem habent & ipſi in eo ſolo provenientem, at ipſius radicibus non utuntur, quod non ita viribus præſtent. Utuntur iis familiarius ex Græcia, ac vel etiam ex Syria delatis, quæ ſunt admodum odoratæ. Has pro Arabibus, & agreſtibus hominibus pulverizatas ad manus habent, quem pulverem corporibus eorum à balneo inſpergunt. Hanc profecto radicem tanti faciunt Arabes, ut ipſorum nullus ſit, qui duas, vel tres radices collo appenſas non habeat, ipſamque Moſcho odore præferunt, unde apud eos Moſch non immerito appellata eſt. Naſcitur in multis locis Ægypti Schænanthus, ſive juncus odoratus, quo tamen ibi naſcente non utuntur, ſed eo qui ex Arabia defertur, cum Ægyptio longè ſit odoratior, & viribus magis præſtet, quam quæ in Africa tota naſcatur. Habentque flores ipſius quos ad Medi-

cinæ uſum recipiunt: neque illis deſunt flores, etſi non in ea copia, ut herba ſuppetit illis, quod Cameli partes ſuperiores pleriſque in locis depaſcantur, eoque pabulo maximè delectentur: florum enim defectus, vel etiam Galeni tempore dignoſcebatur, qui de eo ita inquit. " His præterea juncum odoratum ex Arabia allatum immitti præcipit, „ quem neſcio quomodo Schœnanthos, id eſt junci florem „ multi vocant, cum nobis floris copia non adeo ſuppeditet: nam etſi tota advehatur herba, ſunt tamen ejus ſuperiores partes à Camelis ſæpe depaſtæ, veſcuntur enim „ ea, & delectantur maximè „. Neque enim etiam hoc tempore in magna abundantia flores junci odorati Cairi habentur, quod, uti à Galeno dictum eſt, Cameli partes iſtiuſce herbæ ſuperiores maxime depaſcantur. Neque iis qui Arabiæ loca viderunt hoc mirum videbitur, atque etiam non minus qui Camelorum ingentem numerum inibi viventium obſervarunt: etenim in quibusdam locis inter Damaſcum, & Babilonem Arabes affirmant non minus quatuorcentum millia Camelorum vivere. In Arabia verò in qua juncus odoratus naſcitur longè plures obſervari. Quo mirari quiſpiam non debebit, ſi tot numero Camelorum paſtione, qui herbæ ſuperiores partes aſſiduè depaſcuntur, flores Schœnanthi magna ex parte abſumantur, atque propterea in tam magna ex parte abſumantur, atque propterea in tam magna copia non ſuppetant. Quæ ſi Mattheolus perſpecta habuiſſet, Galenum, tantum Medicum, dicentem, ex ingenti copia Camelorum depaſcentium partes ſuperiores herbæ, flores non ut opus eſſet, nobis ſuppeditari, haud riſiſſet. Non enim dixit, quod omnino flores non habeantur, ſed parcius quidem iſtos ob eam cauſam nobis ſuppeditari. Pſyllio quoque ea regio maxime abundat. Herba uſum non habet, at ſemina ejus, quæ quod colore, magnitudine, & figura pulicibus ſint ſimilia, idcirco planta herba pulicaris dicta eſt. Semen verè quidem miraculorum omnium maximum meritò Arabibus dicitur, quod nimirum uſque adeo exile ſemen duas profecto facultates oppoſitas in exceſſu con-

In p°. de Antid.

conſtitutas, deleteriaſque habeat: cortici enim facultas frigidiſſima, humidiſſima, atque epiceraſtica ineſt, qua hoc ſemen interimere poteſt: interna vero ſubſtantia calidiſſima, ſicciſſima, atque interna viſcera corrodens: tritum vero ſemen, in pulveremque redactum intus aſſumptum, validiſſimum purgatorium eſt, cum per vomitum, tum per ventrem, educendo bilem craſſam, pituitamque, non minus quam etiam ſeroſas humiditates. Unde in frequentiſſimo uſu eſt tritum ad drachmam, & geminas etiam, devoratum in hiſtericis mulieribus, atque ad colicos, uterique frigidos dolores. Sed quid amplius de eo dicemus, an non etiam integra ſemina ſolida ad drachmam, & ad geminam etiam dantur, quater aqua optima prius lota, priuſquam mucaginem contraxerint, in febribus ardentibus malignis, atque in peſtilentibus mirabili cum utilitate, cum ab ipſis voratis, ſudor copioſus erumpat, aut venter excernat humores ſummè putridos, fœtidiſſimoſque, eoque modo ægrotos ab iis febribus liberet. Hoc modo non paucos deſperatæ ſalutis vidimus fuiſſe ſanatos, ſed qua ratione pſyllium ſudorem in illos movere valeat, atque ventrem purgare itidem, non eſt iſtius loci diſputatio. De ipſo ſemine ſatis, ſuperque in Libris de Medicina Ægyptiorum etiam ſcripſimus. Demum & hermodactylis quoque Ægyptii non carent ad Medicinæ commodum, præſertimque ad podagricos, & arthriticos dolores tollendos, in quibus nihil videtur utilius: etenim per cibum interius aſſumptus hermodactylus, tum exterius parti dolenti adhibitus, & dolorem tollit, & partem afflictam à futuro dolore præſervat. Quam hermodactyli facultatem inſignem ad podagram finiendam, ſolus Siſè, Medicus Ægyptius, cognoviſſe viſus eſt, qui in ſuo libro de Simplicibus Medicamentis, qui nunc etiam Arabico idiomate ſcriptus apud Medicos Ægyptios habetur, ita de hoc Medicamento ſcripſit.
„ Hermodactylus calidus eſt, & ſiccus receſſu ſecundo. Ve-
„ nerem ciet, ſemen auget, præſertim cum gingibere, cala-
„ mentho, & cimino, ejuſque doſis eſt ad ſcrupulos duos
„ cum ſaccharo. Eſt articulorum theriaca; & præſertim

„ mate-

„ materia fluente: compaginum dolorem admotum illico „ compeſcit, pituitam craſſam educit, adſtrictionis eſt par- „ ticeps. Ad membrum, à quo evacuatur, materiarum ef- „ fuſionem prohibet. Stomachum ſummopere lædit. Ve- „ rum ejus noxa corrigitur, roſis, paſſis, calamento, & ci- „ mino: ejus doſis eſt cum eſt ſimplex ſeſquidrachma: at „ cum Medicamentis ſolventibus, ad ſcrupulos duos. In „ ejus locum ſubſtituitur ſarcocolla rubra. „ Inquit in arti- cularibus doloribus „ ejus loco liguſtri foliorum idem pon- „ dus ſupplet, atque ejus ponderis dimidiam dellii ſarace- „ nici. „ Rurſuſque inquit: „ Hermodactilus conſtat ex duplici „ ſubſtantia, altera ſolutiva, altera adſtringenti. Cumque „ calor naturalis in ipſo agit, ſubſtantiam tenuem ſolventem „ ſeparat, ejuſque effectum præſtat reſolvendo, atque ma- „ teriam in articulis detentam, quoad ipſam pellat, ad ſe „ attrahit. Deinde ſubſequitur poſt aliquod tempus ſubſtan- „ tia frigida, ſicca, ad illudque membrum redit, & vias, „ ipſumque refrigerat, adſtringitque, prohibet reditum ad „ ipſum materiæ fluxilis, effuſionemque ejus, quod currit ab „ alio loco. „ Itaque Ægyptii habent legitimum hermoda- ctylum, quo, ut dixi, utuntur in arthriticis, podagriciſque doloribus, ſumma cum utilitate. Hincque creditum eſt eas gentes non vexari podagra antiquata, quod nimirum quam primum ejus mali principium ſenſerint, eo ſingulari Medi- camento utantur, quo nedum doloribus præſentibus liberan- tur, ſed quinimo ab eiſdem inpoſterum futuris maximè præ- ſervantur. At Medicus aliquis dicet, quidnam ſit ipſorum hermodactylus quo ii Medici utuntur? an vulgaris officina- rum? nequaquam: namque radices vulgares, quæ apud no- ſtrates Medicos in uſu ſunt ad purgandum, Chamira vocant, expertesque eas eſſe cujusvis purgatoriæ facultatis longa, certaque experientia deprehenderunt: quando iis copioſius veſcantur mulieres, & crudis, & coctis ſub cineribus, ut ipſarum corpora pinguefiant. Nihil enim eæ mulieres ab eo- rum eſu purgantur, neque quicquam moleſtiæ ſentiunt, eoſ- que bulbos, non ſecus quam caſtaneas, facile concoquunt, atque

atque digerunt. Hinc noſtri Pharmacopœi, atque Medici intelligant, quanto errore eas radices ad purgandum in uſum recipiant, & ad purgantium medicamentorum compoſitiones; unde & valeant ipſorum catapotia de hermodactylis, & majora, & minora, cum nihil ab hermodactylis purgatoriæ facultatis habeant. Eæ enim mulieres Ægyptiæ nihil magis habent, quam ut pingues evadant, huc animum omni ſtudio intendunt, non ſecus ac noſtræ capillorum comptui. Eas enim ſummopere pinguedo delectat, non modo mediocris, quæ laudabilis eſt, quod calorem foveat indumenti modo, formoſioreſque reddat, perbelle formet membra, inania ſpacia replens, cutem extendens, lucidamque reddens, ſed & multa, quæ inutilis, atque moleſta eſt, corpus gravans, omnium articulorum gratiam, & membrorum formam, delineationeſque obſcurans. In id multis utuntur, præcipua autem ſunt Clyſteres ex jure pinguiſſimo Gallinarum, quæ nullibi pinguiores inveniuntur, quam in hac regione, & hermodactyli noſtri communis uſus, à Mauris Chamira nuncupati, quos avidè, non ſecus atque noſtrates Caſtaneas, ut diximus, comedunt, & crudos, & coctos ſub cineribus. Nullaque mulier reperitur, quæ domi eos non habeat, ut ſine iis vivere nequeant. Ex quo palam fit eos minimè venenatos eſſe, & non modo non ſtrangulare eadem die, ut veteres de Colchico poſteritatis memoriæ tradiderunt, ſed potius eos ſummè nutrire, quod unicuique abſque diſcrimine in ſe ipſo etiam experiri licet, ſicuti & multi ex noſtris inibi experti ſunt. His autem adeo pingueſcunt mulieres, ut earum pleriſque accidat quod Nicomacho Smyrnæo accidiſſe meminit Galenus, cujus corpus ad tantam molem auctum fuiſſe tradidit, ut loco moveri non poſſet, quem ajunt ab Æſculapio curatum. Mulieres Turcas, Hebræas, & noſtrates, ſæpe Nicomachò pinguiores vidi, quæ fortaſſe adhuc vivunt, atque ob adipoſam molem, non carnoſam, uſu prædictarum radicum comparatam, locum mutare minimè poſſunt. Harum radicum facultatem probè & Serapio expreſſit in ſuo libro de Simplicibus Medicamentis, agens de Her-

modactylo, &, quod nonnulli illius temporis Medici; vulgaribus hermodactylis, qui ſunt *Chamira, etiam pro legitimis uterentur, inquit. " Erraverunt autem qui putaverunt, quod „ ſit lagia agreſtis, quæ ex Africa defertur. Nam illa lagia „ impinguat mulieres, quando aſſumunt eam, & humectat „ corpora ſicca, & augmentum efficit in carne; & „ facit rubere faciem colore bono. „ Quod vero noſtrates vulgares hermodactyli, quibus perperam ad purgandum noſtri Medici utuntur, ſint Chamira Ægyptiorum, eo argumento vel cuique noſtrum conſtabit, quia eadem magnitudo, figura, color, ſaporque in iis omnibus animadvertatur; atque quod nihilo corpora purgent, neque lædant ſtomachum; ex noſtris quidam pulverem ad drachmam devorarunt, neque quicquam alvus ex ea ejecit humoris, neque quicquam moleſtiæ ſenſit. Niſi pulvis ex vulgaribus hermodactylis, quam officinæ Medicæ ad purgandum parant, alia Medicamenta purgantia reciperet, nihil profecto corpora purgaret. Quibus quidem liquido conſtabit, vulgarem noſtrum hermodactylum non eſſe legitimum, quo Medici ad purgandum in arthriticis, podagricisque doloribus uti poſſint: & primo, quia nihil purgatoriæ facultatis habet, & quod ſtomachum nihil lædat, quas duas notas Paulus Ægineta de hermodactylo expreſſit, ſic inquiens. " Hermodactyli radix, & per ſe, & „ ipſius decoctum vim habet purgandi, privatim arthriticis, „ tunc cum humores defluunt, exhibetur*, verum ſtomacho „ nimis quam adverſatur. „ Idem & Alexander *Trallianus*, Actuarius, & omnes Arabes. Cum vero vim hic noſter purgandi non habeat, neque ſtomacho ullæ molleſtiæ ſit, quis eum pro hermodactylo recipiet? Hermodactylus vero Ægyptiorum, quem Surungiam appellant, eſt radix itidem Chamira, ſeu vulgari noſtro hermodactylo calore, figura, & fere guſtu etiam omnino ſimilis, attamen longè minor, ſcilicet magnitudinē avellanam æquans, eadem vero figura qua vulgaris hermodactylus. Hæc quidem eſt radix legitimi hermodactyli, quæ ſola adſumta, abſque aliis medicamentis purgatoriis, vim habet purgandi: atque id quoque proprii habet,

quod.

quod ſtomacho adverſatur, unde illi ejus noxam corrigunt mixto cimino, aut calamentho. Negant vero plantam quam Mattheolus Byſantio acceptam refert ab Augerio Busbekio Flandro, Ferdinandi Cæſaris Imperatoris apud Solimanum Turcarum Imperatorem Oratore, idque perſuaſi multis rationibus, legitimum hermodactylum eſſe, ob parvam ſuam radiculam rotundæ avellanæ magnitudine, figura vero, colore albo, ac ferè ſapore, Chamira, ſive vulgari officinarum radici omnino perſimilem. An hujuſmodi radices, ſcilicet hermodactylus Ægyptiorum Chamira, atque vulgaris noſtratium officinarum, ſint Colchici Græcorum, ii maximè dubitarunt, præſertimque ex Arabum ſcriptorum confuſione. Serapio namque credidit hermodactylum eſſe Colchici radicem, præſertimque cum ex Dioſcoride ſcribat: " Hermodactylum „ eſſe herbam, quæ in fine autumni floreſcit, & florem „ fert croco ſimilem, & folia bulbi habet, in quibus eſt hu„ miditas adhærens manui, caulemque palmo altum colore „ albo ad *nigredinem inclinante*: & *habet radicem* cujus „ cortex *eſt niger*, & *quando aufertur* cortex, radix inte„ rius alba *cernitur*, *mollis*, dulciſque ſaporis, & turget hu„ miditate. Radix vero eſt rotunda ſimilis cæpæ bulbi, „ habetque itidem hæc radix in medio ſciſſuram, qua caulis „ exit in quo eſt flos: hancque radicem eſitatam fungorum modo „ ſtrangulare.„ Quas notas de Colchico antea Dioſcorides clarius expreſſerat, ita dicens. " Colchicum, aliqui Ephome„ rum, Romani agreſtem bulbum vocant: Autumni exitu „ florem edit croci, candicantem, ab eo tempore folia bul„ bi, ſed pinguiora, caulem palmo altum, ferentem rufum „ ſemen, radicem foris è nigra rufeſcentem, quæ delibrata, „ candida, & mollis ſpectatur, lacteo colore madet, at„ que guſtu dulcis invenitur. Bulbus mediam habet ri„ mam, fiſſuramque qua flos erumpit: Plurimum in Meſſe„ nia, & Colchis naſcitur: ea comeſa fungorum more ſtran„ gulando enecat.„ Hæc Dioſcorides de Colchico; ex quibus apertiſſimè conſtat, & noſtrum vulgarem hermodactylum, & Chamiram Ægyptiorum, quæ idem in ea ſenten-

tia cum noſtro hermodactylo eſt, eſſe Colchici radices, cum ſint rotundo bulbo ſimiles, foris nigreſcentes ex rufo, intus candidæ lactis ſucco madentes, habentque in medio rimam, fiſſuramque, qua flos erumpit, quæ nota videtur ſingularis, floremque exitu autumni edat croco ſimilem albicantem, & poſtea ferat folia bulbi, ſed pinguiora, & caulem palmo altum, cum ſemine rufo. Omnes etenim eæ notæ in omnibus iis maxime, ad unguenque elucent, ſcilicet in Surungen, Chamira, atque vulgari Hermodactylo: hoc excepto, quod ſtrangulando non interimant, præterea quod Surungen purget, ſtomachoque adverſetur, Chamira nutriat, & pinguefaciat, & noſter Hermodactylus aut parum, vel nihil purgeat, atque perinde ac Chamira nutriat. Quid igitur dicendum in tanta difficultate propoſita? Crediderim ego eas omnes radices, quippe Surungen, Chamira, & vulgarem Hermodactylum, eſſe varias Colchici ſpecies, in variis locis viventes, quarum radices, & ob ſpeciei differentiam, & ob varii ſoli in quo vivunt temperamenti varietatem, variæ quoque facultate evadunt, atque non minus etiam ex vario anni tempore, in quo eæ radices è terra effodiuntur, facultate quoque variare animadvertuntur. Quod de Colchico Dioſcorides expreſſe affirmavit, dicens, autumno radicem eſſe lethalem, quæ ſtrangulando interimat, nimirum quod tunc temporis in ipſius radicis eſſentia prævaleat ſubſtantia humida; cruda, craſſa, & viſcida, qualis in fungis obſervatur, majori ex parte calida, ſicca, tenuique, per flores qui hoc tempore à radice exeunt, excluſa. Quod Dioſcorides expreſſiſſe viſus eſt, cum dixerit, exitu autumni hanc radicem lacteo ſucco turgere. Igitur hoc tempore lethalis eſt hæc radix, quod abundet humido, crudo, frigido, craſſo, viſcidoque, qui, ut in fungis, adhærendo gulæ, tracheæque arteriæ, ſtrangulat, atque eo magis ſi in frigido ea radix fuerit enutrita cælo, ut in Colcho, vel in loco frigido, & humido, opaco, quod hæc natalia augeant in iis radicibus, & copiam ſubſtantiæ crudæ, frigidæ, craſſæ, viſcidæque ſtrangulantis, & qualitatem. Per æſtatem vero

hæc

hæc radix, quippè ejus cruda humiditate ſtrangulante, per hyemen à calore ſubterraneo excocta, atque fere ex toto per ampla folia, & caules craſſos, qui vere ex radice prodeunt, excluſa, remanente in radice majori ex parte ſubſtantia calida, ſiccaque, & tenui cum quodam humido excocto, redditoque utili, medicamentoſa, haud ita humanæ naturæ adverſa obſervatur; quinimo ex calida, ſiccaque facultate, quæ in iis radicibus tunc temporis prævalet, neceſſe eſt, ut in ea ſit quædam facultas deterſoria, proindeque & purgatoria, cujusmodi videtur in Colchici radicibus, quæ in Italiæ locis ſoli expoſitis æſtate effodiuntur, eæ namque carent facultate ſtrangulatoria, & medicamentoſæ ſunt, ita ut à calore noſtro vincantur, atque majori ex parte, aut ex toto in ſtomacho concoquantur, unde aut nihil purgant, aut parum quidem. Quæ vero in locis calidis naſcuntur, æſtateque eruuntur, nihil purgatoriæ facultatis habent, quin imo ex toto ipſarum ſubſtantia cruda, viſcidaque minus, in cælo valde calore abundante; eaque tota coctione etiam utili reddita, calidæ, igneæque prævalenti permixta, redduntur eſculentæ. Cujuſmodi ait Serapio eſſe illas, quæ ex Africa deferuntur, quas ait lagias vocari, id eſt bulbos ſylveſtres, quibus veſcuntur mulieres, ut pinguefiant. Proinde reprehendit eos, qui eas pro hermodactylis recipiunt, cum eæ in eo calidiſſimo cælo ex calore concoquente exuantur omni medicamentoſa qualitate. Hincque vulgaris hermodactylus eſt radix Colchici in Italiæ locis ſoli expoſitis per æſtatem è terra eruta, quæ idcirco parum, aut nihil habet facultatis purgatoriæ, exuta tamen eſt ea ratione, qua dictum eſt, omni ſtrangulatoria facultate. Eædem ſunt, quæ in Africa radices habentur, ſed ex cæli caliditate, adjuvante etiam quadantenus illiuſce ſoli fortaſſe bona qualitate, omni medicamentoſa qualitate exutæ, eſui redduntur maximè utiles, unde probè nutriunt, & ſaginant. Surungen vero Ægyptiorum, quæ ſunt radiculæ parvæ ſimili figura, albo colore, ſaporeque fere omnino, etiam eſſe Colchici radices, minimè eſt dubitandum, cum omnes notas Colchici habeant: noſque aliquando ex Creta

Inſula accepimus radiculas parvas, quæ & flore croci albo, & aliis omnibus Colchici plantam verè quidem exprimebant, atque ex Syria etiam, quas cum iis, quibus Ægyptii utuntur pro Surungen, planè convenire deprehendimus: idque proprii habent, quod valenter purgant per ſe ſolæ, ſi exhibeantur abſque alio medicamento purgatorio, atque etiam ſtomacho adverſantur, ita ut ad eam noxam evitandam neceſſarium ſit iis permiſceri quidpiam aromatici medicamenti, ſtomacho amici. Atque hæc ſunt, quæ de hermodactylo fuerant à nobis conſideranda.

Caput XV.

De quibusdam aliis fruticibus, & arboribus, quibus Ægyptus abundat.

In multis locis, non procul à Memphi naſcitur Artemiſia alba magna, fruticat enim latiſſimè ramulos expandens, atque duobus, vel tribus cubitibus altos, floribus umbelliferis aureis ſenecioni proximis. Abundant Ægyptii roſis communibus, & rubris vulgo Damaſcenis vocatis. Habent & colore easdem albas, & flaveſcentes, quod & Bellonius animadvertiſſe viſus eſt. In Medicina præcipuum uſum habent communes, carneo ſcilicet colore, ex quibus, penuria Damaſcenarum, ſaccharum ſuum roſatum parant, quo ibi & ſani, & ægri familiarius utuntur. Naſcitur & ſolanum ſomniferum, cujus radice utuntur ad homines ſomnolentos, amentesque reddendos. Naſcitur & Nux metella, & Datura Indorum, quarum ex ſeminibus Latrones bellaria parant, quæ in caravanis mercatoribus exhibentes, largumque ſomnum, profundumque inducentes, aurum, gemmasque ſurripiunt, & abeunt: ii enim triduo quandoque ſomno ſtupefacti,

cti, non expergiſcuntur. Secamonè inibi maximè luxuriat ad pergulas ornandas: ejus ſuccus purgat Scamonii modo. Habent & plantàm, quam Moſch vocant, cujus ſemen Abelmoſch itidem dicunt. Planta eſt ſimilis Bammiæ, ſed longè major, & vegetior: producit ſemina parva nigra ſimilia ſeminibus Abutili Avicennæ, quæ reſpirat moſchum Orientalem, quo moſchum adulterant. Habent & convolvulum quemdam quem Arabicum vocant, quæ planta ſerpendo ſcandit arbores, in altumque fertur, folia ferens viticis, & flores ex caulium cavitatibus ſimul multos, quippè tres, aut quinque corymbos modo producit: flos vero, colore, magnitudine, atque figura ſimilis eſt Nilo Avicennæ, quem vulgus florem noctis appellat: ſemina ſunt parva, rotunda, piloſa, ſimilia orobis: ſed de his duabus plantis egimus in Libro de Plantis, qui una cum hac Hiſtoria evulgabitur, imaginemque utriusque plantæ ibi libenter dabimus. Naſcitur itidem ibi copioſius glans unguentaria, quæ frutex eſt arboreſcens, foliis leguminoſis, ſumacho proximis, ſed minoribus tamen, albicantibus, fructusque fert oblongos piſtaciis ſimiles, carnoſos, pulpa molli, candida, pinguique ſubdulci præditos, ex quibus expreſſis oleum eliciunt, quod, cujusvis odoris ſit expers, idcirco ad unguentorum odoramenta paranda eo utuntur. Hæc planta nititur radice longa, craſſa, carnoſa, molli, albicante, inodora, ac ferè ex toto inſipida. Naſcuntur & ibi Sesban, frutex ſiliquatus, viſu pulcherrimus, quo ſepes contexuntur; Soffera, quæ ſenæ ſpecies creditur, eſt tamen planta perennis. Gelſiminum ex Arabia Felici, cujus flores non ſimplices, ſed pleni duodecim foliis conſtantes ſunt, noſtris longè majores, atque odoratiores. Goſſipium vero, & herbaceum, & arboreum Ægyptia terra copiosè producit. Balſamum ibi non naſcitur, ſed ejus plantæ ex Felici Arabia, cujus ſolum balſamo ſemper natale fuiſſe à nobis aliàs demonſtratum eſt, deferuntur, in viridariisque inſeruntur, & magno ſtudio à topiariis coluntur, ut vivant. Inter olea enim quæ Mauris ſunt familiaria, præſertim vero Nobilibus, & Regibus gratiſſima, in magnoque honore habita, duo

ſunt

ſunt, alterum, quod Dunelzachum appellant, quod in Judæa provenit, magnique eſt uſus ad dolores frigidos, ad nervorum convulſionem, maximeque ad dorſi dolorem in mulieribus. Alterum eſt liquor balſami, nunquam ſatis laudati, quod ex Arabia Felici afferunt. Oleum hoc pretioſum ad multa interius aſſumunt, atque exterius partibus adhibent. Intus enim aſſumptum ventriculum maximè roborat, coctionem juvat, flatus digerit, menſes elicit, dolores omnes levat, colorem, & anhelitum commendat, obſtructiones aperit, juventutem conſervat. Exterius vero omnes dolores ſimiliter frigidos tollit, tumores diſcutit, convulſioni, & paralyſi ſuccurrit, ad quaſcumque nervorum convulſiones utiliſſimum eſt: à flatibus ventriculum liberat, tumores, & lienem emollit: vulneribus, atque ulceribus valenter remedio eſt. Horrores ſpina inuncta diſcutit, unde ad febres periodicas finiendas maximè commendatur, ſed de ipſius, & viribus, & uſibus aliàs à nobis ſcriptum eſt. Abundat & liguſtris ubique locorum in ſuo ſolo naſcentibus Ægyptus, quæ el Hanne nuncupant. Hæc vero arbor fruticoſa magni uſus, & in ea regione, atque in aliis provinciis eſt, privatim vero ipſius folia pulverizata, quibus quidem pulverizatis, aqua vel ſimplici, vel roſacea ſubactis, capillos mulieres rufo colore inficiunt, caputque & cerebrum hoc medicamento ſanum conſervant, cum non modicæ adſtrictionis ſit particeps. Ad febrium ardorem, atque vehementiam, nullum aliud remedium efficacius invenere, quo refrigerentur. In balneis hoc foliorum pulvere ex aqua ſubacto utuntur, non tantum eo pedibus adhibito emplaſtri modo ad eoſdem flavo calore tingendos, ſed multum plus ad eos roborandos: quod maximè præſtat & ſiccando, & adſtringendo. Iſtiuſce arboris flores magna utilitate olfaciunt & ad febres, & ad alios morbos, nec non frontem ad reprimendos calidos vapores illinunt. Quod cognoſcentes Mauri, ipſum familiariſſimum habent, nullumque ægrum invenias apud quem hujuſmodi flos non reperiatur. Ex eo aquam ſtillatitiam proliciunt ad fluxus ſummè utilem, atque ad ſanguinis rejectionem, ac ad

ad uteri fluxionem. Ex iisdem floribus oleum parant ſummè utile ad vulnerum inflammationes, ad capitis dolorem à calidis humoribus, vaporibusque provenientem. Liguſtri campi vaſtiſſimi conſpiciuntur non procul à Cairo in via, quæ Hieroſolymam ducit, locusque hic appellatur Canech, & Belbes. Autumno hujuſce plantæ virgulta ſecus terram ſuccidunt agricolæ, inſolant, exſiccant, atque ejus pulverem per totam Turcarum ditionem deferunt, ubi ſummopere expetitur, tum ad prædictos uſus, tum præſertim ad manuum, & pedum digitos inficiendos. Quod quidem omnibus tum proceribus, tum infimæ gentis hominibus communiſſimum eſt, adeo ut multi, & eorum barbam noctu inficiant, in ſacculoque detineant, mane autem ejus aqua lavent. Arabum mulieres liguſtro non modo ipſarum digitos tingunt, ſed & totam manum, & pedem. Mentum autem acu multiplici foramine perforant, deinde liguſtro tingunt, veſtigiumque hoc Aluſen vocant. Plerumque in aquam, quam ægris ſunt propinaturi, liguſtri, & Ban flores injiciunt, ut potus & gratior ſit, & vires magis reficiat. Qui vero eorum aquam bibere negligunt, ut ſaltem eos olfaciant, efficiunt, ipſique flores parietibus appendentes viſuntur, ut aërem puriorem, & frigidiorem reddant: ſicuti autem ocimum apud nos fovent in figulinis vaſis ubique ſuper feneſtras mulieres, aliique in cœnaculis, & viridariis, ſic longè præſtantiorem liguſtri plantam alunt Mauritanæ, omnesque ædes, & deambulatoria, non ocimum redolent, ſed liguſtrum, quod fragrantia, & corde roborando ocimum longe antecellit. De planta vero, quam Callaf & Ban appellant, idem dicendum profectò videtur, ſcilicèt, quod Ægyptii eam non minori arte, cura, atque diligentia alunt, cum ex ea planta innumeras ferè capiant utilitates, & oblectamenta. Ex floribus aquam præſtantiſſimam parant, maximè autem Damaſci, quæ adeo viribus roborandis præſtat, ut nullam, quod ſciam, nos habeamus, quæ huic comparari poſſit, cum ſuaviſſimum ſpiret odorem, quo mirificè animi deliquio detentos juvet. Hanc plantam non rectè vel etiam auctores Arabes cognoviſſe, licèt Avi-

cenna ſæpè & in Libro ſecundo, & in Libro quarto ejus meminerit, mihi perſuadeo, multoque minus Avicennæ interpretes, quippe qui hæc nomina Callaf, Dechen el Callaf, ſalicem, ſalicis aquam, & oleum de ſalice verterunt. Tantum autem abeſt, etſi ſimillima ſit ſalici latifoliæ, humilique, qua ratione aliàs credidi eſſe ſalicis ſpeciem, Callaf, ſalicem eſſe, ut potius plantæ ſint omnino diverſæ, ſiquidem eæ & nomine, & viribus, & formâ differunt. Primum enim harum plantarum nomina apud Arabes varia ſunt: unum Callaf, & Ban nuncupant, alterum vero, quippe ſalicem Saſſaf, non autem Saſſas, ſeu Safaf, ut malè legerunt Avicennæ interpretes; facultatibus quoque evariant, alterum quidem ſuaviter olet, alteraque planè inodora, ſcilicet ſalix. Callaf utuntur Mauri in febribus ardentibus, peſtilentibusque, hæc vero, ſcilicet Salix in iis inutilis eſt. Ex floribus Callaf aquam ſtillatitiam proliciunt, cujus vires abundè explicare non poſſem. Ex iisdem & oleum conficiunt ad multa magni uſus. Rurſus Callaf folia habet Ceraſi ſimilia, per ambitum ſerrata, quæ ad rotundum pergunt. Quæ planta tantùm in hortis Regum, Procerumque ob ejus odoris ſuavitatem incredibilem diligentiſſimè, omnique ſolertia colitur ab agricolis: & quod ex ejus floribus magnum quæſtum accipiant: quibus profectò conſtabit, Callaf, ſive Ban verè quidem ſalicem non eſſe: attamen cum latifolia Salice magnam habet, & foliis, & floribus convenientiam, præterquam quod, ut Salices, amat & ipſa Callaf loca humida, fert tamen flores inodoros. Quare Callaf, etſi Salici latifoliæ ſimilis ſit, verè tamen Salix non eſt, cum ſit odorata, & aromatica, neque multum intereſt, ſi quis eam plantam Salicem aromaticam vocet; Eſt vero arbor fruticoſa, humilis, ligni materia lævi, foliis ceraſum quandantenus æmulantibus, per ambitum ſerratis, in ramorum ſanè extremitatibus exorientibus, ramis rectis, enodis, flexibilibus, colore flaveſcentibus, floribus luteis, quos antequam folia producat Decembri menſe producit innumeros alios flores ſuavitate præſtantes, æquè per intervalla diſtantes: folia autem produ-

cit ubi exciderint flores, qui ſunt veluti quidam globuli oblongi, lanuginoſi, in luteum albicantes, aut lutei, ſuaviter olentes, inter foliorum alas caudicibus adjacentes, locisque humidis gaudet hæc planta. Ex floribus aquam proliciunt, quam Macaallaf appellant, quam in cauſone, in febribus malignis, & peſtilentibus, tam interius, quam exterius utiliſſime affectant: hac aqua profecto nihil ſuavius, nihilque fragrantius eſt. Eandem ad Turcarum Imperatorem quotannis è Cairo, & Syria afferunt, & non modo ad Regem, ſed per omnia quibus Turcæ dominium extenditur loca circumfertur: omnes inquiunt ipſam refrigerare, & humectare. Cairi innumera ſunt viridaria, quæ hac planta abundant, inter quæ pulcherrimus hortus videtur primi inter eos legis periti, quem Siech el Bacchari nuncupant, cujus munus eſt eorum legem interpretari, quem quandoque ægrotantem inviſi. Ad hunc hortum ejus plantæ ſuavitate ducti Conſules Veneti Illuſtriſſimi ſæpe proficiſcuntur. Hortus autem eſt ad orientem poſitus, in ea via qua itur Hieroſolymam. De quibusdam vero arboribus aliis, quibus Ægyptium ſolum abundat, in Libro de Plantis Ægypti ſatis ſuperque ſcripſimus, quippe de Uzeg, Agialid, Acacia, Tamariſco, Caſſia cathartica, Tamarindo: proinde nihil iis, quæ de ipſis in eo libro dicta fuere, addimus. Eſt demum quoddam lignum rectum, longum, digiti craſſitie, quod Meſuag appellant, utiliſſimum profecto ad dentium ſanitatem conſervandam. Nullum unquam in Ægypto dentium aliquo affectu correptum videre potui, neque ſenem dentibus carentem, quod certe mirum eſt, ſicut apud nos frequentiſſimum, idque illis evenire exiſtimavi, quod dentium indigenæ omnes maximam curam gerant: nam à ſomno ſurgentes, ubi ſe laverint, ornaverintque, per horam dentes fricant, vel Ban, vel granati, aut ejusmodi alio ligno, maximè vero prædicto, Meſuag vocato, quod è Meccha afferunt, eorumque Prophetæ lignum nominant. Hujus ramuli alterum caput, extremumve contundunt, aqua macerant, mandunt, molleque reddunt; deinde dentes eo fricant, ſicque eos detergunt, &

 par-

purgant, hocque modo eosdem à dolore, eroſione, putredine, carie optimè præſervant, eoſque quominus labantur efficiunt, halitumque oris commendant, gingivas roborant, eas ab eroſione, & fluxione conſervantes. Multi ad id Faufel ore detinent, quo & Indos adeo ſuos dentes ſervare dicunt, ut propterea dentium dolorem & India non norit. In maximo Mecchæ delubro ex Meſuag dentrificia quotidie, aquamque in pelvi parant, vanè populo perſuadentes, Mehemet quacumquè nocte eo venire, ſeque lavare, nec non ejus dentes fricare, quod ut veriſimile reddant, eorum aliquis ſe lavat, dentifriciis utitur, prophetamque id feciſſe ſimulat. Omiſſis vero eorum vanitatibus, hujusmodi dentifricia ob eas, quas dixi cauſas, utiliſſima ſunt. Quare cuperem, ut apud nos in uſu venirent: hoc quidem modo dentes maximè præſervarentur, non ſecus quam apud Ægyptios, atque Indos fiat.

Finis Libri Tertii.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De Animalibus, quæ in Ægypto vivunt, & primum de volatilibus ibi degentibus.

Acturi de animalibus, quæ in Ægypto vivunt, præſertim de iis quæ in illiuſce provinciis exiſtunt, primum aves inibi viventes enumerabimus: ipſorumque quædam Ægyptiorum veluti propria conſiderabimus: mox de iis, quæ in aquis vivunt, atque demum de terreſtribus. Ex avibus has inibi viventes obſervavimus, paſſeres, turdos, coturnices, turtures, columbas, palumbos, hirundines, noctuas, piſces volantes, veſpertiliones, anates varii generis, anſeres, cygnos, fulicas, ciconias, grues, aquilas, falcones, accipitres, pſittacos, milvos, ſtruthiocamelos, Gallinas cujusque generis. Paſſeres nullo in loco quam in Ægypto abundantius vivere deprehendimus, atque, ut legimus apud multos, hujusmodi aves tam in locis frigidis, quam in calidis æquè vivunt: ſimiles profectò aliquibus plantis, quæ ubique etiam locorum æquè vivere obſervantur, cujusmodi eſt periploca, Secamonè ab Ægyptiis vocata; quæ propria cum illiuſce cæli calidioris ſit, in Italia non minus libenter vivit, hyemalia vel etiam intenſiſſima frigora ſpernens, non minus quam Datura Indorum, noſtrum laſerpitium, atque aliæ plantæ ſimiles, quæ calidiori cælo aſſuetæ, etiam in locis frigidis vivunt. Turdis non ſemper gaudet Ægyptus, ſed, ſolummodo menſe Novembri, ex Africæ locis in Ægyptum, atque exindè in Græciam, Thraciam, Italiam, atque in alias provincias cæli fri-

frigidioris accedente verè convolant; usque adeo pingues in Ægypto ſunt, & guſtui ſuaves, antea dactylis, atque oleis maturis, pinguibusque enutriti, ut de iis ſolis verè dici poſſit: inter aves turdus. Coturnicibus usque adeo tota ea regio abundat pinguiſſimis, ut ruſtici eas non retibus, ſed propriis manibus, celeri curſu perſequentes, capiant, easque ita vili pretio vendant, ut denario argenteo Maidin vocato, viginti habeantur. Carnem vero habent nigram, duram, inſuavem, haud noſtratibus bonitate, atque guſtu ſimilem. Quæ ſuaviſſimæ guſtui redduntur, ſi ſolo milio plures dies nutriantur, cujus rei nos experientiam fecimus. Turtures noſtratibus majores, & bonitate longè meliores, inibi aluntur in tanta copia, ut domum ferè non reperias in qua innumeræ ſuos nidos ſpontè non habeant, atque non minus cicures, & familiares ſunt, quàm apud nos Columbæ, & inter has ſuaviores eſui exiſtunt, quas Bedoui, ideſt ruſticas appellant. Nos quas Peluſii, ſivè Damiatæ offendimus, guſtui ſuaviores judicavimus. Columbæ, & palumbi perinde ac in Italia abundant, eſui admodum ſuaves. In primo Libro diximus, quomodo Turcæ columbas ſuos extraordinarios tabellarios faciant. Hirundines duplicis generis ibi obſervantur; patriæ ſcilicet, quæ nunquam ab Ægypto diſcedentes, ibi perpetuo morantur: atque peregrinæ, hæ ſunt noſtratibus omnino ſimiles. Patriæ vero toto etiam ventre nigricant, reliquæ non ex toto nigræ, ſed ventrem album habent. Alexandriæ, atque Cairi rudera noctuis usque quaque abundant, columbis fere non minores, quæ interdiù æque ac noctu circumvolant. Hinc credidi volucres parvas, perindè ac in Italia fit, eas non conſectari, quandoquidem cum has frequentius in die videant, omnis apud aviculas ceſſet noctuarum admiratio, qua ad eas videndi cauſa convolare ſolent. Nos propterea fruſtra ibi (uti in Italia avium cum noctua & viſco ſæpe venationem magno fructu exercebamus) eas capere non ſemel tentavimus. Veſpertiliones, Columbis non minores, in pyramide magna copioſos offendimus, atque non ſine magno & timore, & moleſtia. Alexandriæ in lacu proximo piſces extra

tra aquam ſuper lacus aquam volantes, ſæpe vidimus. Aliqui hunc piſcem Columbum non injuria appellant, à quadam, quam cum Columbis habet, ſimilitudine, perſuaſi. Anates, anſeresque multiplicis generis, & domeſticas, alunt; ſylveſtres, ingenti copia, & in Nilo, & in lacubus ſponte vivunt. Cygni in Nili littoribus non deſunt, ſe ipſos ea aqua oblectantes, nec minus & lacus iis abundant. Harum Avium pelles cum ſuis candidis pennis decorticatas calce condiunt, quibus veſtes nobilium frigoris cauſa muniunt: multosque annos, quod mirum eſt, incorruptæ conſervantur, ſicuti aliæ nobiles pelles, quas hyeme ob frigus geſtant. Lacus abundant fulicibus, atque omnibus avibus aquatilibus, tanta copia, ut lacuum aquæ innumeris iis avibus occupatæ, vix conſpiciantur: facillimo negotio ruſtici illarum avium quot, qualesve volunt, capiunt. Hi nudi, fune ad ventrem pluries circumvoluto, in aquam projecti, ſubter aquam ubi illarum avium in aqua ludentium, obſtrepentiumque ingens caterva viſa eſt, natantes, manibus pedibus avium apprehenſis, quotquot volunt capiunt, quas funi circumvoluto appenſas, natando extra lacum deferunt: hinc vili pretio ibi habentur, & quod iis lacus abundent, & quod Mauri iis non veſcantur. Ciconiis, atque Gruibus ea regio non eſt deſtituta, quæ aliundè ex longis provinciis hyeme in Ægyptum volant, ſerpenteſque occidunt, ciconiæ præſertim: unde apud eas gentes vel etiam nunc in magno honore habentur, non minus quam & Ibis vocata avis, quæ & ipſa ſerpentes oppugnat, hæcque tota nigra eſt, gruinis cruribus, roſtro adunco, ciconiæ magnitudine, atque figura. Altera vero eſt, non ex toto nigra, graciliori & capite, & collo conſtans, pennæque in hac ubique candidæ, præter caput (ut & Herodotus expreſſit) cervicem, extremasque alas, & nates, quæ partes nigreſcunt. Avis manſueta, & facilè cicuris, apud Turcas proceres & patricios Ægyptios, cum aliis volatilibus alitur. Utramque & nigram, & candidam indiſcriminatim ubique locorum in Ægypto juxta Nilum, & lacus omnes vivere à multis accepi. Ab hac ave traditum

à

à veteribus eſt Clyſteriorum uſum cognitum fuiſſe, quod hæc avis roſtri aduncitate aquam in ventrem injiciens, iſta eundem clyſteris modo proluat: quod an verum ſit, verè quidem ſcire non potui. Accipitres quoque habent cujuſvis generis, quibus Arabes ad venandum familiarius utuntur; nec non & Aquilis leporariis, & Falconibus præſtantiſſimis, nobiliſſimisque abundant, quorum plures in varias provincias ad Reges ſæpe Maurorum aliqui convehere ſoliti ſunt. Aliquando ad Henricum Quartum, Galliarum Regem, complures ex iis delatos vidimus. Milvi quoque apud eas gentes familiarius vivunt, cicureſque admodum ſunt. Hi magnitudine, colore, atque figura magnos Capos noſtros Gallinaceos omninò æmulari videntur. Pſittaci complures ex Æthiopia per Nilum flumen æſtate flumine increſcente, deferuntur, hique virides ſunt, magnitudine parvos Columbos æmulantes. Vidimus nos quosdam illorum paſſeribus noſtris haud majores; qui tamen majores, diſciplinæ ſunt capaciores: nulli in Ægypto naſcuntur, ſed uti dictum eſt, convehuntur ex provinciis verſus meridiem poſitis. Abundant itidem Ægyptii ſtruthiocamelis, ità enim deſerta loca copioſos alunt, ut nos in deſerto quo itur Sues, aliquando non minus quam quinquaginta procul ſimul convolare viderimus. Velociſſimi ſunt pedibus, alisque ſimul in curſum motis, atque ita, ut etiam magno celeritatis impetu acti, ungue majori animalia, vel etiam admodum fera, in pectus, vel in ventrem vulnerantes, interimant. Pulli illorum parvi, & pulcherrimi ſunt, & facilè cicures. Caro pullorum parvorum eſui non injucunda videtur, & coctioni commoda: ſed antiquorum, majorumque, coctioni adverſiſſima eſt. Inter alias Aves hactenus conſideratas, Gallinæ ibi numeroſiſſimæ vivunt cujusvis generis, vilique pretio ob id ita habebantur, ut ad ſummum ſingulis Maidinis ſingulæ Gallinæ eo tempore coemerentur. Ibi nunquam Gallinæ glociunt, neque ova incubant, ſed ex ovis in clibano ex fimo equino confecto, ſolaribusque radiis expoſito impoſitis, à calore veluti incubatu pulli omnes excluduntur. Unde ea facilitate naſcendi

omnia

omnia Ægypti loca, & pullis, & ovis gallinaceis maximè abundant. Quo tempore ibi moram traxi, Cairi ad minimum pro Maidino ova quadraginta coemebantur: in villis vero ſeptuaginta habuimus: hinc pullicini, non numero, ſed menſura quadam ſimili ligneæ menſuræ, quam noſtri Quartam appellant, ſine fundo, quam pullis repletam in gremia Maurarum mulierum pro Maidino verſabant. Præter haſce Gallinas, habent & alias non minores anſeribus, maximè pingues, quas Maluſſas vocant. Habent & peregrinas ex Numidia perlatas, quæ eſui ſunt ſuaviſſimæ, ibique magno pretio etiam venduntur, adeo ut duæ ſolummodo pro aureo Veneto haberentur. Haſce Gallinas vel etiam veteribus notas fuiſſe ex eo conſtat, quod Varro Meleagrides vocaverit, & Martialis Numidicas guttatas, quæ in plumis nigrantes rhombos habent, in iisdemque aſperſas albas guttulas. Indicæ vero à nobis vocatæ, cælum Ægyptium commodè non ferunt, ut idcirco vix ibi vivant.

CAPUT II.

De Piſcibus, qui & in Nilo flumine, & in lacubus Ægypti, atque in mari capiuntur.

Nilus flumen piſcibus multis abundat, ſed omnes quos producit pinguiſſimi ſunt. Eſt inprimis inter Niloticos piſces lupus, Venetis variolus dictus, quique adeo ibi augetur, ut vitulum magnitudine æquet, atque etiam longè major, cum inter illos, inibi inveniantur ſexaginta uſque librarum ponderis, vilique pretio vendantur propter copiam ingentem piſcium aliorum, quæ ex Nilo ſuppeditatur, emebatur enim

major illorum lupus ad ſummum quarta parte aurei, Veneti. Pinguiſſimus eſt, & ſuaviſſimus. Anguillæ ibi capiuntur uſque adeo pingues, & craſſæ, ut brachium craſſitudine æquent, ac vel etiam craſſiores reperiuntur. Sunt optimæ, & guſtui acceptiſſimæ, ſed ipſarum eſus ibi perpetuo non eſt tutus, præſertimque menſibus Aprili, & Majo, quo tempore non paucæ ipſarum cum ſerpentibus miſcentur. Aliqui earum paſtu, tanquam ab exitiali veneno interempti fuerunt, ex totoque ipſarum uſus eſt inſalubris: gignunt enim ſanguinem uſque adeo craſſum, atque lentum, ut morbi exinde graviſſimi excitentur. Eſt quidam piſcis ſquammis candicantibus, ex totoque ut lupus albus, cubitum longus, & admodum craſſus, caput, atque caudam craſſitudine ſimilia habens, at in medio ingens ejus craſſities viſitur, carne conſtat lupi piſcis molliore, & ſuavi guſtu illi non cedens. Huic ſimilis alius gignitur eodem modo craſſus, & brevis, nullis ſquammis, ſed cute molli, & craſſa, ut cutis ſuilla, viridis coloris nigreſcentis, capite magno, & craſſo, qui juxta os utrinque fibram habet longam craſſi pili inſtar. Hic Chriſtianis inibi viventibus eſt cibus admodum familiaris, qui etſi figura Tincæ noſtrati ſit aliquantum diſſimilis, tamen Tincarum genere non dubitavi ipſum comprehendi oportere: Caro etiam, & colore, & guſtu, tinçam eſſe confirmat. Alocæ, vulgo Chiepe, ibi majores, melioreſque, quam alibi inveniantur, expiſcantur, quæ fumo ſiccatæ, guſtui acceptiſſimæ redduntur. Mugiles, vulgo Cephali, varii generis etiam in eo flumine vivunt, ſed in pretio ſunt apud eos longi, craſſi, cute quadantenus emaculata, quos Mugiles Arabicos vocant. Lacus hyeme ſiccati, adveniente nova aqua ex aucto flumine, piſciculos parvos gignunt ex putri materia, qui eſui ſunt jucundiſſimi. Horum piſciculorum generationem vel etiam Herodotus meminit. Ranas nuſquam in Ægypto videre potui, excepto Peluſio, Damiatavè: inibi ſolum ranas obſtrepentes audivi, quæ parviſſimæ ſunt, neque incolæ iis veſcuntur. In Nilo quoque naſcuntur Teſtudines omnium maximæ, quæ

habent

habent operimenta uſque quaque rotunda, atque adeo ampla, ut rotundum clypeum maximum æmulari videantur. Caro eſt, ſi probè condita rectè coquatur, eſui ſuavis, multumque nutrit. Hujusmodi teſtudines, & majores etiam in Ægyptio mari reperiuntur, operimentaque pro clypeis conficiendis ſervant, etenim duriſſima ſunt. Piſces gignit mare Ægyptium, cum Alexandriæ, tum Raſſit, tum Damiatæ innumeros, & optimos, quorum ingens quantitas ſale condita dimittitur in varias Provincias conterminas, maximèque in Cretam inſulam, è qua vina pro piſcibus revehunt optima, & pro Chriſtianis, & pro Hebræis iſtic habitantibus. Condiuntur etiam piſcium ova ſale, quæ Botarac vocant, quæque in vicinas inſulas mittuntur mercaturæ cauſa, & ipſorum quoque haud parvam copiam Venetias convehunt. Piſces vero iis familiares, ſunt, auratæ, ſolea, barbi, mugiles, acus eſculentus, gobii, cancri, oſtrea, chamæ, tellinæ. In littore maris Alexandriæ, Raſſitum pedeſtre iter facientes, vidimus cancrum parviſſimum, unguem pollicis humani digiti magnitudine non excedentem, tanta curſus velocitate præditum, ut ictu oculi ex litore in mare quaſi convolet. Hunc merito Ariſtoteles cancrum curſorem appellavit: coacervatim è mare in littus aſcendit, catervamque eorum ferè innumerorum in maris littore vidimus. Ex Mare Rubro ſæpe edimus piſces delatos, ſæpiſſimèque tellinas, at noſtratibus longè ſalſiorem guſtum habentes.

Caput III.

De inſectis Animalibus, quæ in Ægypto vivunt.

Inter inſecta animalia, quibus ea regio abundat, ſunt Apes inibi fæliciſſimè viventes, magnoque propter inſignem utilitatem quam ex ipſis capiunt, ſtudio, diligentia, & labore, eæ inibi aluntur. Etenim in ſuis alveariis poſitas per Nilum flumen locum mutantes, in varia loca vehunt, atque revehunt, cælum temperatius quærentes, atque pabulum copioſum, quo vivant, atque multum mellis gignant. Nos ſæpe in flumine eas in naviculis cum alveariis poſitas offendimus, aliquando Raſſit, & aliquando Damiatam, & aliquando ſupra Cairum verſus Sahit navigantes. Itaque ex magna diligentia qua eas alunt, multam copiam mellis, atque ceræ colligunt. Mel eſt optimum, ſcilicet albicans, durum, granuloſum, dulciſſimumque, quo in victu plures ex ruſticis veſcuntur, ſeneſque præſertim, quibus eſt utiliſſimum. Ceræque etiam idcirco illis non deeſt copia, quam ſoli expoſitam, atque ex aqua lotam dealbant. Veſpæ etiam inibi abundant, ipſarumque privatim genus, quod ichneumon dicitur, quæ veſpa id proprii habet, ut phalangium oppugnet, de qua Bellonius rectè quidem inquit. „Sed & aliud animalculum eſt „ è veſparum genere, quod ichneumon veſpa appellatur, & „ bellum internecinum habet cum phalangio.„ Quoniam vero eorum pugnam vidimus, ipſam hoc loco commemorare libuit. Inſecti genus eſt ſanguinis expers, forma api, ſive veſpæ, vel magnæ formicæ alatæ perquam ſimili, veſpa tamen minus, in terra etiam ſuum latibulum quemadmodum phalangium faciens. Superat phalangium quandocumque id

In Lib. 2°. Itiner. Obſerv.

ex-

extra ſuum latibulum invenire poteſt at ſi in latibulo id adoriatur, ſæpe numero re infecta redit. Accidit ut ichneumon veſpa, phalangium è ſuo latibulo egreſſum corriperet, atque poſt ſe traheret, quemadmodum formica tritici granum, idque quo volebat impelleret, tametſi non ſine magna difficultate: nam phalangium pedum uncis obvia quæque apprehendens, quantum poterat renitebatur: Ichneumon vero ſuo aculeo, quod inſtar apis exſerit, variis in locis ipſum pungebat. Defeſſus autem iſta pertractione, avolavit hac illac oberrans ad baliſtæ ferè jactum, deinde ſuum phalangium requirens, nec quo reliquerat loco inveniens, ejus veſtigia ſequebatur, quaſi illa odoraretur, non minus quam canes leporum veſtigia; deinde inventum plusquam quinquagies aculeo pupugit, rurſumque pertrahens quo voluit perduxit, iſtique planè confecit. Sunt ibi & copioſi Crabrones, & qui ſub terra nidificant, & qui in arborum cavernis habitant, quique noſtratibus ictus venenoſiores aculeis in homines, atque in alia animalia infligunt. Formicis vero cujusque generis magna copia abundant Ægyptii, & longè majoribus quam in Italia vivant, quæ mordentes magnum dolorem parti inducunt cum magna excalefactione, atque ex iis magnis formicis alatas, volanteſque complures vidimus. Scorpiones, qui in Ægypto naſcuntur, aut albicant colore, aut virides ſunt, triploque majores quam noſtrates ſint, cernuntur. Dicantque quid velint qui Nicandrum, aut Ælianum, aut alios nova genera ſcorpionum facientes ſecuti ſunt: namque in Ægypto nulli alii quam ii duo ſcorpiones reperiuntur: nigriſque ſpeciatim ea regio caret omnino: neque alatos unquam ibi videre potui: & Mauri qui quotannis ad noſtrum Pharmacopolam ſcorpiones pro oleo ad Medicinæ uſum parando deferebant, omnes unanimiter affirmabant, neque nigros, neque alatos, neque alterius coloris, vel formæ uſpiam in ea Provincia viſos fuiſſe: tantummodo ibi albos, & virides reperiri, quorum ictus ſunt uſque adeo exitiales, ut ni partem ictam ex toto ſectione abdicare queant, omnes moriantur, illorum caudæ plerique duos aculeos habent. Plus

timent ſcorpionum illorum venenum, quam faciant aliorum ſerpentum lethaliſſimi veneni æſtimatorum, cujusmodi ſunt aſpides, ceraſtes, & ſimiles alii exitiales ſerpentes. Ego enim cum forte aliquando unum in meo cubiculo offendiſſem, ferè cammari fluviatilis magnitudine, ita timui, ut quotidie numquam dormitum iverim, ni prius totum cubiculum diligentiſſime recognoviſſem, rimatuſque eſſem. Mirum tamen eſt, tametſi adeo exitiales ii ſint omnes, (licet minus albicantes) ut inevitabile fatum viridium ictus afferat, ni pars iſta ex toto, ut diximus, amputari poſſit, Mauros illos ruſticos, qui deferunt pharmacopolis ad Medicinæ uſum, abſque ulla læſione, vel læſionis timore, eos manibus apprehendere, quolibetque alio modo tractare: primum in antiquis ruderibus eos venantur, manibuſque liberè abſque ulla cautione illos apprehendunt, & in utriculum conjiciunt, iiſque repletum in ſinu poſitum inter cutem, & camiſiam, neque ſemper ipſum probè clauſum ad pharmacopœum geſtant, & quia numero eos vendunt, ex utriculo manipulatim manibus apprehendentes eosdem numerant. Aliquando vero non pauci, per os uteris non bene clauſi, egreſſi in ſinum illorum recepti, ab iisdem in ſinu inter induſium inventi manibus comprehenduntur; certè mirum maximè eſt, eos nunquam ab ipſis pungi, etſi eo modo, ut dictum eſt, liberè tractentur. Verè profecto à Dioſcoride traditum eſt, à ſcorpionis ictu ſæva oriri ſymptomata, quæ brevem mortem minantur, ita ut aliquando per diem, & aliquando per horas paucas, ipſorum virus interimat. Noſtrates longè minus exitiales ſunt, exceptis annoſis, quorum venenum eſt exitiale. Sæpe ego fui demorſus à ſcorpionibus nigris noſtratibus, à quorum ictu parum doloris ſenſi, ſatiſque ad ejus ictum fuit, vel ſcorpio tritus parti appoſitus, vel oleum è ſcorpionibus paratum illitum. Ad Ægyptiorum vero ſcorpionum morſus, nullum Medicamentum eſt cui venenum illud cedat, neque vel etiam ulla antidotus potens contra hoc venenum hactenus cognita eſt: ſi vero pars iſta amputari poteſt, ea ſtatim amputata, aſſumptà unà & theriaca, ſervantur. Poſt ſcorpiones vero & variæ

tiæ araneorum differentiæ, ſimulque & phalangia varia, quæ & ipſæ aranearum ſunt ſpecies, inibi naſcuntur, à quibus partes demorſæ, in magnum tumorem elevantur, vehementerque dolent, ſed theriaca devorata ad drachmam, & ictæ parti adhibita, à periculo liberantur. Præter hæc animalia inſecta, Ægyptus abundat Scolopendris terreſtribus venenatis. Muſcæ, & culices inibi ita copioſi ubique locorum ſunt, ut abſque linteis tentoriis pauciſſimi ſint, qui dormiant. Sed longè moleſtiores ſunt muſcæ, à quorum morſibus complures Mauri æſtate oculorum angulos ulceratos perpetuo habere ſolent. Apud Mauros Monachos, ut ſe à muſcis tueantur; vidimus ædium januas, atque feneſtras lineis retibus clauſas, & mirum eſt, etſi retium foramina ſint ampla, per ea muſcas intra cameras non ingredi, unde hi à muſcarum moleſtia in tuto ſunt.

CAPUT IV.

De Serpentibus Ægyptiis familiaribus.

In Ægypto tanquam Africæ parte, quæ ſemper mater Serpentum ab omnibus meritò fuit æſtimata, omnium Serpentum maximè exitialium genera copioſius naſcuntur, familiariusque vivunt. Inter exitialiores vero ſerpentes ibi naſcentes, locum tenent Aſpides, poſt ipſos Ceraſtes, Dipſades, Viperæ, atque alii hujuſmodi in eo ſolo viventes. Ita enim Aſpidum morſus ſunt in Ægypto exitiales, ut, ni pars demorſa ſectione omnino amputari queat, ab una hora uſque ad tres homines intereant. Tres ſpecies iſtius ſerpentis obſervantur, ſcilicet ipſorum quidam Phtyas dicitur, quaſi ſpuens, quod nimirùm in homines, & in alia animalia, ut iis damnum faciat, virus exſpuat, collum enim, quaſi ſpacium, quod inter ipſum, atque hominem, vel animal eſt, dimenſus, exporrigit,

quaſi

quaſi ratione computans, quàm longè ſpuere debeat, ut aliquem attingat. Serpens eſt ferè bicubitalis, parvæ viperæ craſſitie, quæ craſſities incipit à capite craſſo, callofas veluti carunculas in fronte habente, & ſenſim ac ſenſim in caudam uſque ſubtilem decreſcit, atque diminuitur. Colore cinereo, viridique ad auri colorem declinante, viſitur, duosque habet dentes perforatos, per quos, apertis in morſu veſicis, virus in partem demorſam effunditur. Morſus uſque adeo parvus eſt, ut in cute, veluti acus ſubtilis punctura appareat, cutis enim neque inflammatur, neque in tumorem attollitur, neque multum dolet, quia venenum ſuſceptum, tenuiſſimæ ſubſtantiæ, in cute ferè nullo temporis momento detinetur, cum ſtatim intra corpus ſuâ ſubſtantiæ tenuitate feratur, excitatque in toto corpore quendam veluti torporem, vel quandam laſſitudinem non injucundam, leni quodam ſopore, ut demorſi non ſine voluptate intereant. Unde Nicander de iis, qui à Ptyade aſpide demorſi ſunt, meritò dixit: „ Qui cum voluptate intereunt. ” Hinc eſt, quod Cleopatra, Ægypti Regina, mortuo Marco Antonio, ne Romam in triumpho à Cæſare duceretur, mortem potius expetivit, non tamen ex vulnere, aut ex veneno, quo mors ex doloribus vulnerum, & in ſtomacho ex prava qualitate veneni excitatis, atque ex convulſionibus dolorificis ſequatur moleſtiſſima, at ſicuti in deliciis, & voluptatibus ipſa vitam duxerat, ita cum voluptate mortem quoque oppetivit, adeoque à Ptyade aſpide percuſſa, ſine labore interiit. Altera vero aſpis *Cherſæa* dicta eſt, omnium longiſſima, quippè quæ quinque cubitibus uſque longa appareat, bellicæ haſtæ craſſitie ſimilis, & colore cinereo aliquantulum ſubviridi, qualis eſt fraxini color: oculi ignis modo rubent, verſatur in ſitientibus, arenoſisque Africæ deſertis, unde & terreſtris dictus eſt. Tertius Chelidonia dicitur à colore nigro, quo dorſum infectum habet, & ab albo ventris colore, quibus coloribus hirundines conſpiciuntur. Cubitalis eſt, libentiusque vivit circum Nili ripas, ibique habet ſub terra ſuas cavernas in quibus degit. Ab horum Serpentum morſu fiunt ſingultus frequentes, coloris mutatio, ſtupor

ſtupor, & frigus membrorum, ac profundiores ſomni, & occluſio palpebrarum, cum vehementia pulſus cordis ei propria, atque doloris vehementia. In demorſis ab iis ſerpentibus continuò membrum ſupra vulnus arctiſſimè ligant, &, ſi pars ſectionem ferat, ipſam ſectione amputant, atque ex papaveris aqua theriacam ad geminas drachmas exhibent, & ſæpe ab diſſecta parte ſanguinem appoſita cucubita extrahunt, ut unà & virus extrahant, mox & theriacam ſauciatæ parti imponunt. Cicurari, & manſuefieri aſpides, quod Ælianus, atque alii tradiderunt, apud Ægyptios nobis argumento ſunt homines Circulatores, qui illos coram ſpectatoribus manibus liberè tractant, & cum ipſis quaſi edoctis varios ludos exercent. Non minori copia ea regio etiam Ceraſtis abundat, qui ſerpentes cubitales, & ampliores ſunt, cinerei coloris flaveſcentis cum quibusdam maculis in dorſo nigricantibus, capite plano, lato, duo cornicula in fæminis, & unum in maribus cochlearum corniculis ſimilia in fronte habentes, at dura, acuùm ferreorum modo in acutum deſinentia, quod in aliquibus latum, planumque viſitur, Hæmodite maxillas latiores, amplioreſque præſeferens, & in aliquibus caput oblongum eſt viperis noſtratibus haud diſſimile. Ex hujus ſerpentis carne Ægyptii Medici, eo tempore quo ibi moram traxi, paſtillos viperinos ad theriacam parandam conficiebant, quem ſerpentem Tahyr appellabant. Alterum latiori capite ſerpentem, duo cornicula in capite gerentem fœminam, atque unum marem, ex Ægypto vivum cum vipera Avicennæ accepimus poſtea, veramque ceraſtem eſſe illum credidimus, tum quod habeat in capite duo cornicula chochlearum ſimilia, tum quod Viperæ ſimilis ſerpens ſit: quæ de ceraſtis ſigna expreſſa veteres reliquerunt: ac tametſi de ceraſtum cornibus antiqui ſatis confuſè ſcripſerint, ſiquidem non cornua, ſed eminentias quasdam cornuum inſtar eos ſerpentes habere affirmarint, & quidam alii in cornuum numero minimè convenerint, nihilominus cùm plerique antiquorum duo habere cornua in capite cochlearum modo unanimiter tradiderint, nempe Ælianus, Plinius, Solinus, & cum his alii, atque omnes

ſerpentem viperæ ſimilem feciſſe viſi fuerint, & in corporis magnitudine, & in colore; nos utique credidimus, ſerpentem, cujus imaginem affabrè delineatam * hic dedimus, pro legitima ceraſte accipi poſſe. Serpentem vero alterum, cujus etiam imaginem nos † hic damus, eſſe legitimam viperam Avicennæ affirmare non dubitavimus, cum omnes notæ ab ipſo expreſſæ verè in hoc ipſo ſerpente eluceant. " De viperis ita inquit. †† Et Viperæ quidem ſunt Serpentes capita habentes plana, quæ ſunt lata proprie apud propinquitatem colli, minuti, ſubtilis valde, quorum caudæ ſunt curtæ, ſtrepitum facientes, & ſonitum in inceſſu. " Colorem etiam paulo poſt ſubdidit eſſe flaveſcentem. Hic ſerpens quem hic damus*, vix cubitalis eſt; caput latum, atque planum habet in acutum deſinens, collumque anguſtum, ventrem craſſiorem, caudamque brevem, in extremo nigram, colore ad flavum inclinante, cum quibusdam in dorſo, & ventre maculis nigricantibus. Audio nunc cœpiſſe Ægyptios iſtiuſce ſerpentis carne uti pro paſtillis viperinis parandis, quod an verum ſit, nondum certò deprehendi. De viperis vero in Libro quarto de Ægyptiorum Medicina, una cum iſtac Hiſtoria brevi evulganda, ſatis ſuperque egimus, & multa ad illarum notitiam aſſequendam accuratiſſime conſideravimus, quæque alii neglexerant. Dipſas non minus inibi reperitur, quæ, ut audivimus, ſerpens eſt viperæ ſimilis, ſed longè ſubtiliori corpore, minorique capite. Non eſt ſpecies viperæ, multo minus, ut Marſi olim Galeno affirmaſſe viſi fuerunt, eſt ex viperis viventibus in locis ſiccis, aſperis, nitroſis, & ſalſis, à quorum locorum nitroſo, & ſalſo temperamento credidit Galenus ex Marſis hoſce ſerpentes nanciſci qualitatem immodicè ſiccantem, qua ſitim inextinguibilem eorum carnes inducant, unde haſce carnes Theriacam etiam ſitim inducentem reddere credidit. Quod tamen Ægyptii falſum eſſe, longa experientia deprehenderunt, cum ſuos trochiſcos vipereos ex ſerpentibus Tahyr vocatis parare ſemper fuerint aſſueti, qui ſerpentes vivunt in locis ſiccis, ſqualidis, ex toto nitroſis ac ſalſis, univerſum


** Vide Tab. V.*


† Vide Tab. VI.

†† Viperam Avicennæ, vide Tab. VII. num. I.

etenim

Cerastes legitima Antiquorum.





Cerastes altera, mihi pro Taher femina ex Ægypto missa.

etenim Ægypti ſolum, præter id quod prope flumen, & lacus eſt, eſt ſqualidum, & adprime ſalſum. Non ob id tamen Ægyptiorum Theriacam ab innumeris voratam, aliquem ex ipſis ſiticuloſum unquam reddidiſſe cognitum eſt. Unde merito Dipſas ſerpens eſt ſui generis, cujus morſus calorem æſtuoſiſſimum inducit, atque ſitim inexplebilem, cum qua demorſi moriuntur, nihil eos juvantibus Medicis præſidiis. In demorſis vero primum arctiſſimè confeſtim partem percuſſam ligant, ſcarificant, aut ferro candente inurunt, exhibentes theriacam per os, atque extrinſecus etiam percuſſæ parti eandem theriacam adhibent. Fert & ea regio complures alios ſerpentes ſummè exitiales, cujusmodi eſt Hæmorrhois, Acontia, ſive Jaculum, Seps, Ophylinus, Draco. Hæmorrhois dictus eſt, quod ejus morſus ſanguinis profluvio interimat, eſtque ſerpens noſtrati viperæ, quam Patavini Maraſſum vocant, ſimilis, ſed minor, & corpore tenuiori. Acontia, ſivè Jaculum, quod jaculi modo ſe ipſum in homines, atque in alia animalia magno impetu effert. Ejus morſus brevem mortem inducit. In Ægypto ii ſerpentes vivunt, ut Ammianus Marcellinus auctor eſt: at longè copioſiores Acontiæ obſervantur in multis Æthiopiæ locis, ut Franciſcus Alvarez in ſuis Relationibus ſæpe meminit. Seps, ſeu Sepedo, quem Arabes Selſir appellant, eſt brevis ſerpens, habens caput latum, planum, collum tenue, corpus craſſum, & rotundum, caudam brevem diverſo colore Hæmorrhoi ſimilis. Hic morſu ſuo ſummam inducit, & in parte percuſſa, in qua caro veluti ex toto corrupta, ex oſſibus abſcedit, & in corpore, putrefactionem, adeo ut paucis diebus demorſi intereant, membris omnibus diffluentibus ſolutis. Avicenna de hoc ſerpente ita habet. " Exiſtimaverunt quidam quod
„ ſunt ſerpentes, qui ſunt in regionibus Aſſem (Syriæ) &
„ in Ægypto, habentes capita lata, parva colla, curtas cau-
„ das, ventres rotundos, & non ſunt ſuper capita lineæ, &
„ ſquammæ, ſed ſuper corpora eorum ſunt lineæ diverſi co-
„ loris, & cum incedunt, non rectificantur, imo contrahun-
„ tur; curant demorſos, ut à viperis, atque ceraſtis. „ De

Baſiliſco etſi nihil certi ibi habeatur, audivimus tamen eſſe parvulum ſerpentem, qui palmum longus, minimi digiti craſſitie, in capite carunculam criſtæ inſtar habet, & in dorſi medio duas ſqammas utrinque poſitas, quibus utitur alarum modo ad curſus celeritatem. Retulerunt mihi non pauci, hoſce ſerpentes copioſius, & abundantius vivere juxta quoſdam lacus, à quibus putant Nilum flumen originem habere, ad quos profectò lacus nulli accedere audent, neque tentant, ob eorum ſerpentum uſque adeo exitium cognitum, ut propterea ibi, & alibi ad multa miliaria prope eos lacus neque animal ullum vivat, neque, (quod magis mirum videtur) ulla planta. Hæc de Baſiliſco ex relatione Ægyptiorum in Æthiopiam, & Nubiam ſæpe iter facientium, accepimus. Sed fortaſſe non minus dubitabitur de Dracone, an verus ſerpens, vel fabuloſus ſit. Non eſſe fabuloſum, Ægypti incolas non latèt, præſertimque eos qui Ægyptum ſuperiorem habitant, in cujus deſerto non ſemel viſi fuerunt ſerpentes hominis craſſitie, longi triginta, & quod excedit pedes, quorum capita magnitudine Bovina æmulantur, quæ in ſincipite quaſdam carnoſas eminentias habent criſtarum in modum rubri coloris. Hoſque, & ſimiles alios ſerpentes, hi dracones eſſe exiſtimant, quorum aliqui non raro etiam in deſerto Memphitico conſpecti ſunt: noſque cum multis aliis Damiatam navigantes per flumen Nilum, cum in principio Deltæ Inſulæ navem egreſſi in littore fluminis ſpatiaremur, eminus in quodam monte arenoſo ſerpentem conſpeximus, longiſſimum quidem, &, ut conjecimus, ad minimum pedum viginti, capitis humani amplitudine, elatoque collo, capiteque ſuper arenam morabatur, qui, ad ſonitum noſtrorum tormentorum manuariorum, quæ ignifero pulvere contra ipſum accenſo direximus, continuò in ictu oculi quaſi avis evolando aliò fugit. Quædam mulier Chriſtiana Cophta, mihi admodum familiaris, emit quandam ſervam Chriſtianam juvenem Feida vocatam, quæ ex Provincia Nubiæ Decrur dicta Cairum deductá erat. Cum hac juvene lubens ſæpe converſabar, ut ab ipſa quædam propria ejus patriæ gentis audi-

rem,

rem, inter quæ hoc ſæpe ab ea percepi, in Nubiæ Provinciæ ſuæ ſolo patrio aliquibus annis ſerpentes multos longiſſimos, hominis craſſitie, habentes capita magna bovis inſtar, habentia in ſummitate quandam criſtam rubram, tranſire, omneſque & homines, & alia animalia illis obvia devorare, eamque Provinciam devaſtare, ac inhabitabilem reddere. At indigenæ cum earum Belluarum adventum aliquo modo præſentiſcerent, herbam inibi à Deo Opt. Maximo remedii loco productam, abundeque viventem, ſuccendentes, atque ex ea ſuffitum excitantes, omnes eos ſerpentes fugare, ut ea Provincia tuta reddatur ab eorum ſerpentum incurſione. Eam herbam dixit eſſe humilem, foliis ocymo non diſſimilibus, validum, ingratiſſimumque odorem ſpirantem: quam etſi multo ſtudio ad me deferre à Nubis mercatoribus ſtuduerim, numquam videre potui. Atque hæc obiter de Dracone dicta ſint. Eſt vero in Ægypto alius ſerpens admodum familiaris, decem pedes longus, brachii humani craſſitie, capite magno, & lato, cui peculiare, ut recto collo, ventre in velum rotundum catini modo expanſo, celerrimum curſum habeat, Ægyptii Jehban appellant, & nos Ophylinum, id eſt, ſerpentem velatum, nominavimus. Veteribus viſus eſt omnino ignotus, cum nullus ex antiquis ipſius meminerit, & mirum eſt, eos latuiſſe tantum ſerpentem adeo Ægyptiis familiarem. Ita eſt hominibus familiaris, ut non ſolum ab ipſis manſuefiat, & cicuretur, ſed etiam ita erudiatur, ut rationis uſum, atque rerum cognitionem habere videatur: unde mirum non eſt, ſi circulatoribus Ægyptiis evaſerit multum domeſticus, atque utilis, quem nos ſæpe apud eos vidimus, qui plus intelligentiæ quam canis habere nobis viſus eſt, ejusque ſuperius, cum de circulatoribus Memphiticis ſermo habitus eſt, meminimus, ipſumque accratius conſideravimus. Dum vero hæc ſcriberem, litteras ex Ægypto accipio à Matthæo Carbono, illuſtriſſimi Conſulis Veneti Medico præcellentiſſimo, amico maximè colendo, qui in magna illa Civitate Cairi multos annos Medicinam magna cum laude faciendo moratus eſt, atque adhuc inibi moratur, qui de prædicto ſer-

 pen-

pente hæc in litteris habet." Sed jam venio ad ſerpentem. „Hunc Ægyptii nominant Tehbam naſſer, ab aliquibus voca„tur ſolummodo Tehbam, ab aliis Tohbam, cujus quidem, ut „tibi plane ſatisfacerem, imaginem, figuramque delineatam miſi, „& præter ejus ſerpentis expreſſam figuram, etiam duos ſer„pentes ex iisdem vivos mitto duabus ligneis capſulis clauſos, „quos dentibus carere volui, ut ſine timore tractari poſſint. „Ego vero, qui maxime hoſce ſerpentes timere ſoleo, meis „manibus in pyxides ligneas repoſui: præter hos, unius alte„rius decorticati pellem itidem mitto, ſtuppa oppletam. Quem „autem miſi, eſt mediocris magnitudinis, ipſo enim longe ma„jores inibi obſervantur." Hi ſerpentes in ventre obſcurè albicant, reliquum corporis in aliquibus nigrum viſitur, in aliis coloris cinericii. Hujusmodi animal cum totum humi procumbit, & ſerpit, totum rotundum cernitur, cum vero ipſi aliquis adverſatur, opponiturque, continuò è terra capite, recto collo, & ventre extollitur, eaque parte corporis, quæ ejuſce corporis tres quartas capit, rectum manet, incedit, & reliquo corporis ſerpit. Qui ſerpens rectus multo tempore manere, & progredi in terra poteſt, plurimum efflat, ſibilatque: habet vero (quod quidem ſingulare eſt) à collo uſque in ventrem eam partem membranaceam, quam dum rectus progreditur expandit in veli modum. Velum enim vento inflatum diſtentumque apparet, rotundumque, catini veluti magnitudine, quam partem in velum diſtentam, ad libitum claudit. Vidi rem mirabilem in hoc ſerpente apud Circulatores; ſcilicet, quod cum hoc animal caput extollit, & rectus incedit, velociuſque ob velum proſerpit, efficitur admodum effrenis, & quaſi furiis agitatus. Quod cum viderint Circulatores, ut iram ipſius compeſcant, conſputo ſtatim digito naſi ejus ſummitatem tangunt, ex quo beſtia illa continuò in terram, ut mortua cadit, libereque manibus tractatur, & ità veluti profundo ſomno oppreſſa, vel etiam per diem integram perſtat. Cum vero ipſam expergiſci volunt, caudam ipſius validè comprimunt, fricantque, quoad expergiſcuntur, quæ continuò redit ad ſuum, ut ita dicam, furo-


Vipera Ariconnæ.
Ophylinus, sive Tebham Nasser; inflato velo festinans.

p. 215.



Tehbam nasser
seu
Ophylinus.
Longitudo est Cubit. IV.

rorem. Hoc cum viderim, credidi Circulatores id feciſſe vi alicujus antidoti, quod ore continerent; unde illud meo ſputo, & meis manibus experientia cognovi, eos nullo ad id antidoto uſos fuiſſe. Hic damus iſtius ſerpentis duas imagines, * unam humi ſerpentis in qua totus ſerpens rotundus etiam ſub collo cernitur, atque † alteram ejusdem, ſed recti, cum velo ſub collo extenſo incedentis, qui velociſſimè movetur. Hic naſcitur in antiquis ſepulcris, quæ vulgus mumias vocat: eſt hic ſerpens maximè diſciplinæ aptus: quod ſi eſſet verum, animas humanas migrantes è corporibus poſt mortem ingredi corpora beſtiarum, ut Anaxagoras credidit, ſuſpicari liceret, ob cognitionem qua præditi hi ſunt, Ægyptiorum animas habere, quorum corpora inibi humata jacent.

* Vide Tab. VIII.
† Vide Tab. VII. num. 2.

CAPUT V.

De Animalibus lacertoſis in Ægypto viventibus.

Complura animalia lacertoſa Ægyptiis itidem ſunt familiaria, cujusmodi eſt ſeps, lacerta chalcidica vocata, chameleon, ſcincus, atque crocodilus. Lacerta chalcidica cujus * hic imaginem damus, eſt ſeps veterum, non ſerpens mortiferus, quem ſuperius nominavimus, ſed animal lacertoſum, quem Nicander expreſſit, cum ſepem fecerit corpore humilibus lacertis ſimilem. Hæc inquam apud Ægyptios familiarius vivit in murorum, ædiumque foraminibus, & in hominum cubiculis, quam non magis incolæ timent, quam noſtri vulgo lacertas. Verum etſi ab ipſis accepimus eſſe venenatam, tamen nunquam quempiam ejus morſu in venenata ſymptomata incidiſſe liquidò conſtat. Chameleonibus etiam multis ſtirpes Ægyptiæ abundant, qui degentes in ſtirpium foliis, & ramis viſuntur, cum ex loci ubi ſunt, co-

* Vide Tab. IX. Num. 1.

lore, hæc animalia itidem colorem trahant, vireſcunt in foliis, in terra colore obſcurantur. Eſt veluti lacerta, horrido aſpectu, ut ſerpens, oreque in ſufflando excitat ſtrepitum, quo, antequam ejus naturam expertus fuiſſem, mihi timor aliquis ex illo ſtrepitu, ſimulque & ex horrido illorum aſpectu inducebatur, ſed poſtea ejus naturam non noxiam, ſed benignam eſſe cognovi. Flatu enim ſtrepitum edente, digitum intra ipſius os imponebam, à quo nihil noxæ recipiebam, etſi uſque in gulam digitum injeciſſem: os enim omninò dentibus caret, nihilque duri in ore habet, quod dentium loco eſſe queat. Ex quo fortaſſe veteres perperam exiſtimaſſe, viſi ſunt, non fuiſſe dentes Chameleonibus neceſſarios, quod ii ſolo aëre vivant, proinde os magnum, amplumque habuiſſe, intus leniſſimum, atque molle. Sed decepti fuerunt, quando ii ex quibusdam inſectis vivant, muſcaſque præſertim continuè venentur, linguæque extremo, tanquam Elephantis proboſcide, non tamen cavo, ſed tenui, aſperoque eas capiant: in Chameleonibus mirus eſt muſcarum venatus, muſcas etenim vel etiam ſemipede diſtantes gemino gradu repente mira celeritate edito linguæ extremo capiunt, eaſque devorant. Chameleones verò duplicis differentiæ obſervantur, quidam longitudine lacertæ viſuntur, alii minores, in multis mutuò etiam differentes: utrique linguam habent longam, in cujus extremo eſt veluti proboſcis, quo muſcas capiunt, & tametſi in ambobus iis Chameleonibus tam * majoribus, quam † minoribus in ore appareant quædam eminentiæ, inæqualitateſve, quaſi ſerras, vel dentes æmulantes, tamen nulli ſunt in ore dentes, eæque inæquales eminentiæ dentes æmulantes ſunt ex carne molliſſima, unde in ipſorum ore digiti immittuntur, qui undique oris carnem molliſſimam ſentiunt. Ambo colore flaveſcunt ad viridem inclinante, unde in frondibus, perinde ac frondes virides evadunt: Hieme latere in cavernis, nequaquam verum eſt, cum in ea regione hyems veris in modum ſit temperata, ut frigus haudquaquam moleſtum animalibus ſit. Abundant Ægyptii quoque ad opiparam Venerem conciliandam iis lacertoſis ani-

* *Vide Tab. IX. num. 2. & Tab. X.*

† *Vide Tab. IX. num. 3.*

p. 216.





nimalibus, quos Scincos vocant, Dioſcorides, & alii Crocodilos terreſtres appellarunt. Qui ex Ægypto Venetias convehuntur, lacertas noſtrates maximè imitantur, at ſunt craſſiores, latiores, & coloris flaveſcentis cum quibusdam maculis circa dorſum nigricantibus. Serapio Scincum ſtellionis aquatici ſpeciem fecit. Animal eſt amphibium, quod vivit in aqua Nili, & in terra. Et tametſi non me lateat hujusmodi lacertam omnes fere pro Scinco legitimo in uſum recepiſſe, nihilominus iſtiuſce Scinci cognitio apud me non levem difficultatem habuiſſe perpetuo viſa eſt, ſiquidem vulgaris Scincus officinis Venetis maxime notus, notis non reſpondeat Scinco antiquorum. Primo enim ex Dioſcoride conſtat, Scincum eſſe terreſtrem Crocodilum ſale induratum. Sed quænam in vulgari Scinco cum Crocodilo apparet in magnitudine, & in figura ſimilitudo? Crocodilus in magnitudine eſt ſicut Elephas ad murem. Præterea, quis unquam vidit ex Scincis vulgaribus quendam bicubitalem, ut de Scinco Pauſanias tradidit? Haud leviter videtur ſuſpicandum, Herodotum (qui ne verbum quidem de Scinco) per Crocodilos terreſtres, apud Nomadas tricubitali ad ſummum magnitudine naſcentes, terreſtribus lacertis aſſimiles ſcribentem, Scincos intelligere voluiſſe. Addimus, in Scincis eam inſignem vim movendi venerem, ita ut ex vorata drachma Scinci renum, quod Arabes prodidere, veluti magnus priapismus excitetur, atque adeo, ut ad adimendum hunc excitatum affectum, Medicamentum adhibere ſit neceſſarium, multo minus obſervari. Etenim complures, qui Scincum, vel etiam recentiſſimum copioſius aſſumſerunt, nullam utilitatem ad venerem conſecuti ſunt. Quare crediderim ego, illud animal lacertoſum terreſtre crocodilo ſimile, cubitale, ſquamis minimis rotundis obſitum, colore candidiore, atque cute etiam tenuiori, cauda rotunda, & brevi, mitiori natura, ita ut non lædat, raroque mordeat, eſſe veterum Scincum, cujus renes tantopere ad opiparam Deam Venerem augendam à veteribus fuere miris laudibus concelebrati. Copioſi reperiuntur ſupra Memphim in terreſtribus, ſiccisque


locis. Sed puto haec animalia eſſe amphibia, ſcilicet & in terra, & in aqua promiſcuè viventia. * Horum duorum Scincorum hic imaginem damus. De † Crocodilis vero, quibus Ægypti tota ea regio maximè abundat, præſertimque ſupra Cairum verſus Tebas, & in Nilo, & in lacubus, atque ita ut non ſit tutum homines inibi verſari, immaniſſima enim beſtia eſt, magnitudine triginta cubitorum, homines, aliaque animalia indiſcriminatim devorans; major vis ejus in cauda eſt, qua veluti latiſſima, duriſſimaque enſi, animalia, ſe ipſum vibrando, proſternat, quæ poſtea devorat. Ægyptus inferior minus iis abundat, maximeque circa Inſulam Deltam vocatam, inibi pauciſſimi, & minimi habitare obſervantur, ſortaſſe hoc, quod poſt Memphim verſus mare pauciſſimi Crocrodili viſuntur, iique omnium minime, quos Scincos veterum eſſe credidimus, fit ex majori in hac parte hominum commercio, à quibus timeant; vel quod ſuperius longe plures ſint lacus maximi, in quibus libenter vivunt. Aliàs diximus, ut indigenarum relatione accepimus, poſtquam à quodam Ægyptio Mago Crocodilus magica arte confectus ſupra Cairum duorum dierum itinere in Nilo flumine obrutus fuit, nunquam Crocodilos tranſire locum, in quo magicus crocodilus ſepultus eſt, potuiſſe, & in hanc cauſam Ægyptii eruditiores magnorum crocodilorum ad Memphim, & ad alias verſus mare Ægyptium urbes ſublatum comercium, frequentemque tranſitum interceptum, retulerunt. Quod tamen fabuloſum eſſe credidi, & potius crediderim ego, illud referendum eſſe, in minorem, & majorem per ea loca hominum converſationem, quam crocodili fugientes, propterea ad Memphim, neque ad alias urbis verſus mare non veniunt, ſed manent in Nilo ſuper Memphim, quod hæc loca minus ſint ab hominibus habitata, & frequentata. Rem maxime miram dicam, ſcilicet tam grandem, immanemque belluam, quæ numeroſiſſimis hominibus validè obſiſtere apta nata eſt, homunculos quoſdam ruſticos gracillimos, unum, vel duos invadere, eamque manibus apprehendere, & ita tractare, ut ſune os vinciant, atque pedes, & ita legatis pedi-

* *Vide Tab. XI. num. 1. & 2.*

† *Vide Tab. XI. num. 3.*

TAB. XI.

p. 218.



pedibus, & ore, aſino ſuperponentes, vehant ipſam ad mercatores Venetos, eamque belluam vendant, occidant, pellemque decorticent. Quid majus? deductam beſtiam, ut eam mercatores empturi commodè videant, & ejus inceſſum obſervent, eaque oblectentur, os, pedeſque ablaqueantes, ſinunt eam ad libitum moveri, ſpaciarique, quam, ni ſponte id faciat, verberibus, puncturiſque cogunt, quæ ubi moveri, ac ſpaciari parum viſa eſt, denuo os, pedeſque arctè ligant, eamque gladio jugulantes, ab ea pellem decorticant, & vendunt; & admiratio eſt, quod ii audeant tam grandem belluam ità liberè tractare, nunquamque ii ab ipſa male afficiantur, cum ea quoſcumque alios occidat, atque devoret. Quod de Trochilo avicula dictum eſt, verum eſſe quoque audivimus, quippe excrementa carnium in dentibus relicta, atque etiam vermiculos ex putrefactis carnium reliquiis qui inibi naſcuntur, ipſum os crocodili apertum ingreſſa, roſtro acutiſſimo purgare, non autem ſanguiſugas, ut perperam Herodotus tradidit: at, finita dentium deterſione, beſtia beneficii immemor, ut tandem aviculam etiam devoret, os claudit, quo cognito Trochilus roſtrum acutiſſimum in maxillæ ſuperioris cavitatem, (ea enim pars, & mollis, & exquiſitiſſimi ſenſus eſt) affligendo, non ſinit os claudere, & repentino volatu ab eo diſcedit.

Caput VI.

De Animalibus quadrupedibus domeſticis, quæ Ægyptiis ſunt familiaria, & primo de equis, aſinis, atque mulis.

Ægyptii præter ſingularia quædam quadrupeda animalia, quæ ipſis ſunt propria, cujusmodi ſunt cameli, dromades, bubali, leones, pardales, civetæ, gazelæ, ichneumones, equi marini, habent ea omnia, quæ apud nos ſunt, ſcilicet equos, aſinos, mulos, boves, ſues, oves, capras, canes, feles, mures, & ex ſylveſtribus quoque, boves, aſinos, urſos, lupos, vulpes, martires, cuniculos, & ex peregrinis, quæ ex finitimis provinciis deferuntur, tigres, leones, pantheras, elephantes, giraffas, atque ſimias. Horum vero omnium animalium quadrupedum, hic qualitates complecti noſtrum erit inſtitutum. Idque faciemus à domeſticis exorſi primum & ab equis, quibus ea tota regio maxime abundat. Eos etenim pulcherrimos Ægyptus producit, omnibuſque numeris abſolutos, velociſſimos, audaces, maximeque dociles, ut velociores, quique freno magis obediant, nullum alium reperiri putem; ita enim ii diſciplinabiles ſunt, ut ratione pollere videantur, ad varios, differenteſque currendi, movendique modos, & in pugna ita audaces, prudenteſque apparent, ut bellicæ diſciplinæ omnino haud expertes videantur. Turcæ ſi in via diſcedant, ibique diu equos relinquant, quoad ad ipſos redeant, nunquam vel unum pedem loco in quo relinquuntur, movebunt, unde ſervos ad ipſorum cuſtodiam relinquere non ſit opus. Pulcherrimi inibi naſcuntur, caput parvum habent, aures breves, faciemque brevem, oculos magnos, vividos, mobiles, totius corporis habitus non præ-

pinguis, & craſſus, ſed carnoſus, & ad gracilem inclinans, juxta ilia ſunt quam noſtrates graciliores. Hordeo, atque paleis, quodam artificio furfurum modo detritis, quæ non triticeis furfuribus majores ſunt, perpetuo aluntur, quo pabulo mirum non eſt, ſi optimam carnem, ſolidamque gignant, qua robuſti redduntur, & ad omnia opera apti. Unus ex iis duo mille aureis Turcicis venditur. Arabes pulchritudine iis non cedunt, at ſunt longiores, & graciliores: idque ex parco victu evenit, poſſunt enim ii triduò abſque potu manere. At in curſu, longè urbanis equis ſunt velociores, atque agiliores, quibus Arabes utuntur, & in pugna, & in rapina, & in fuga. Quidam Princeps Arabum, Turca, Remonim vocatus, inter alios equos ferè innumeros unum habebat, quem præ inſigni ejus pulchritudine, ingenio, atque amore quo ſuum dominum proſequebatur, mirum in modum adamabat, cariſſimumque ita habebat, ut unà in tentoriis cum Remonino dormiret, à quo profectò equo ita quoad dormiret ipſe cuſtodiebatur, ut veluti excubias faciens, ſi rumorem aliquem ſentiret, capite ipſum contingens à ſomno excitaret. Quod equi in Ægypto ſint pulcherrimi, velociſſimi, maximeque audaces, & ingenio verſatili, quotannis ex toto regno quadraginta, & quinquaginta ſeliguntur, qui ad Turcarum Imperatorem Byzantium mittuntur, ſiquidem ipſe raro alium equum quam Ægyptium conſcendere ſolet. Aliqui ex iis duobus millibus aureis veneunt, & longè pluris. Inter equos autem ſeliguntur ſpadices, aurei coloris, nec non rufi, quos Aſcar vocant. Abundat & ea tota regio optimis, & præſtantiſſimis Aſinis, equis minimè commodo inceſſu cedentibus, unde (ut mea fert opinio, omnes inibi gentes meritò aſinis & familiarius uſi fuerunt, atque in præſentia etiam utuntur ad itinera conficienda, non Turcarum Imperatoris decreto perſuaſæ, decernente nullum ex Ægyptiis non privilegiatum licere uti equis, aut equitare. Quod etſi nunc verum ſit, nihilominus ea gens aſinis pro itinere faciendo uti mavult, quoniam præſtantiſſimi ſunt, non minus quam equi ad iter faciendum expetendi, quoniam & velociori curſu

ſu perinde ac equi, & commodiore homines vehunt. Complures inibi reperiuntur aſini, & colore nigerrimo, & pulchritudine, & magnitudine, & commodiori inceſſu, atque curſu iis equis nihilo cedentes, quos vulgus Chineas vocat, unuſquie pretio æſtimatur centum aureorum, & plurium: Quod in ſolo calidiori vivant, atque in arenoſo minimè lapidibus referto, ac impedito, velociores & in inceſſu, & in curſu ſunt, à noſtratibus admodum diverſam naturam habentes, qua onagris; id eſt ſylveſtribus aſinis in Africæ ſolitudinibus viventibus ſimiles videntur. Ab onagris vero differunt, eo quod majores ſunt, atque manſuetiores. Ægyptii non ephippiis ad aſinos utuntur, ſed parvo tapete ſuper dorſum ſtrato, quo modo vel etiam mulieres aſino vehi ſolent, quippè ſuper tapetem ſedentes. Aſinis conductitiis complures utuntur, iiſque ſex horarum ſpacio ſeptemvè ad plurimum Alexandria diſcedentes Raſſitum pervenimus, quæ ab Alexandria diſtat quadraginta milliaribus Italicis. Neque in toto eo itinere quidquam, vel cibi, vel potus deguſtarunt, finitoque itinere, aſinorum cuſtodes ipſis pro cibo dabant integras fabas ſiccas ad libræ pondus. De Aſinorum vero ingenio, atque natura diſciplinabili, ſuperius cum de circumforaneis ſermo habitus eſt, ſatis, ſuperque diximus. Muli etiam inibì innumeri ferè naſcuntur, qui magni ſunt, pulcherrimi, & curſu velociſſimi, quos, qui iter ocius quam Aſinis fieri queat expetunt, aſinorum loco conſcendunt, diuturno etiam labori itinerario, plus quam aſini, reſiſtunt, eumque diutius perferunt.

p. 223.



CAPUT VII.

De Camelis, & Dromadibus, qui in Ægypto aluntur.

Sequuntur ex domeſticis quadrupedibus Cameli, quibus non minus prædictis tota ea regio, & Arabia, contermina Provincia, maximè abundant. Animalia ſancta ii appellant, ex inſigni commodo quem ex ipſis indigenæ accipiunt: Victum enim parciſſimum, exiguique ſumptus ferunt, & magnis laboribus robuſtiſſime reſiſtunt. Horum vero triplex genus reperitur: unum quod Turcicum vocant, robuſtiſſimum, validiſſimumque: alterum nobiliſſimum, quod Latini Dromadem, & Mauri Egin vocant: Tertium medium inter hos. In hujuſcemodi camelis, tota Arabum vis, & robur, victuſque conſiſtit. Etenim primis ad onera ferenda, eorumque ſupellectilem, filioſve, in quibusdam pulcherrimis cunis pereleganter ad id inſtructis, utuntur. Alteros verò ephippiis inſternunt, frenoque perindè atque equos regunt. Hos conſcendentes vaſtiſſimas ſolitudines, loca invia, montes, & deſerta pervadunt: Hos curſores, & tabellarii per Arabias equitant, iiſque maximæ ſunt utilitati, nam uſque adeo veloces ſunt, & celerrimo curſu præſtant, ut uno die iter abſolvant, quod quatriduo equi commutati non facerent: quod ſi aliquanto defeſſi videantur, per horam ſolummodo reſpirare permiſſi, vires recipiunt. E Meccha Memphim quadraginta dierum iter, atque illud per montes, decem diebus veniunt. Nullum animal illiuſce molis citius comedit. † Pulcherrimum eſt, & Arabes, cum uxores ducunt, eas ſuper dromades ornamenti gratia vehunt. Qui ad longa itinera, & bella proficiſcuntur, & Turcæ, & Reges, multos Dromades

† *Vide figuram Dromadis Tab. XII.*

des habent undequaque ornatiſſimos, quorum nonnulli, ſuper ipſis ſedentibus ſervis, quocumque ſe contulerint, eos comitantur, ſivè currendo, ſivè alio modo, aquam, bellaria, & ſelectos cibos, & condita in mantica, nec non tapetes, & aliam ſuppellectilem ferentes. Conſuevere enim, qui agmen vel militum, vel mercatorum, ſeu peregrinorum, ducunt, modo præire, modo ſubſequi, modo huc, modo illuc ſe conferre, cum ſelectiſſimis hominibus, ne ſui à lateribus invadantur, maximeque qui alios ſequi nequeunt, ut mulieres, virivè imbecilles, aut qui animalia defeſſa, laboreque confecta habent, quibus omnibus conſulunt, ſivè Mehemetes ſectæ ſint, ſivè alterius; in quo quidem Mauritanorum diligentiam, & humanitatem dignam ſumma laude judico: quod in itineribus omnium eam curam gerant, ut nullum perire ſinant, quod ſedulo facientes, quandoque ut totus exercitus pertranſeat, expectant, quandoque ex quo diſceſſerunt, quandoque ad jumenta accurrunt. Aliàs ob vigilias noctis id temporis ad dormiendum aſſumunt, quo omnis multitudo pertranſeat. Ad quod facit Dromas, à quo in terram propo, quicquid volunt accipiunt. Hicque eſt Dromadum uſus, non autem in bello, ut Plinio fuit perſuaſum. Nullam aliam utilitatem in bello Dromades afferunt, quam eam à nobis prædictam, expreſſamque. [illegible] generis camelos fœminas, intactas, propter earum lac, ſervant; eas, omni labore ſolutas, vagari permittentes per loca ſylveſtria, paſcentes ſpinam in Ægypto acutam, Arabicamque etiam vocatam, acaciam in Arabia petrea, atque juncum odoratum in Arabia deſerta, ubivis abſinthii ſpecies, aliaſque herbas, & virgulta ſpinoſa, quæ in deſertis repeñuntur. Camelorum itaque lac eſt præcipuus eorum cibus, vel ſolum, vel cum malva coctum. In deliciis habent panem ſpoditen ſine fermento ſub cineribus, vel ſuper marmoreum lapidem candentem coctum, quem deinde butyro emolliunt. Quamvis autem Arabes ſylveſtribus animalibus ad victum maxime abundant, tamen eorum carnibus, ut in primo libro etiam dictum eſt, Camelorum lac anteponunt, tum quod hoc animal quaſi venerentur, cum vana

vana fide credant Mecchæ Camelum eorum pſeudo-Prophetam allocutam, quodque male à Domino tractaretur coram illo conqueſtam, idque, orationi vanitatem adhibentes, eveniſſe inquiunt, ut & brutorum animalium teſtimonio ipſum Prophetam eſſe liquidò conſtaret; tum etiam quod præter alia emolumenta, quæ ex Camelis capiunt, veſtes quoque, & tentoria ex iisdem habeant. Ex eorum enim pilis multa fiunt, maxime vero pannus, quo & Principes oblectantur, nec minus quam aulæum ipſum nonnulli meritò æſtimant, unde &, quod ejus uſus ſalubris ſit, eo panno nonnulli Veneti Patritii veſtiuntur; tum etiam quod apud illos hujuſce lactis ope, nullus hydrope, nullus regio morbo, nullus dyſpnœa, nemo obſtructione detentus reperiatur. Nullus tandem pſora, leprâ, ſcabie, vitiligine, nec alia cutis infectione laborat, quemadmodum urbanorum multi iis malis vexari ſolent, cum lac omnibus his malis medeatur. Aſthma enim tollit, hydropem ſanat, ſpleneticis prodeſt, uteri obſtructionibus ſubvenit, menſes movet, faciliſque eſt coctionis & naturam lenit. Quæ profecto omnia Ægy[illegible]s ſæpe fuiſſe expertos deprehendimus. Nam, aliis om[illegible] mulieri Mauritanæ, febre, hydrope, aſcite, jecoriſque, & lienis obſtructione inſigni laboranti, ſimul cum lotii ſuppreſſione [illegible]erſa Medico, nullo alio remedii genere proficiente, hujusmodi lac ad ſeſquilibram quotidie fuit exhibitum, quoad ſanitati fuit reſtituta. Aquam educebat, obſtructiones aperiebantur, urinam movebat, vires recreabat, ſicque ea omnino fuit ſanata. Multos & ab affectibus ſplenis hoc tantummodo lacte epoto liberatos fuiſſe vidimus. Quod vero ipſum ſit optimum, optimique ſucci, vel eo argumento probari poteſt, quod Arabes hi, quamvis in montibus vitam tranſig[illegible], tamen ingenio, arte, & multis animi dotibus probè valent, callidique ſunt, & ſtratagematum non ignari. Contra, qui noſtros montes incolunt, quamvis libero, apertoque cælo fruantur, ob aſſiduam tamen fructuum craſſorum, ſicuti caſtanearum, & raparum, & id genus eduliorum uſum [illegible]ii dexteritate parum valent: ex quo quide[illegible], & corporis temperiem mutuo

 ſe

ſe conſequi licet intelligere. Quare Moyſem populo Isdraelitico, & Mahemetem, à Sergio Monacho Græco edoctum, populo Arabico, cibos, frigidos, craſſos, & viſcoſos, tenaceſque gignentes ſuccos, interdixiſſe ferunt. Quod autem Arabes ingenio valeant, vel ex eo intelligi poteſt, quia de iis dici poſſit, quod veteres de Romanis tradiderunt, ſcilicet alias nationes ſervitutem pati potuiſſe, populi vero Romani propriam eſſe libertatem, ſiquidem hi magis quam Romani libertatem retinuere, eam enim omnibus divitiis, omnibusque commodis prætulerunt. Hos per tot ſecula nullus unquam ſubegit. De qua re ſatis accuratè ſcripſimus in fine primi libri, ubi ex profeſſo de Arabibus ſermo à nobis habitus eſt. Præter alia animalia, quorum carnem in cibo plurimi faciunt, cameli in magno honore exiſtunt. In Arabum Principum caſtris cameli plures unius anni, aut biennes mactantur, quorum carnes avidè commedunt, eaſque odoratas, ſuaves, atque optimas eſſe fatentur. Tanta apud Arabes eſt camelorum copia, ut eorum pauperrimus decem ad minus camelos habeat: multique ſunt, quorum quiſque quatuorcentum, ac mille etiam numerare poſſit. Audio vero in Ægypto longe plura quam quatercentum millia camelorum vivere. In Arabia vero adhuc plures Camelos eſſe, unde mirum haud eſt, ſi ſinguli aureis ſingulis emantur. In quibusdam vero locis, inter Damaſcum, & Babylonem, & ubi vir ſanctus Abraham habitabat, atque in Arabia deſerta triplo plures nutriri. Quibus conſtabit camelorum numerum adeo magnum, atque numeroſum eſſe, ut vix credi queat. * Atque hæc de Camelis

* *Cameli figuram vide Tab. XIII.*

C A-



CAPUT VIII.

De quibusdam aliis quadrupedibus apud Ægyptios viventibus, ſcilicet de Bobus, Bubalis, Ovibus, Capris, Suibus, Canibus, Felibus.

Abundat Ægyptus & Bobus, & Bubalis, & Ovibus, & Capris, Suibus, Canibus, atque Felibus. Boves magnitudine mediocri ibi viſuntur, ſed pingues illi pulcherrimique. Neque immeritò ſane, cum in terræ cultura minimè laborent, aut parum laboris capiant. In ſerendo tritico nihil laborant, cum nihil prorſus terra vomere vertatur, aut moveatur, ſiquidem (ut aliàs etiam dictum eſt) abſorpta aqua Nili poſt ipſius augmentum, ſtatim ſemina nullo præmiſſo cultu terræ committere ſolent: quo ii felices in agricolatione haud injuria æſtimantur. Itaque meritò, & quod parum laboris habeant, pingues boves redduntur, atque etiam quod in illis alendis optimum fœnum, paleæ tritæ, atque hordeum non ipſis deſit, omniumque maximè pingueſcunt vacculæ, quod ad generationem, atque ad lactis uſum abſque ullo labore adſerventur, in pinguiſſimiſque pratis arte factis eas vagari, & paſcere liberè ſinant. Vitulos habent in magna copia pinguiſſimos, eſuique jucundiſſimos, ſingulique ad ſummum aureo argenteo habentur. Ægyptii tamen nunquam vitulum abſque vacca ejus matre, magno vel etiam pretio vendunt, vaccarum mugitus, atque lamentationes propter ſobolis privationem, (quod præhumaniſſimi erga omnes beſtias ſint) æquo animo minime ferentes. Carnem Vitulorum Mau-

ri rariſſimè comedunt: Hebræi vero familiarius, & frequentius: at emunt vitulum cum vacca ſimul non pluris quam gemino aureo Turcico, & ſeparatos à vaccis Chriſtianis vendunt vitulos, ut & vaccarum partes poſteriores illis Moſaica lege prohibitas. Carnes vero Vaccarum, atque Boum unius anni, aut ad ſummum duorum annorum, comedere ſolent, quæ pingues admodum ſint, palatoque ſuaves. Bubali inibi maximi viſuntur, atque pulcherrimi, qui frequentius, calorem devitantes, in aqua Nili fluminis morari magna diei parte ſolent, libentiuſque in aqua quam in terra vivunt, è cujus aqua refrigerata, humectataque illorum corpora pinguiora redduntur, quorum carnes eſui gratæ ſunt, concoctuque faciles. Veneti Mercatores linguas Bubulas, tanquam menſis optimas, ſale conditas, in magna copia Venetias mittunt. Ægyptia tellus maximè ovibus abundat, agniſque optimis, vervecibuſque: Præfertur ibi caro vervecina omnibus aliis carnibus bonitate, triploque majori quam vitulina, hædinaque pretio venditur, apud eoſque omnes, ejus uſus eſt frequentiſſimus, atque familiariſſimus, adeo ut omnes eam ægrotis Medici concedant: neque injuria ſane, cum caro ſit odorata, concoctu facilis, optimique ſucci. Complures eam libentius aſſam, aſperſam ſucco limonum, comedunt. Nulli ferè ſimpliciter ex aqua elixa veſcuntur, ſed ipſorum multi in ollam, vel tegetem terreum magnis fruſtis deſſectam conjiciunt, cum cæpis, allioque tritis, petroſeliniique foliis, piperis triti modico, crocoque, ſaleque conditam, & operculo clauſam lento igne percoquunt. Hujuſmodi vero conditam vervecinam carnem, decoctamque, Caulian vocant, eſtque uſque adeo eſui ſuavis, & grata, ut avidiſſimè, magnaque cum voluptate ea omnes veſcantur. Hoc modò ſemicoctam Arabes itinera per deſerta loca facturi ſecum deferunt, & quod magis mirum eſt, eam in iis cœli caloribus imputrem, atque incorruptam ad uſum ſervant viginti, & pluribus etiam diebus, hoc modo ſcilicet; quotidie ipſam modicum in olla igne coquentes, nunquam ex toto coquunt, at prima die habent ferè ſemicoctam, & quotidie eam, quam-

diu

diu incorruptam conſervare volunt, modicè excoquunt: quæ optima, ea modica, quotidie repetita ebullitione, coctione per plures dies ab iis conſervatur. Aſſam vero, torrefactamvè duobus modis eam excoquentes reddunt. Altero modo ipſam in parva fruſta diſſectam, & veruculis ferreis, acuum modo, infixam ſuper crates ferreas igne ſuppoſito poſitam torrefaciunt, quam ſucco limonum aſperſam avidè eſitant. Non fit convivium ſine vervecina carne hoc quidem modo ſuper craticulas torrefacta. Altero vero torrefacientes hanc carnem ſic excoquunt. Habent clibanum parvum longum fictilem, ore anguſto, ventre latiore ollæ ſimilem, ſub quo ſupponunt ignem. In ore habet pauca filamenta ferrea tranſverſim poſita, quibus ferrea verucula altero extremo adunco appendunt cum carnis magnis fruſtis infixis, hiſque veruculis carne infarctis totam ollæ, ſeu Clibani fictilis prædicti capacitatem implent, lentoque igne excoqui, ac torrefieri ſinunt, quam concoctam extrahunt, ſuccoque limonum aſperſam comedunt. Hiſque modis carnem vervecinam percoquunt, quam omnibus aliis carnibus bonitate præferunt. Ex iis vervecibus, quidam caudas uſque adeo pingues, & magna mole auctas habent, ut nonnullæ ex iis librarum viginti, & plurium etiam pondere deprehendatur. Multi ipſorum caudis, quod egerrimè præ magnitudine earum hæc animalia incedant, ad juvandum inceſſum rotulas ligneas ſupponunt. Capris quoque Ægyptii abundant, quarum uſus præcipuus eſt in lacte ipſarum: omnes enim (ut aliàs diximus) lacte veſcuntur, vel ſolo crudo, acetoſo, vel ex eo cum herbis variis eſculentis ferculis paratis. Hædi optimi ſunt, ac maximè pingues, ſinguli que duobus ſeſtertiis, ideſt Maidinis Turcicis vendebantur. Ex capris compIures ſunt, quæ ita aures oblongas habent, ut extremitate terram uſque contingant. Ingenio maximè perſpicaci Capra Ægyptia prædita eſt, idcirco facilè diſciplinabilis. Circulatores quidam uſque adèo ipſam edocent, inſtructamque reddunt, ut multa quidem non ſine ſpectantium admiratione faciat: ſed præſertim illi ſuperpoſito ephippio, equorum modo currit, ſuperbè incedit, ſal-

 tat,

tat, atque pedibus equorum more calcitrat. Sues quoque habent in magna copia, at longè noſtratibus minores ſunt, uniuſque anni, Chriſtiani minimè caſtratos comedunt. Alunt ferè omnes equites Mauri, & Turcæ in ſtabulis cum ſuis equis, rati ſuum præſentiam non parum facere ad equorum ſanitatem conſervandam. Emunt parvulos bimeſtres, quos cum equis ſimul nutriunt. Hi viliſſimo pretio habentur, adeo ut majores, quippè unius anni, qui carnem habent ad ſexaginta librarum pondus, non pluris, quam duobus ſeſtertiis habeantur; hocque vili pretio ii habentur, quia eos neque Mauri, neque Hebræi comedunt. Equites nobiſcum unà in via habitantes nobis concedebant, ut ſuos porcos unius anni caperemus, & eorum loco parvulos recenter natos in ſuis ſtabulis ſubſtitueremus. Caro illorum longè ſuavior quam noſtratium eſui apparet, minuſque humida, & excrementoſa, quippè ex pabulo quo ſues nutriuntur. Fabacea farina, atque hordeo eos alunt. Ex illorum carne cum ſale minutim detrita, commixta caudarum vervecinarum pinguedine, farcimina eſui acceptiſſima à noſtris parabantur. Sed carnes eæ porcinæ, recenter ſuibus mactatis, modico ſale aſperſæ, elixæque, optimæ ſunt, atque guſtui gratiſſimæ. Canibus ea regio quoque non minus abundat, præſtantiſſimis ad venatum: Nonnulli apud quosdam Arabes reperiuntur, quos omni diligentia alunt, præſertimque leporarii, quibus in venatione utuntur. Præter hos paucos, omnes alii, quorum numerus ineffabilis eſt, qui in civitatibus, oppidis, atque in pagis vivunt, leproſi ferè omnes exiſtunt, cum ex pulveribus nitroſis quibus Ægyptus abundare ſolet, ipſorum cutis defœdetur, tum ex pravo potu aquæ ſemiputris: non enim vivunt, ut apud nos, in domibus privatis à particularibus dominis enutriti, ſed omnes, nullis patronis addicti, paſſim in viis, lociſque omnibus indiſcriminatim converſantes in ocio omnes vitam ducentes. Vivunt, ut dixi, ex carnibus putridis, atque ex recrementis terræ: ſed tamen adeo Ægyptii ſunt præhumani, & præliberales erga beſtias, præſertimque erga Canes, ut multi morientes ſuis hæredibus teſtamento relinquant,

quant, ut quotidie panes multi triticei canibus diſpenſentur: quod etiam viventes multi faciunt: etenim in aliquibus locis civitatis ferè deſertis, in quibus canes catervatim perpetuo morantur, quotidie mane aliqui corbes ligneas etiam amplas, optimis panibus plenas, illuc ad Canes deferunt, ad quem locum ubi pervenerint, canes ad ſe vocant magna voce clamantes thaù, thaù, qui ſtatim audientes accurrunt, ſolitoſque panes illis projectos devorant. Hoc primum Alexandriæ, atque non ſine admiratione fieri vidimus. Multæ mulieres ſunt, quæ canes puerperas in publica via cum ſuis parvis catulis degentes, alant; ante ſuas domos, earum miſericordia ductæ, vas aqua optima plenum per plures dies ſervantes, in eo aquam puram, & recentem, nec non panes, alioſque cibos optimos ſubminiſtrantes. Mirum eſt, quod inibi cœlo maximè calido nunquam rabie canes tententur; indigenæque hoc non abs re in leproſum affectum referunt, quo omnes vexantur, iis exceptis, qui quotidie, & pluries in Nilo flumine ſe lavant, qui tamen pauciſſimi ſunt. Canem fœminam, apud Venetos Mercatores enutritam, pulcherrimam Alexandriæ vidi, quæ quotidie ſummo mane in mare ſe lavâtum ibat, & hoc modo incolumis perpetuo à lepra conſervabatur, & quod magis mirum eſt, ſuos catulos ſingulo mane ablutioni conſuefaciebat, eos ad mare quotidie ducendo, qui & ipſi optimè valuerunt. Neque Feles iis populis deſunt numeroſiſſimæ, neque iis mures plurium generum pro cibo itidem deſunt. De illis poſtea nos quæpiam accuratius,


Caput IX.

De Quadrupedibus ſylveſtribus in ea regione viventibus, quippe de Urſis, Lupis, Vulpibus, Leporibus, Cuniculis, Gazellis, Juvencis Sylveſtribus, Capris, Cervis, Gliribus, Muribus, Muſtelis, atque de Ichneumone.

Urſis, Lupis, Vulpibusque ea Provincia non eſt deſtituta, etſi hæc animalia non admodum ibi ſint copioſa. Urſi ovibus noſtratibus haud majores viſuntur, omneſque colore ferè albicant, & cicures noſtratibus facilius redduntur, minuſque feroces ſunt. Lupi itidem, & Vulpes duplo minores quam apud nos apparent. Lepores quoque Arabes in aliquibus locis propè montes venantur, præſertim penes Synaim, & Oreb montes. In planiciebus, locisque arenoſis raro hæc animalia viſuntur, inibique propter nimium calorem non vivunt. Venantur quoque quoddam Animal pumile cuniculo non diſſimile, ſed cuniculis majus, quod vocunt Agnum filiorum Iſrael. Horum carnes cuniculorum carne ſuaviores exiſtunt. Venantur non minus, & * Gazellas, quibus Ægyptus abundat, quarum carnes bonitate, & guſtu, Capreolorum carnibus ſimiles exiſtunt. Biſulcum animal eſt ſylveſtre, ſed quod facilè manſueſit, capræ ſimile, colore igneo ad pallidum inclinante, duplici cornu longo intro converſo lunæ modo, & nigro, auribus arrectis, ut in Cervis, oculis magnis oblongis nigris pulcherrimis. Unde in adagio apud Ægyptios dicitur de pulchris oculis. Aine el Czazel, ideſt oculus Gazellæ. Collo longo, & gracili, cruribus gracilibus, atque pedibus biſulcis conſtat. Pantheræ in deſertis locis Gazellas venantur, quibus aliquandiu cornibus duriſſimis,

* Vide Tab. XIV. num. 1.

TAB. XIV. p. 232.



mis, acutiſque reſiſtunt, ſed victæ eorum præda fiunt. Pili quibus conteguntur, videntur ſanè ſimiles iis, qui in Moſchiferis animalibus ſpectantur: pulcherrimum eſt animal, quod facile hominibus redditur cicur, manſuetumque. Venantur & onagros, quos veteres oryges appellarunt, qui uno cornu armantur, ſylveſtribuſque Aſinis bicornibus longe minores exiſtunt, iiſque non minus feroces, veloceſque, quorum unius anni, ac vel etiam duorum, carnibus veſcuntur Arabes, dicuntque eas eſſe optimas, admodumque odoratas, & guſtui ſuaves. Non deſunt etiam illis ſylveſtres * Juvencæ, quæ capris majores non ſunt, binaque cornua vaccarum modo, craſſa, brevia, introrſum lunæ creſcentis modo inverſa, habent; caput, & reliquum corporis plenum macularum parvarum eſſe videtur, biſulcos pedes habent, ventremque craſſum, colore rutilo ſpectantur, cicures hæ facilè fiunt: unam habebat Chiaus quidam, mihi multum familiaris, quæ manſuètiſſima erat, ita ut neque noſtrum conſpectum fugeret, atque liberè ad libitum ipſam manibus tractaremus. Hanc eandem eſſe cum Bove Africano Bellonii putamus, tametſi cornua non ſint nigra, ſed eodem colore quo viſuntur noſtratium Boum cornua. In reliquis omnia habet, quæ in Africano bove viſuntur. Quod vero Bubalus veterum ſit, nequaquam mihi perſuadere potui, cum bubalus non diſtinguatur à Bove magnitudine, aut figura, ſed colore nigro, atque quod libentius vivat in aquis. Nullumque aliud genus Bovis eſſe, quam illud quod vulgo Buffalus dicitur, quod nomen corruptum eſt à bubalo nomine antiquo, bos enim, ſive juvenca ſylveſtris, eſt parva (ut dictum eſt) quæ tamen facile cicuratur: caroque ejus bovis non vaccæ ſaporem, aut odorem præſeferens. Apros etiam habent, quibus Arabes veſcuntur. Sunt vero non majores ſuibus domeſticis, ipſorumque carnes eſui, etſi gratiſſimæ ſint, nihilominus plures ab iis abſtinent, legis decreto, quo ipſis negatum eſt. Non deſunt quoque cervorum complures, quos indigenæ venatione inſectari ſolent, & carnes comedunt. Glires inibi copioſius vivunt, pingueſque, atque eſui grati ſunt, quo cibo

Vide Tab. XIV. num. 2.

plures oblectantur. Vivunt etiam in eo ſolo Muſtelæ fere innumeræ, quæ mures inſectantur atque ipſis veſcuntur. Sunt vero inibi complura murium genera, noſtratibus primo parvis ſimilia, ac vel etiam majoribus, ſed longè majores omnibus inibi vivunt, non modo in domibus, ſed magis in agris, in quibus uſque adeo copioſi vivunt, ut, ni in multis, qui plurimum iis ſcatent, una cum tritico ſimul arſenicum pulverizatum ſeminarent, totum triticum terræ commiſſum à muribus conſumeretur: ſed arſenici & odore, & ſapore fugantur, atque ſementem non attingunt. Æſtate in terræ fiſſuris, quæ fiunt terra à nimio calore ſiccāta in rimas dehiſcente, innumeri ferè vivunt: Etenim hæ fiſſuræ, ſive rimæ in quibusdam locis uſque adeo magnæ, profundæque ſunt, ut vix oculis ipſarum fundus conſpiciatur. Itaque muribus hæ ſunt refertiſſimæ, atque adeo plenæ, ut ſi nos, vel alii aliquando inibi pedibus terram pulſando ſtrepitum faciant, innumeri mures è rimis continuò proſiliant, atque terra egrediantur. Ubique locorum etiam quoddam muris genùs ſylveſtre vivit, quod indigenæ Murem Pharaonis appellant. Antiqui vero Ichneumonem olim hoc animal dixerunt, quaſi perſcrutatorem murium. Animal parvum eſt muſtelæ magnitudine, atque figura, ſed longe breviori corpore quam muſtela viſitur, & alvo ampliori, caput parvum habet, roſtrum nigrum, acutum, ore parvo, dentibus murinis conſtat., oculis parvis, admodum vivacibus, itidem viſitur breviſſimo collo, ventre craſſo, pedibus parvis, unguibuſque uncinatis, caudam vero habet longam ſerpentis modo in tenuitatem abeuntem, colore cinereo fulveſcente. Petrus Bellonius id proprii in ipſo obſervavit, quod habet præter muliebrem ſexum meatum alium quempiam magnum illi contiguum, pilis obſitum haud mulieris pudendo diſſimile, per quem meatum excrementa alvi dejiciebat. Animal eſt mundiſſimum, atque ita cicuratur, ut fele manſuetius evadat; in domibus cicuratum manet felium modo; & ſi aliquando abeat, denuo, & horis ordinatis redit. Vafer eſt, vivax, & animoſus, ut quamvis minor fele ſit, audeat ſe & in magnum

gnum Canem ex poſterioribus pedibus vibrare, & cum eo pugnam inire; feles, mures, muſtelaſque occidit, atque ipſis veſcitur, ſed longè libentius aviculis, galliniſque, & aliis gallinaceis pullis vivit, facileque eas, in ipſas ſe ipſum ex poſterioribus pedibus vibrans, capit. * Marem hunc habui in meo cubiculo per multos menſes, quem poſtea cuidam amico advenæ in Italiam redeunti dono dedi. Semper in meo cubiculo manebat, excepto eo tempore quo ſibi victum procurabat, tunc enim ad prædam capiendam egrediebatur, moxque ſaturatus redibat. In meo cubili mecum unà felium modo dormiebat, mecumque canis modo fere ſemper ludebat. Confirmant Ægyptii naturale odium quo adverſus Crocodilum, atque Aſpides agitur. Hos pugnando aliquando interimit. At, cum Aſpides ſint animalia non ovipara, ſed vivipera, cum in partu non ova, ſed integros catulos excludant, unde viperarum genere hoſce ſerpentes comprehendi in Libro Quinto de Medicina Ægyptiorum, ſatis ſuperque demonſtravimus; inde ex veteribus Nicandrum non fideliter ſcripſiſſe conſtat, Ichneumonem aſpidum ova confringere. De Crocodilo etiam quod veteres tradidere, aliquando eveniſſe ut Crocodilum hoc animal interimat, quippe per os ejus, in ſomno hiantis, in viſcera ingreſſum, atque ab ipſo viſceribus corroſis, eo modo quem Oppianus verſibus expreſſit, indigenæ non negarunt. Mihi Ichneumon fuit utiliſſimus ad mures ex meo cubiculo fugandos, qui magna damna mihi adeo intulerant, ut nec mèis libris pepercerint, quin ipſorum multos corroſerint; etenim, à quodam Hebræo edoctus, ut ſi meum cubiculum à muribus vindicare voluerim, Murem Pharaonis mihi alerem: eo conſilio perſuaſus, unum parvulum alui, à quo murium damna planè ceſſarunt, ſiquidem quotquot offendebat, interimebat, longeque ad hos necandos, fugandoſque, fele eſt Ichneumon utilior.

* Vide Tab. XIV. num. 3.

Caput X.

De Elephante, Camelo-Pardali, Leone, Pardali, Tigri, atque Zibetho.

Anno MDLXXXI. menſe Aprili Alexandriæ vidimus Elephantem, atque Camelo-pardalem, quem Arabes Zurnap, & noſtri * Giraffam appellant. Hæc equum parvum, elegantiſſimumque repræſentare videtur, quæ gracili corpore conſtat, collo longo, recto, equino, vultu & colore cervino, innumeris maculis rotundis, minimiſque, & nigricantibus infecto, pedibus anterioribus longis, gracilibus, biſulcis, poſteriores verò longè breviores erant; duo cornicula habebat, & circa frontem habebat etiam quandam eminentiam duram, carnoſam, inſtar parvi cornu. Petrus Bellonius & ipſe cum duobus cornibus hoc animal vidiſſe ſe tradidit. Animal ut dictum eſt benigno verius aſpectu quam fero conſpicitur, tractaturque à quolibet tam facile, ut funiculo ejus capiti alligato, ubivis à quolibet ducatur, quo non inter feras, quum nulla feritate præditum ſit, merito ab iis fuit adnumeratum. Elephas vero erat juvenis, ſed tamen ſpectabatur magni Bovis Lombardici altitudine, & craſſitie: erat uſque adeo perbellè diſciplinatus, ut humanam rerum intelligentiam habere omnibus videretur. Sed mirum eſt quanto majeſtatis decore uteretur, atque illuſtrioribus nominum ſignificationibus ab ea gente coram cohoneſtari oblectaretur. Hi, qui ei præſunt, ut faceret quod volebant, ipſum nominabant regiis nominibus, ſemper ipſum nomine Sultan, & Sultanon etiam, quæ cognominatio apud Turcas Regia eſt. Ad ipſum nonnulli convenerant ut ab ipſius proboſcide ſanarentur ab antiquo dolore capitis quo jam diu fuerant divexa-

ti.

* *Vide Tab. XIV. num.* 4.

ti. Itaque qui Elephantem regebant, coram me, & multis aliis rogavit ipſum, ita dicens: O elegantiſſime, & nobiliſſimè Princeps, hic homo, qui hactenus vitam miſerrimam duxit, atque etiam nunc peſſimè vivit ob iniquiſſimum capitis dolorem, te ſupplex genibus flexis, etiam atque etiam rogat, ut ipſum à tanto dolore liberare non neges; & longè pluribus verbis magnificè prolatis, poſtquam ei illud perſuaſit, caput illius, qui ab ipſo ſanari exoptabat ſedulo an mundum eſſet conſpiciebat, & ſi mundum erat, ipſum ſuo proboſcide retrahebat, & poſtquam aliorum non paucorum capita ſuo proboſcide contexit, à dolore ipſos liberavit. Profecto ad hujuſmodi excruciantes dolores antiquos perſanandos proboſcis, Elephantis diu ſupra capita detentus, eſt utiliſſimus, utpote qui ſuo multo calore, futuras capitis aperiat, & humores, vel craſſos vapores, capitis membranas nimium diſtendentes, digerendo diſſlet. Nos enim tunc temporis audivimus, illos omnes quorum capita proboſcide foverat, fuiſſe multum adjutos, atque eodem præſidio multos, qui ſæpius uſi fuerunt, planè ſanos evaſiſſe. Sed jam ad feras quidem, quas in ea regione obſervavimus dicendas declinemus; quæ fuerunt Leones, Pardales, Tigres, Hyenæ, Civetæquè. Leones ibi habentur, ſed non multi, uſque adeo à prima ætate cicurati, ut manſuetiſſimi evaſerint, & maximè fideles. Minores ibi vivunt quam in Aſia, atque in Æthiopia vivant; ita audio eos & manſueſcere, & diſciplinari, ut in venatu ipſis multi perinde atque vulgo canibus, utantur. Leæna Tigri fœminæ ſimillima eſt, totum corpus maculatum habens, leone mare longè craſſius. Tigres ex Æthiopia in Ægyptum convectas vidimus, etſi nullo modo cicuratæ hæ manſuefiant, neque unquam ferinam naturam relinquant. Sunt leænis quam ſimiles, & forma, & colore albicante, rotundis maculis fulveſcentibus evariato, ſed leænis longè majores ſunt. Inibi vero Pardi, Pantheræve copioſius vivunt. Pardus mas eſt, Panthera fœmina. Animal longum eſt, colore albicante, maculis varium, oculatis enim ex fulvo, aut nigro circulis ejus color albicans infectus eſt,

 atque

ut breviter dicam, hoc animal Leoni quam ſimillimum, ſed in vultu ad Felem maximè declinat: atque ut Felis ſtertit, dormit libenter in molli ſtrato, habet pilos eosdem albicantes ſupra os, qui in Felis labiis viſuntur: eſt ſane Pardus Leoni quam ſimillimus, dico longitudine, atque figura, differt vero à Leone, quoniam & jubam non habet in collo, ut Leo, & maculis rotundis, parviſque fulveſcentibus toto corpore infectus eſt. Minus vero animoſus eſt quam Leo, & cum ipſo pugnat à tergo, inſidiis uti ſemper ſtudet. Panthera vero & longe animoſior eſt, & cum Leone pugnam nunquam declinat. Quo tempore perveni Alexandriam, duos Pardos uti Leones maximos vidi apud Antonium Calepium nobilem Bergomatem pro Veneta Natione Pro-Conſulem, ibique magnum mercaturæ negotium agentem, qui ex iis ſemper aliquot nutriebat lucri cauſa. Unum aliquando vendidit quingentis coronatis. Uſque adeo cicures erant, ut una cum eo dormirent felium modo ſtertendo: ii manſueti erant, ſemperque in lectulis Pro-Conſulis decumbentes dormiebant, culcitraſque illi etiam ſericeas, & magni pretii lacerantes: carne eos nutriebat. Sæpe à nobis cum Pardo ibatur ad venandas Gazellas, & pugnam inter ipſos pulcherrimam quæ fiebat, admirabamur, præſertim Gazellæ artificium cum Pardo, cornibus duriſſimis armatæ pugnando, ſed eam tandem multum defatigatam, atque ex pugna admodum defeſſam, interimebat. Cairi poſtea vidimus quandam Helenam, Græcam meretricem, quinque catulos recenter à Panthera effuſos, aureis Turcicis triginta, ex Arabe coëmiſſe, eoſque ut feles aluiſſe, eos enim parvulos lavabat, pectebat, omnique cibo humano conſuefaciebat. * Erant omnino viſu pulcherrimi: albicabant colore, maculis parvis rotundis toto corpore evariato; parvos feles pulcherrimos æmulabantur: fere ſemper ut feles dormiebant, atque non citra ſtertorem, non minus quam catulos eos manſuetos reddidit. Parum quidem differentiæ inter Pardum, atque Pantheram intercedere obſervavimus. Panthera major quidem Pardalis, & toto corpore, & capite eſt, atque multo ferocior. Eſt &

* *Vide Tab. XV. Num. 2*

TAB. XV.



& animal illud quod odoratum excrementum ex teſtibus exſudat, Arabibus Zebet vocatum, à quo nomine corrupto forte Bellonius credidit, Civetam appellatum fuiſſe. Complura horum animalium vidimus in caveis ferreis ab Hebræis multis, atque Mauris, ſumma cuſtodia enutrita: illis copioſam carnem ſemper ſuppeditant, ut ex multo cibo plethorica evadant, plurimumque ex teſtibus, & inguinibus Zebeti reſudent: illud etenim magno pretio vendunt. Ego vero pro drachma illiuſce excrementi, quod me præſente digitis ex animali extractum fuit, quatuor aureos Venetos ſolvi. Extractum eſt veluti ſpuma candida, uſque adeo validi odoris, ut à quoquam ferri nequeat, locuſque, in quo hæc animalia vivunt, ita eo odore acuto fetet, & moleſtus eſt, ut à noſtris ſine multa capitis noxa perferri non queat: poſt multum tempus in fulvum nigricantem mutatur, odorem prævalidum, omnino ingratum, in mitiorem, ſuaviorem, & gratiorem mutat. Indigenæ ita hoc pigmentum adulterant, ut auſim affirmare, nullum Zibetum ſincerum ad nos deferri. Animal eſt, non modo, ut Ariſtoteles de Hyæna ſcripſit, lupi colore, ſed ferè in omnibus Lupo ſimile, niſi quod ſit Lupo minus, & habeat caput magis mucronatum, ab ipſo pilis multis albicantibus barbæ modo dependentibus, aures parvas habet oblongas, totum corpus maculis multis non rotundis obſcureſcentibus maculatum, itemque & caudæ extremum. Ferum eſt admodum ut omnes affirmarunt, undè non ſine multa admiratione legi apud Bellonium, unum Alexandriæ ita cicurem ab ipſo conſpectum fuiſſe, atque manſuetum redditum, ut perinde atque Canis cum hominibus ludere obſervatum fuerit, atque ipſum liberè manibus perinde atque manſuetiſſimum canem tractari à quolibet potuiſſe. Bellonius non immeritò credidit Hyænam eſſe antiquorum: at, ex veteribus tamen nullus expreſſit Hyænam excrementum reddere illud odoratum. De Panthera potius Ariſtoteles affirmaſſe viſus eſt, quod neque verum eſſe cognovimus, qui plures, ut diximus eorum animalium obſervavimus.

Caput XI.

De variis ſimiarum generibus in Ægypto obſervatis, & primo de Cynocephalis vocatis.

Etſi in Ægypto nullum ſimiarum genus naſcatur, cujuslibet tamen generis & ex Arabia Felici, & ex Æthiopia innumeræ mercaturæ cauſa illuc convehuntur. Quæ tametſi mutuo variis differentiis interſtinguantur, duobus ſimiarum generibus comprehendimus: nempe ſub Cynocephalis, atque Callitrichis vocatis. Cynocephali vero ſimiæ variis diſtinguuntur differentiis. Quædam enim, (etſi omnes ad caninam faciem inclinent, unde nomen invenerunt) maximorum canum magnitudine ſpectantur, quædam vero parvis canibus ſimiles exiſtunt. Sunt autem ferè omnes caudatæ, etſi aliquæ ſine caudis cernantur. Viſuntur colore fulvo, albicante leræque, caneſque maximè æmulantur, & facie, & moribus. Ita vero ſolerti ingenio valent omnes, ut expertes alicujus cognitionis minime æſtimari debeant. Quo Circulatores hæc animalia, quæ volunt facile docent, ludoſque potiſſimum varios, maximeque induſtrios, quibus ii ſpectatores delectare in ea regione ſolent, ut nos ſæpius & Cairi, & Alexandriæ, & alibi in ea provincia cognovimus: quibus haſce ſimias facilè diſciplinabiles eſſe conſtat. Mares plurimum libidinoſi ſunt, in mulierumque libidinem perpetuo aguntur. Plura de iis dixiſſem, niſi verecundia, & modeſtia rerum obſcenarum me continuiſſet. Hoc unum tamen non diſſimulabimus, quippè hoſce Simios Cynocephalos, magnis canibus ſimiles, Arabicis mulieribus, præſertimque rura habitantibus, eſſe plurimum ex libidine infeſtos, atque adeo quibusdam anni temporibus, ut eæ mulieres ab ipſis minimè tutæ ſint, ſiquidem has vi ſubi-

p. 241.



ſubigunt, atque rem venéream magna libidinis rabie cum ipſis explent. Quæ ruri agunt, ob hunc timorem, ne vi Simiis venere jungantur, faciem croco ſibi ipſis tingunt, & totum corpus etiam, atque hoc ſecreto ſe maxime à ſimiorum libidine tutas reddunt, ita ut nullam ex illis croco tinctam, ſeu infectam, Simii invadant, credentes iis colore croco infectis fluere menſes: quo ab iis abſtinent, veluti nec ſimias menſtruas habentes purgationes ad concubitum attingunt. Simiæ Cynocephali, ſive caninæ vocatæ, magnitudine majorum canum, variæ à nobis viſæ fuerunt, quarum imagines plures hic damus, ex Simiis ex Alexandria Ægypti Venetias deductis, affabre à Veneto Pictore delineatas, diligentia, & liberalitate Nicolai Contareni Veneti Patritii maximè illuſtris, qui rerum naturalium cognitione, & ſtudio plurimum delectatur, præſertimque ſtirpium peregrinarum, & nobilium obſervatione, in qua re & ad Hiſtoriam hanc conſcribendam, & ad Libros de Exoticis Plantis à nobis evulgandos, in multis nos eximia ſua liberalitate multum adjuvare ſtuduit, unde non paucas plantarum peregrinarum, & animalium imagines delineatas, quas in hiſce noſtris libris dedimus, ejus liberalitati acceptas fatemur, veluti & pictas Simiarum imagines quas hic damus, ab eo itidem accepimus. * Primum datur hic imago Simii Cynocephali magno Cani Anglico perſimilis, qui admodum ferus, infidelis, ferinis moribus deprehenſus eſt. † Alterius Cynocephali magni imaginem ſecundo expreſſam itidem damus; quod animal mitioris naturæ, & benignioris eſt. Ferox tamen & ipſum eſt antequam cicuretur, & manſuefiat. Hilaris hic Simius eſt, atque facile diſciplinabilis. Olim Euſtachius Rudius Philoſophus, & Medicus illuſtris, qui è Prima ſede Practicam Medicinam in Patavino Gymnaſio multos annos maxima cum laude eſt interpretatus, aliquando de iſtiuſce Simiæ ſolertia aliqua narrabat, sed inter alia, quod cum unum haberet, hyemeque apud ignem frigoris cauſa, à quo plurimum hæc animalia læduntur, maneret, & vidiſſet caſtaneas complures ſub ignis cineribus ferè decoctas latere, nullumque vel li-

* *Vide Tab. XV. num.* 1.

† *Vide Tab. XVI.*

gnum , vel aliquod aliud inſtrumentum ad extrahendas
in promptu haberet, viſo Fele ſibi ſocio apud ignem dor-
miente, repente manu apprehenſo brachio ipſius altero, caſta-
neas è ferventibus cineribus ipſum extraxiſſe , atque come-
diſſe , non abſque miſeri Felis ab igne magna læſione. Huic
** Vide Tab. XVII.* ſimilis * ſimia viſa eſt ſupra aures comata ejuſdem cum
priori naturæ. Damus, & quarto † alterius Simiæ Cyno-
† Vide Tab. XVIII. cephali pictam figuram, in qua apparet maxima ex toto cor-
pore ad hominem ſimilitudo: Habet & ipſa ad utramque
aurem magnam comam dependentem. Hæc merito cæteris
Cynocephalis viſa eſt elegantior, pulchriorque , ingenioque
benigniori, ac cæteris aliis ſolertiori, fideliorique amicitia
‡ Vide Tab. XIX. ad homines. Huic etiam ſimilis viſus eſt, cujus ‡ imaginem
itidem hic damus: eſt tamen ægreſtiori facie, & natura fe-
rociori, & infediliori præditus , atque hæc ſimia eſt ultima
ex magnis Cynocephalis. Sequuntur Cynocephali longe mi-
nores, parvis etiam canibus perſimiles, quorum damus etiam
*** Vide Tab. XX. num. 1.* quaſdam imagines delineatas, numero vero tres, ** Figura
prima eſt earum ſimiarum , quæ caudas non habent. Hæ
cæteris facilius, & citius manſueſiunt, cæteriſque ſolertiori in-
**** Vide Tab. XX. num. 3.* genio præſtant, hilarioreſque, & verſutiores exiſtunt. *** Ter-
tius eſt ex iis qui vulgo Monichi vocantur, caudati, & bar-
bati: ex Æthiopiæ locis conterminis in Ægyptum deducun-
tur, ſuntque admodum cicures, & mundi, non tamen eo
ingenii acumine, ut alii cynocephali donati ſunt. At ut fe-
les naturam ingenii habent, atque hæc de Simiis Cynoce-
phalis à facie canina vocatis ſufficiant. Sequuntur has Simiæ
caudatæ, & barbatæ, quas callitriches Ariſtoteles vocavit,
quæ prioribus admodum diſſimiles cernuntur. Quædam ma-
ximorum Canum magnitudinem habent, & quædam medio-
cris ſunt magnitudinis. Rarò hæ ſimiæ bipedes incedunt,
ſed quadrupedes brutorum modo. Habent alias differentias
quibus interſtinguuntur : etenim aliquæ ex iis toto corpore
¶ Vide Tab. XX. num. 2. nigerrimæ ſpectantur, faciei cum toto corpore figura ad
leones accedentes, crinitaſque jubas veluti leones habere vi-
dentur, ſed pilis nigris pendulas. ¶ Hic ſimius in pectore
craſſior

TAB. XVII. p. 242.




TAB.-XVIII.

p. 242.



p. 242.




1
2
3
4

craſſior apparet, & circa ilia ſubtilior, ut leones. Caudam latam pilis longis, prolixiſque cubitalem, & ampliorem habet: facies vero ad leoninam quadantenus inclinat, ore, & dentibus itidem proximis. Barba ex mento pendet longa, lata, nigris pilis obſita. Aures humanis longiores cernuntur, totaque facies nigerrimo ſplendet colore. Hic Simius haud injuria à nobis Callitriches leonino corpore dictus eſt. Hoc Animal etſi naturam maximè ferinam habeat, nihilominus adeo facile cicuratur, ut cibo manſuetiſſimum omnibus evadat, hominibuſque quos novit, benevolam, fidelemque amicitiam conſervet. * Alterum ex iis Simiis Callitrichis Alexandriæ una cum priori manentem vidimus, colore aſinino, & corpore toto, & facie non diſſimili, barba caprina, & quemadmodum hic Simius horrida præditus forma, ita & agreſtis, & ferox, illiberaliſque, & infidelis omnibus fuerat, & tametſi, cicur factus videatur, nunquam tamen illi fidendum, quando animal ſit ferinum, atque infidum. Hos duos poſtremos Simios, ut nuper diximus, Alexandriæ vidimus in Veneto Oenopolio ab Illuſtriſſimo Franciſco Priulo pro Sereniſſima Veneta Republica ibi Conſulatum agente emptos. Leoninus, nigerrimuſque, ut dictum eſt, & facie, & toto corpore, Carander appellabatur, atque alter aſininus, & colore, & figura, Suidam. Hic etſi animal mole majus, alteri obediebat, ipſumque plurimum formidabat, & timebat. Et, ſi cibus ei offerebatur, non audebat ipſum, prius quam Carander accepiſſet, & comediſſet, accipere, & comedere: Quem ſi fortè negligenter aliquando ab aliquo accepiſſet prius, Carander ipſum morſibus peſſime puniebat. Suidam vocatus, ſi aliquem odio habere cœpiſſet, vix ipſum videre poterat. Erat quidam Vir Chriſtianus Cophtus Mercatoribus Venetis in Oenopolio commorantibus ſerviens, (memoria non teneo quamobrem ab hoc Simio ille ſervus Cophtus odio habitus fuerit) quem Suidam ita odio habebat, ut continuò eo conſpecto, roſtro oblongato, varias motiones, diſtorſioneſque in illius ſervi deriſionem, atque injuriam faceret, & toties quoties illum videbat, injurius, & moleſtus

* *Vide Tab. XX. num. 3.*

eſſe ſtudebat. Aliquando hic Chriſtianus ludendi gratia, ligno accepto fingebat ſe ipſum verberaturum; è quo repente Simius fortiſſimis manibus ligneo bacterio ſubrepto Chriſtianum peſſime in capite verberavit. * Hos duos Simios poſt multos annos Venetiis agentes recognovimus. † Simium Callitrichum alium Cairi duos annos in ædibus habuimus, felem magnam quadantenus magnitudine, & figura æmulantem. Anibal dicebatur, prolixiori corporis figura, capite parvo erat, rotundo, in quo facies humana maximè exprimebatur, ore leonino, & dentibus felinis, corpore circa ilia gracillimo, toto corpore rufo, rutilove ſpectabatur: facies vero humanæ ſimilis fuit, nigra, undique barbata, ſed barba albi erat coloris, unde faciem ſenilem, elegantiſſimamque habere ipſe videbatur: caudamque longam, rutilamque habebat. Nuſquam aliquod animal vidi, quod gemendo evidentius, expreſſiuſque humanam vocem hoc ipſo Simio ediſſe putaretur: perinde atque felis cicur, & manſuetus cum omnibus fuit: timidus tamen erat, & puſillanimus, talemque cum fecerit natura ipſum, idcirco ingenio præſtantiori donavit, atque adeo, ut cum aliquod animal ipſum aggredi videret, continuò os magnum aperiendo illi occurrens, maximum timorem, & formidinem inducendo, ipſum fugaret: quem rictum os ſic apertum ſervabat, horridum, atque barba alba totam faciem circumdante, ejusque pilis prolixis, & canis, oreque leonino, formidabilem aſpectum efficiebat, ita ut animalia multa primo intuitu expaveſcerent, & ab eo fugerent. Hanc ingenii calliditatem roboris loco ei natura donaſſe viſa eſt, qua ſe defenderet ab inimicis, iis horrido eo aſpectu maximè timorem incutiendo: acies tota, præſertim vero oculi, cilia, naſus, aures, barba, manus, & pedes, ad humanam figuram maximè inclinabant. Ingenio præſtanti ita valebat, ut ſæpe ex iis quæ faciebat ipſum maximè fuerim admiratus, & viſus fuerit mihi rationis ex toto non expers. In reditu ad patriam navigando Corcyræ è navi clam mihi fuit ſurreptus. Quædam Simiæ ex Callitrichis viſuntur magnitudine magnorum Cynocephalorum, nigro colore, totius corporis, & faciei præſer-

* *Vide Tab. XX. num. 2. & 3.*

† *Vide Tab. XX. num. 4.*


TAB. XXI.

p. 244.



p. 245

TAB. XXII.



ſertim, quæ undequaque eſt cæſarie magna pilorum nigrorum circumdata. Hilari, & eleganti faciei ſunt, admodumque cicures, manſuetæ, benevolæ, atque fideles hæ Simiæ obſervantur. ‡ Imaginem pictam quam hic damus miſit ad me Nicolaus Contrarenus Patritius Venetus maximè illuſtris, ad Simiam ex Ægypto Venetias deductam affabre pictura delinatam. ‡ *Vide Tab. XXI.*

CAPUT XII.


De Cheropotamo, & Hippopotamo feris in Nilo Flumine naſcentibus.

Antequam rediturus in Patriam Cairo diſcederem, cum quadam die in aula Pro-Regis Ægypti viſitarem aliquot Turcas, in platea ante palatium Pro-Regis vidi * duo animalia quorum pelles paleis erant impletæ, ejuſdem figuræ, differentis vero magnitudinis, ſiquidem unum erat craſſum, elephantis modo magnum, cujus etiam ferè ſimili figura prædictum eſſe videbatur, atque alterum parvum, fere par magno porco. Hoc dicebant eſſe majoris ex alvo extractum, quippe ex matre utero gerente. Caput ferè videbatur ad equinum non nihil parum inclinare, craſſius tamen, habens roſtrum reſimum, quadantenus ad porcum etiam inclinatum, ore vero ferè porcino conſtabat, oculiſque porcinis, aures equinas, ſed breviores, latioreſque habebat, collum breve, craſſum, toto corpore nigrum erat, pedeſque non biſulci erant, ſed quadrifidi; cauda brevis, rotundaque. Referebant hoc magnæ molis animal in littoribus Nili fluminis penes urbem Damiatam captum fuiſſe, paucoſque poſt capturam dies interiiſſe, atque ex ejus ventre diſſecto fœtum mortuum extractum fuiſſe, Pro-Regemque Ægypti harum beſtia-

* *Vide Tab. XXII. num. 1. & 2.*

rum pelles ad Turcarum Imperatorem brevi eſſe miſſurum. Hoc animal non eſſe equum fluviatilem, quem Græci Hippopotamum appellarunt, ſed fortaſſe, cum non abhorreat à porcina forma, eſſe potius porcum fluviatilem, Cheropotamum Græcis dictum, facile crediderim. Non fuiſſe vero Hippopotamum vel eo argumento deprehendebatur quod non haberet dentes exertos, ut omnes veteres de equo fluviatili unanimiter tradidiſſe viſi ſunt; cujusmodi poſtea corium legitimi Hippototami Alexandriæ nos vidiſſe contigit, in quo erant dentes exerti, magnique ut in apris. Ad hujuſmodi animalis prædicti effigiem Hippototami imago ab Andrea Mattheolo in ſuis ad Dioſcoridis libros, de re Medica conſcriptos, commentariis doctiſſimis, quam maximè accedere videtur, quam perperam Bellonium pro legitimo Hippotamo pinxiſſe tradidit Mattheolus. Neque enim in hac fera dentes apri modo exerti cernebantur, neque notæ ad equum fluviatilem ullo modo accedere viſæ ſunt. Nos vero quod potius ad porcinam formam pleræque notæ inclinare videantur, idcirco non equum, ſed porcum fluviatilem eam beſtiam eſſe credidimus. Unde rectè quoque olim de iis ſeptem Hippopotamis, qui Romæ in Nilo coloſſeo ſculpti viſuntur, judicaſſe viſus eſt Mattheolus, quippe perſuaſus eos non fuiſſe Hippopotamos. At Antiquos etiam in Hippopotami cognitione deceptos quorundam relatione fuiſſe non leviter ſuſpicamur, quemadmodum & in aliis animalibus, atque in compluribus Plantis in Indiæ locis naſcentibus poſteriores viri, qui omnia Indiæ, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique loca probe navigationibus illuſtrarunt, antiquorum multos deceptos fuiſſe deprehenderunt. Etenim Ariſtoteles, & alii ex veteribus, equo fluviatili, & jubam equinam, & bifidos pedes inter alia attribuiſſe viſi ſunt. Cum tamen nullus unquam, (ut nos ab Ægyptiis multis, ſed præſertim à Damiatæ Urbis incolis) penes quam in Nilo flumine Hippopotamos omnes ferè vivere deprehenderunt, accepimus, viderit aliquem ex multis Hippopotamis, qui variis temporibus in Nilo flumine inventi fuerunt, atque capti, jubam equinam habentem,

vel



p. 247.



p. 247

TAB. XXV.



vel etiam pedes biſulcos, ut antiquis viſum fuit. Quo merito ſuſpicati ſumus, potius Ariſtotelem, atque alios dicentes equum fluviatilem juba equina præditum eſſe, pedibuſque biſulcis, aliorum relatione fuiſſe deceptos, cum Hippopotami qui inibi capti, accuratèque obſervati fuerunt, habeant equinam faciem, denteſque exertos apri modo, & corium tergoris uſque adeo validum, & durum, ut ad clypeos uſum olim apud eas gentes habere proculdubio potuerit. Quis amplius dubitabit eas beſtias eſſe legitimos Hippopotamos, cum habeant notas Hippopotamo aſſignatas? De equina facie nemo dubitavit: de dentibus aprorum modo exertis, Ariſtoteles, atque alii fere omnes antiqui illud apertè affirmarunt. Coſmus Indopleuſtes (Petro Gillio referente) qui Juſtini Imperatoris tempore de India, & de Æthiopia ſcripſit, teſtatur, ſe dentem Hioppopotami Niliaci tredecim libras ponderantem vidiſſe. Pauſanias ſcribit, Hippopotamum dentes in inferiori maxilla, ut aper, exertos habere, eoſque adeo conſpicuos, & grandes, ut in Arcadicis ille ſcribat, apud Proconneſios matris Dindymenæ ſimulachrum aureum extitiſſe, cujus facies eboris vice è dentibus Hippopotamorum erat conformata. Ex iis dentibus non pauci ex Arabibus Hippopotamum Elephantem fluviatilem vocant, quod animal, capite excepto non parum ei ſimile videatur: corium in tergo eſt uſque adeo validum, & durum, ut inde homines agreſtes, atque Reverendi Monachi montis Sinai ſoleas ad calceos faciant, quæ in ſicco ſolo geſtatæ, diutiſſimè durant. Sed quid amplus? An non ab indigenis deprehenſum quoque eſt, longaque obſervatione cognitum, eam beſtiam Niliacam ſæpe quidem plethora laborantem, ſibi cannæ acuto cuſpide vena in crure diſſecta conſueviſſe ſanguinem mittere: Indigenæ enim ſæpe in Nili littoribus ſanguinis recentiſſimè excreti colluviem in terram ſparſi idcircò obſervant, quod de Hippopotamo ab antiquis quoque traditum fuit. Iſtiuſque beſtiæ corii, & reliquarum partium * hæc diligens exarata à diligentiſſimo pictore imago à nobis datur. Eſt itaque Hippopotamus animal Niliacum, etſi alibi ipſum etiam

* Vide Tab. XXIII.

etiam vivere conſtat, magnitudine, non Aſini, ut credidit Ariſtoteles, ſed mediocris potius Elephantis, corio nigro, in tergo duriſſimo: † caput ad equinum quandantenus inclinans viſitur, roſtrum reſimum eſt: oculos vero rotundos habet: aures parvas fere equinas; os autem magnum habet, magnis, multiplicibuſque dentibus armatum, quorum duo majores aliis in maxilla inferiori exeruntur, apri modo, ut de Hippopotamo Pauſanias expreſſit, collum breve habet, craſſumque citra jubam, quam perperam Ariſtoteles, & alii huic animali tribuiſſe viſi ſunt, pedes etiam non bifidos, craſſoſque habet, caudam brevem, & alvum craſſum. Vocem equinam edit, illiuſce gentis relatione. Veſcitur herbis iis omnibus, quas boves edunt. At carnivorum eſſe & ea Damiatica gens affirmat, & dentes multi, magni, duriſſimique eburnei nobis argumento eſſe poſſunt, quod ad frangendas carnes duras, animaliaque duræ carnis, & corii duriſſimi, atque ad oſſa itidem atterenda, factos à natura fuiſſe, liquidò conſtare viſum eſt. Quod vero extra aquam diu vivere nequeat, apud omnes receptiſſimum eſt. Nihilominus Petrus Gillius in epiſtola ad Cardinalem Armaigniacum ſcribit: Se Hippopotamum vivum ex Ægypto Byſantium convectum vidiſſe. Quod quidem animal iisdem à nobis præmiſſis notis, ſua imagine preſſit: mirumque eſt dixiſſe mitiſſimum eſſe, ita ut manibus tractari neque indignaretur, neque ſi aliquis os ejus aperire tentaſſet. Atque hic eſto finis quarti libri, totiuſque Hiſtoriæ Ægyptiacæ Naturalis, quam præ voluptate, & dulci memoria rerum inibi obſervatarum, ſcribendam inſtitueramus. Deo Optimo Maximo laus, & honor.

† *Vide Tab. XXIV. & XXV.*

F I N I S.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

A.

ABdellavi *peponis genus in Ægypto*, 65. *ipſius in Medicina utilitas*, 66

Abelmeluc *ſemina, quæ ex Mecha deferuntur violentiſſima vi purgatoria prædita*, 181. *majora ſunt & minora, ſed hæc venenum ſunt exitiale*, 181

Abiſſinæ ſervæ *forma ſunt elegantiſſimæ & ideo pretioſiſſimæ*, 49, 50

Accipitres *in Ægypto copioſi*, 200. *utuntur iis ad venandum Arabes*, 200

Ædes *Cairi circa medium latiſſimam habent fiſtulam ligneam ventum ſeptentrionalem frigidum excipendi cauſſa*, 22, 23. *ab Auſtro plurimum vitiantur*, 29

Ægyptii: *Illorum indeles & natura*, 2. 3. *natandi peritiſſimi*, 10. *ſingularis illorum erga parentes & amicos etiam in ſepeliendis cadaveribus amor*, 34. *Illorum ſepulcra & mos condiendorum cadaverum & quibus ad eam rem uſi videntur remediis*, 34, 35, 36. *Illorum Regimen*, 42. *ſeqq. equitandi peritiſſimi*, 47, 48. *Illorum ſervi*, 49. *ſeqq. Illorum ſtragula & accumbendi mos*, 54, 55. *Illorum vaſa, & fictilia*, 55. 56. *Illorum Comœdiæ*, 60. *Illorum circulatores, & circuitores*, 61, 62. *Illorum cibi & potus*, 63-71. *Illorum temperamentum & habitus*, 71, 72, 73. *Quibus maxime morbis infeſtentur*, 73-77. *Arabicæ eloquentiæ ſtudioſiſſimi & ceteræ, quibus delectantur, ſcientiæ*, 85, 86, 87, 88. *Illorum religio & ſtatus civilis*, 89. *ſeqq. Illorum monachi & cætus religioſus*, 93, 94. *de illorum Medicina & Medicis*, 118, 119, 120. *Illorum victus ratio & quibus modis ſanitatem tueantur*, 120. *ſeqq. Oculorum dentiumque maximam gerunt curam, & quibus ad conciliandam illis gratiam, utantur medicamentis*, 127, 128, 129. *Ad urgendam venerem quibus utantur medicamentis*, 130. *ſeqq. cur non vexentur podagra antiquata*, 184

Ægyptus, *quibus maxime celebris reddatur & admirabilis*, 1, 2. *ipſius temperies & aëris conſtitutio*, 2, 4, 5, 6, 7, 73. *ipſius ſitus*, 3. *arbores quæ perpetuo ibi virent*, 7. *Quamdiu Nilo flumine inundetur*, 6. *Nilo flumine habitabilis reddita*, 8. *Plurimis antiquitatis veſtigiis illuſtratur*, 15. *ſolum in quibusdam locis habet nitroſum, ob quod corpora ibi ſepulta in Mumias ſiccantur*, 37. *Nullas habet vias, ſed vel campos vel arenam vel flumen*, 39. *Ipſius Regimen*, 42. *ſeqq. præfectum plerumque habet Eunuchum*, 45, 46. *Equos habet pulcherrimos & equites omnium mortalium dexterrimos*, 47, 48. *Quibus maxime morbis infeſtetur*, 73-77. *Status ibi civilis*, 89, 90, 91. *quas producat terras*, 137, 138, 139. *Sale abundat optimo, ut & nitro*, 140, 141, 142. *Marmora variique generis lapides ibi copioſi*, 142, 143. *quænam ibi naſcantur gemmæ*, 144. *ſeqq. Variis conchiliorum generibus abundat*, 146. *medicamenta, quæ ibi obſervantur, metallica*, 150. *ſeqq. Stirpes quæ ibi naſcuntur*, 152, 153. *Plantæ oleraceæ quæ ibi naſcuntur*, 153.

153. ſeqq. Radices eſculentæ quæ ibi naſcuntur, 161. ſeqq. Plantis cerealibus & leguminibus abundat, 175. ſeqq. plantæ, quæ ibi naſcuntur, non eſculentæ & uſus earum, 178. ſeqq. quænam ibi inveniantur aves, 197. ſeqq. Inſecta quænam habeat animalia, 204 ſeqq. ſerpentes quæ ibi obſervantur, 207. ſeqq. Animalia, quæ ibi vivunt lacertoſa, 215. ſeqq. Animalia quæ habet, quadrupedia domeſtica, 220 ſeqq. Quadrupedes quæ ibi reperiuntur ſylveſtres, 232. ſeqq.

Ætites lapis, qui naſcitur in Ægypto, cur quibusdam aquilinus dictus, 147. cujus ſint figuræ, 147. quidam ex illis cum quatiuntur obſtrepunt alium intus lapillum continentes, 148 quem in Medicina uſum præſtent, 148

Acontia ſive Jaculum ſerpens qui in Ægypto & Æthiopia maxime obſervatur, 211. cur ita dictus ſit, 211

Agiromia liber ita dictus Arabicæ eloquentiæ continens regulas, 85

Alabaſtrites candidus in Ægypto duplex naſcitur durus unus alter fragilis, qui inter Gypſa reponitur, 142. eſt & tertius mellei coloris, 143. Quem in Medicina uſum hi lapides præſtent, & quomodo diſſolvantur, 143

Alalandici lapides coloris nigerrimi, 143

Alexandria quam ampla & majeſtuoſa fuerit veſtigia ejus adhuc dum declarant, 16. duo capita marmorea integra ibi effoſſa, alterum Cleopatræ alterum M. Antonii, 16. aer cur ibi longe inſalubrior quam antea eſt, 16. unde cives partem mari adjacentem frequentius habitant, 16, 17. Viridaria ibi pulcherrima & fructus optimi, 17. ibi die Veneris orandi tempore omnes Chriſtiani ædibus ſuis includuntur & quare, 92, 93

Allium in uſu apud Ægyptios frequentiſſimo, 174. ex Italia illuc convehitur & maximo venditur pretio, 174 quoſnam in Medicina uſus obtineat, 174

Althæa in Ægypto copioſa & ejus uſus in Medicina frequens, 156

Aloeæ in Ægypto meliores quam alibi, 202

Alumina cujusque generis, copioſa in Ægypto, 150

Anaclinteria Ægyptiorum ſunt pretioſiſſima, 55

Anguillæ in Ægypto brachium craſſitudine æquant, 202. uſus earum inſalubris eſt & quodam tempore exitialis & quare, 202

Anguria Indica quænam ſit, 65

Annonæ caritatem vel copiam Ægyptii quomodo prævideant, 8, 9

Antimonium, decoctum ex eo collyrii modo inſtillatum ad tuendam oculorum & ſanitatem & gratiam eſt utiliſſimum, 128

Antiſpodium quomodo Ægyptii parant, 150. ad virium robur adhiberi ſolet, 150

Arabes latiori ſenſu omnes Mauros comprehendunt, 78. proprie ſunt a quibus Mahemetes ortus eſt, 78. hi in montibus & deſertis ſub tentoriis degunt, 78. Turcas capitali proſequuntur odio, 78. illorum magna animoſitas & fortitudo, 78. nullo exercitii genere delectantur præterquam armis quibus victum quæritant, 79. arte equitandi periſſimi, 79. ingenii illorum vivacitas & humanitas ſumma, 79. venatione maximopere delectantur, 70, 80. a nullo unquam populo ſunt ſubacti, 80. filii Regis illorum fortitudo ſumma & incredibilis, 81, 82. Stipendia illis perſolvunt Turcæ metu devaſtationis agrorum ſuorum, 82. locum muris cinctum nunquam ingrediuntur, 82. fidem datam illorum nullus unquam violavit, 82. illorum fortitudinis exemplum alterum, 82, 83

Ara-

Arabica *eloquentia in Ægypto plurimum excolitur*, 85. *libri de illa compoſiti*, 85
Arabicæ *literæ quot ſint numero*, 86
Aızuele *templum Cairi maximum*, 20
Apes *in Ægypto copioſæ*, & *quanto ibi ſtudio alantur*, 204
Apium Ægyptium *in Ægypto copioſum*, 158
Aqua Nili, 11. *ipſiipſius bonitas* & *præſtantia*, *Ægyptiorus uſus in Medicina apud ejus corps frequens*, 12, 13. *potu cra* & *ora calida* & *ſicca ut ut macra* & *extenuata pinguia fiunt*, & *quænam hujus rei ſit ratio*, 12, 13, 125, 26
Aquæ *a meridie in ſeptentrionem currentes a quibusdam bonitate non commendantur*, & *an recte*, 12
Arbores *perpetuo virentes in Ægypto inveniuntur complures*, 7
Argilla *vilior in Ægypto cæmenti loco eſt*, 138
Artemiſia alba *ubinam in Ægypto naſcatur*, 190
Arum Ægyptiacum *an ſit Ægyptiorum colocaſſia*, 168
Arundines *Saccbariferæ in Ægypto copioſæ*, 160
Aſini *in Ægypto equis neque commodo inceſſu neque celeritate quidquam cedunt*, 221. *ephippii loco parvum tapetem ſuper dorſum illorum ſternunt*, 222. *quomodo ab onagris differant*, 222
Aſpides *ſerpentum genus omnium maxime exitiale*, *in Ægypto copioſi*, 207. *tres illius obſervantur ſpecies*, 207, 208, 209. *illorum morſus quænam excitent ſymtomata*, 209. *an cicurari* & *manſuefieri poſſint*, 209
Aſſis *herba quædam ad augendam venerem Ægyptiis adhiberi ſolita*, 133 134. *quomodo ex ea electuarium Bernavi paretur*, 135
Aſtrologia *Judiciaria in Ægypto maximopere excolitur*, 85, 87
Atriplex *herbæ genus in Ægypto copioſum*, 157, 158
Aves *in Ægypto viventes*, 197. *ſeqq.*
Auſter *in Ægypto muros vitiat*, 29

B.

Bach *Abiad*, & *Bachi Aſued Arabibus eſt vitiligo alba* & *nigra*, 73
Baieram *dies apud Mauros feſtivi in memoriam ſacrificii Abrahami inſtituti*, 96
Balnea *apud Ægyptios in uſu ſunt frequentiſſima*, & *quibus in iis medicamentis utantur*, 123, 124
Balnea *Cairi plurima tam publica quam privata*, 23
Balſamum *in Ægypto non naſcitur*, *ſed planta ejus ex Arabia felici illuc adfertur*, 191. *uſus illius in Medicina præſtantiſſimus*, 192
Baſiliſci *Serpentes ſumme exitiales cujus figuræ eſſe* & *ubinam copioſius vivere credantur*, 212
Baſſa *apud Ægyptios quinam ſit et annuum ipſius ſtipendium*, 43 *cur plerumque ſit Eunuchus*, 45, 46
Behem *album* & *rubrum planta quæ naſcitur in Ægypto*, *cujus ſit figuræ*, 180. *an radices ejus ſint calidæ* & *ſiccæ*, 181
Bellonius *Pyramidas in partibus ſeptentrionalibus aliquid paſſas eſſe falſo credidit*, 29. *refutatur ratione putei in Pyramide majore cur fuerit extructus*, 32
Bernavi *electuarium ad augendam Venerem adhiberi ſolitum quomodo componatur*, 135
Bers *remedium ad augendam Venerem quomodo componatur*, 135
Bigi (*Paulus*) *Mathematicus* & *Mechanicus ſummus*, 31. *uſum putei in Pyramide majore exſtructi detexit* 32
Biſſalphaltum, *eo condita videntur Ægyptiorum cadavera*, 36
Boves *in Ægypto pingues* & *pulcherrimi*, 227

Braſſica *rapoſa & florida in Ægypto copioſa*, 157
Bubali *in Ægypto maximi & pulcherrimi*, 228
Buzeidam *planta ad Venerem movento mnium præſtantiſſima*, 180. *an in Ægypto naſcatur dubium* 180

C.

Cadavera *Ægyptiorum condita* Vid. *Mumiæ*,
Cairum *civitas, an antiqua ſit Memphis* 17, 18. *Duplex, antiqua quæ mœnibus cingitur altera quæ extra mœnia cernitur* 18. *arx ibidem pulcherrima & ampliſſima*, 18, 19, 20. *Templa habet complura & maxima* 20. *horreum Ægypti ibidem exſtructum* 21. *maxima ibidem civium copia*, 21. *ædes ibid. tam plebejorum quam nobilium magnificentiſſimæ*, 22, 23. *Balnea ibi multa tam publica quam privata*, 23. *Innumeras habet vias noctu portis clauſas*, 24. *Plurima etiam viridaria quæ rotarum artificio irrigantur, & quænam ibi naſcantur arbores*, 26, 27. *emporium Orientis eſt celeberrimum & quævis aromatum genera ad eam convehuntur*, 27. *Ex quadrupedibus, ex volatilibus & aquatilibus quænam habeat animalia*, 27, 28. *Itineris, quod ſingulis annis ex ea urbe ad Mecham devotionis cauſſa fit, deſcriptio*, 57, 58, 59
Calculorum productionem *potus aquæ Niliacæ probibet, & calculos genitos expellit*, 13
Calicem *cum hoſtia & duabus tedis accenſis cur Ægyptii in templorum atque ædium parietibus depingant*, 39, 40, 41
Callaf *Planta in Ægypto, quæ ob odoris ſuavitatem incredibilem diligentiſſime ab agricolis alitur*, 193. *aqua ex floribus ejus parata ad vires roborandas remedium omnium eſt optimum*, 193. *an Avicennæ innotuerit*, 192, 193. *Variæ inter hanc & ſalicem differentiæ*, 194
Callitriches *ſimiarum genus aliis manſuetius & fidius, cur ita dictæ & quænam inter has & Cynocephalos intercedat differentia*, 242, 243. *varia illarum figura*, 243, 244, 245
Caloyeri, *ſacerdotes Chriſtianorum in Ægypto Græcorum*, 97
Cameli *in Ægypto & Arabia copioſiſſimi propter inſigne, quod ex illis percipitur commodum, ſancta animalia dicti*, 223. *Triplex illorum genus*, 223. *Schoenanthi flores depaſcuntur*, 182
Camelæ *quam parum comedant & bibant*, 79, *ab Arabibus cur maximi æſtimatæ*, 80, 224. *Illarum lac ad varios morbos remedium omnium præſtantiſſimum*, 225
Camelopardelus *cujus ſit figuræ*, 236
Cancrus *parviſſimus incredibili curſus velocitate præditus, qui obſervatur in litore maris Alexandriæ*, 203
Canes *in Ægypto copioſi ſed omnes fere Leproſi & qui id fiat*, 230. *ſumma Ægyptiorum erga illos humanitas*, 230, 231
Canities, *quomodo eam Ægyptii retardent*, 124
Caphic *liber Arabicus de linguæ hujus eloquentia tractans*, 85
Capilli *ut ſint pulcri & longi quibus medicamentis utantur Ægyptii*, 124
Capræ *in Ægypto copioſæ & admodum diſciplinabiles*, 229. *quædam ex illis aures, extremitate ſua terram contingentes habent*, 229
Carceris *Arcana dicti deſcriptio*, 112, 113
Cedria, *cur ea non condita videntur Ægyptiorum corpora*, 37
Ceraſtes, *Serpentum genus in Ægypto copioſum*, 209. *cujus ſit figuræ & an cornicula habeat in capite*, 209, 240

Ca-

Calchantus *in Ægypto varii generis reperitur*, 150

Chameleones *animalia lacertoſa in Ægyptiis ſtirpibus frequentia*, 215. *torrido ſunt adſpectu at nihil adferunt noxæ*, 216. *dentibus carent*, 216. *mirus in illis muſcarum venatus*, 216. *Duplicis ſunt differentiæ & utriuſque figuræ*, 216

Chamira, *ita dictæ ſunt Ægyptiis radices, quas Pharmacopæi, pro legitimo hermodactylo venditant*, 184, 185 *nihil habent facultatis purgatoriæ, ſed mulieres Ægyptiæ iis utuntur ut evadant pingues*, 185, 186. *an ſint Colchici Græcorum*, 187

Champſini *venti in Ægypto pernicioſi, unde ita dicti, & quando ſtare incipiant* 4, 5

Chamus *Dictionarium Arabicum abſolutiſſimum*, 85

Chelidonia *Aſpidis ſerpentis ſpecies cujus ſit figuræ*, 208. *illius morſus quænam excitent ſymptomata*, 209

Cheropotamus *animal Niliacum cujus ſit figuræ*, 245, 248

Cherſæa *Aſpidis ſerpentis ſpecies cujus ſit figuræ*, 208. *illius morſus quænam excitent Symptomata*, 208, 209

Chiromantia *in Ægypto ſummopere excolitur*, 87

Chriſtiani *in Ægypto non ita nunc litibus vexantur ut ante et quomodo id obtinuerint*, 91, 92

Chriſtiani *Cophti Eutychis ſequuntur hæreſim*, 101. *ſub unius Patriarchæ diſciplina vivunt*, 101. *admodum ſunt religioſi*, 101, 102. *quomodo parum abfuerit quin Romanæ Eccleſiæ obedientes facti fuiſſent*, 103-109. *quidam ex illis in deſerto D. Macarii aſperrimam ducunt vitam*, 113, 114

Chriſtiani Græci *in Ægypto quam profitantur vitam*, 97. *immunitatem habent a vectigalibus*, 98

Cibi *quibus utuntur Ægyptii*, 63–73

Cichoreum *in Ægypto copioſum*, 155 *radicibus ejus ſacchoro conditis, ne a caloribus lædantur, utuntur Ægyptii*, 155

Ciconiæ *in Ægypto copioſæ*, 199 *magno ibi in honore habitæ quod ſerpentes occidant*, 199

Circulatores *in Ægypto admodum ſunt faceti & beſtias quaſi erudiunt*, 61

Colchicus, *ejus radix pro diverſo anni tempore, quo e terra effoditur, varia pollet facultate*, 188, 189

Collyria *duo ad conciliandam oculis gratiam Ægyptiis maxime familiaria*, 228, 129

Colocaſſia *radix, quam Nilus producit, vel longa eſt vel rotunda*, 166. *planta ejus in Ægypto ſterilis eſt in peregrino autem ſolo aliquando floret*, 169, 167. *an Arum Ægyptiacum ſit*, 186. *an antiquorum faba Ægyptia ſit*, 169, 170, 171, 172, 173

Coloſſus *Ægyptius, ſaxum marmoreum maximum, in quo facies ingens exſculpta viſitur*, 33. *per majorem Pyramidem ingreſſum habuiſſe videtur*, 34

Columbæ *ab Ægyptiis tabellariorum loco adhibentur & cur*, 44

Columbus *ita dictus piſcis volans in Ægypto*, 198, 199

Comœdiæ *ab Ægyptiis in Nili fluminis inciſione inſtituuntur*, 60. *admirabili & incredibili arte per umbras in ſcenam productas ſæpe repræſentantur*, 60, 61

Coriandrum ſive Corianum *in Ægypto copioſum, & uſus ejus in ferculis parandis frequentiſſimus*, 156

Crabrones *in Ægypto copioſi*, 205

Crocodilus *beſtia immaniſſima in Ægyto ubinam frequentior obſervatur*, 218. *cur circa inſulam Deltam inveniantur pauciſſimi*, 218. *quam facile a ruſticis, uno vel duobus capiatur*, 218 *cujus ſit figuræ*, 218. *quemadmodum*

dum os illius ab excrementis carnium in dentibus relictis avicula quædam roſtro ſuo purget, 219
Crocodilus, *ipſius caro comeſta ad venerem augendam maxime confert*, 132
Cultura *agrorum in Ægypto propter Nili fluminis inundationem nulla opus eſt*, 6
Cuſſaf *cibi genus maximum in Medicina uſum præſtans*, 69
Cyaneus *lapis in Ægypto punctis aureis micans*, 149. *quem in Medicina præſtet uſum*, 149
Cynocephali *ſimiarum genus maxime libidinoſum & induſtrium*, 240, 241 *variæ illarum figuræ*, 241, 242
Cyperus *eſculentus, radicula parva non longe a Nilo in terra proveniens*, 175

D

Damiata *civitas ad Nilum flumen, ipſius deſcriptio*, 38. *via ab hac civitate juxta Nilum flumen, unica, quæ in tota Ægypto reperitur*, 39
elta *inſula, cur ita dicta & ubinam jaceat*, 14. *propter fœcunditatem inſula aurea Arabibus dicta*, 14. *Orizæ, ſacchari, & ſalis albiſſimi copia ibi ſumma*, 14. *urbs ejus præcipua Fine*, 14. *piſcibus & fructibus ſcatet*, 14, 15
Dentifricia *quibus utuntur Ægyptii ad præſervandos dentes a carie & putredine*, 129, 195
Dipſas *utrum viperæ ſpecies an ſui generis ſerpens ſit*, 210. 211. *illius morſus inexplebilem inducit ſitim*, 21. *ab eo læſi an curari poſſint*, 211
Ditrè *ita dicitur Arabibus pterygium*, 75
Dorſi *labore mulieres pleræque Ægyptiæ laborant*, 77
Draco *verus an fabuloſus ſit ſerpens*, 212, 213
Dromades, *Camelorum genus velociſſimum, in Ægypto & Arabia copioſi*, 223, 224. *quis illorum in bello ſit uſus*, 224

E.

Ebnagel ducam *liber omnia medicamenta tam ſimplicia quam compoſita exhibens*, 119
Elephantiaſis *tam Arabum quam Græcorum in Ægypto graſſatur*, 76, 77
Elephas *animal omnium maxime diſciplinabile*, 236. *quomodo proboſcide ſuo antiquos capitis dolores ſanet & qui id fiat*, 236, 237
Endivia *in Ægypto copioſa*, 155. *radices ejus ſacharo conditæ a caloribus præſervant*, 155
Epidemici *morbi quinam ſint Medicis*, 73. *in Ægypto ſæpe graſſantur*, 74, 77
Equi *in Ægypto præſtantiſſimi*, 47 220, 221
Equites *Ægyptii omnium mortalium dexterrimi*, 47, 48
Eteſiæ *venti in Ægypto aërem maxime temperatum & ſalubrem reddentes*, 5, 6

F.

Faba Ægyptia, *figura ejus Matthiolo delineata videtur ficititia*, 168. *nuſquam in Ægypto reperitur*, 169
Falcones *in Ægypto præſtantiſſimi & copioſi*, 200
Federicus *Imperator, ipſius inſtitutum Hieroſolymam ex Mahometanorum Dominio liberandi quem ſortitum fuerit exitum*, 39, 40, 41. *quid de omni hac re ſentiendum*, 41, 42
Feminæ *in Ægypto non niſi impetrata a Præfecto venia & ſoluto ipſi vectigali artem meretriciam exercere poſſint*, 62. *illis templa ingredi non licet*, 92. *poſt mortem non in Paradiſum ex Mahometis lege, ſed in alia quædam loca amœna veniunt*, 92. *ita plerumque ſunt pingues ut locum mutare vix poſſint*, 185
Fictilia *Ægyptii habent varia & quanam ex materia ea conficiant*, 55, 56, 138
Fiſtula *lignea vel ex alia materia in ædibus*

bus Cairi ad excipiendum ventum ſeptentrionalem, 22, 23

Formicæ *in Ægypto copioſæ,* 205

Fructus, *quos poſſunt, Arabes, ſiccos reponunt, & poſtea toto anno aqua emollitos aſſumunt, more optimo,* 66

Fuè *urbs inſulæ Deltæ præcipua,* 14 *omnium ad victum pertinentium copia ibi incredibilis,* 14, 15

G.

G. *Arabes duplex habent gutturale & non gutturale,* 86

Gait *provincia in Ægypto, ubi ſmaragdorum puteus eſt,* 144

Gallinæ *in Ægypto numeroſiſſimæ,* 200 *nunquam ibi glociunt ſed pulli radiis ſolaribus excluduntur,* 200

Gallinæ *Numidicæ in Ægypto pretioſiſſimæ ſunt,* 201

Gazellæ *in Ægypto copioſæ & cujus ſint figuræ,* 232

Generandi facultatem, *quibus remediis Ægyptii præſervant,* 130 *ſeqq.*

Gemmæ *in Ægypto quænam naſcantur,* 144

Geomantia *ars quædam divinatoria in Ægypto & ſummopere ibi exculta,* 87

Giemalazar *templum Cairi maximum,* 20. *Gymnaſium in eo templo celebre,* 20

Giemen, *male per hanc vocem Syria intelligitur, cum Arabibus notet Arabiam felicem,* 69

Glires *in Ægypto copioſi & eſui grati,* 233, 234

Granatis (*ſyrupus de*) *inter leniter ſolventia præſtantiſſimus quomodo conficiatur,* 15

H.

H. *Arabes habent triplex,* 86

Hæmorrhois, *ſerpens ſumme exitialis, cujus ſit figuræ, & quomodo interimat,* 211

Hebræi *in Ægypto plurimi ſunt, & plerique vectigalia publica conducunt,* 115

Hermodactylus *herba in Ægypto copioſa, ad podagricos & arthriticos dolores tollendos utiliſſima,* 183. *is, qui in Pharmacopeorum officinis reperitur, non eſt legitimus neque quidquam facultatis purgatoriæ habet,* 184, 185, 186. *an ſit ſpecies Colchici,* 188

Herniae *carnoſæ in Ægypto admodum ſunt frequentes,* 74, 75. *trium magnitudine inſignium exemplum,* 75

Hippopotamus *cujus ſit figuræ, animal Niliacum,* 245, 246, 247

Hirundines *duplicis generis in Ægypto inveniantur,* 198

Horreum *Ægypti Cairi exſtructum,* 21. *ſingulo ſeptennio tritico repletur & quomodo per id tempus triticum illud conſervetur,* 21

Hyoſciamum album *circa Pyramidas magnas in ea planicie copioſum,* 179

J.

Iaſpides *in Ægypto varii generis naſcuntur plurimi,* 147. *optimi ex illis Heliotropii dicti,* 147. *inter illos quidam eſt, qui limonis ſucco tinctus ſponte hinc inde moveatur,* 147

Ibis *magno in honore apud Ægyptios habita, quod ſerpentes occidat,* 199. *Duplex in Ægypto invenitur candida una altera nigra,* 199. *Clyſteriorum uſum ab hac ave cognitum fuiſſe tradunt,* 199, 200

Ichneumon *veſpæ genus, quod Phalangium oppugnat,* 204, 205. *ſanguinis eſt expers,* 204

Ichneumon *ſive mus Pharaonis muris genus ſylveſtre cujus ſit figuræ & indolis,* 234. *mures muſtelas feleſque occidit & ex rapina vivit,* 235. *naturale illius adverſus Crocodilum & Aſpides odium,* 235

Jeſrif *liber Arabicus linguæ Arabicæ declinationes continens,* 85

Inciſio Nili *quomodo & quam ob cauſſam fiat,* 9, 10. *ad hanc Chriſtianis accedere non licet,* 10

In-

Inſecta *quæ in* Ægypto *vivunt animalia*, 204. *ſeqq.*
Inuſtionibus *Arabes homines a variis morbis præſervant & obortos tollunt*, 120
Joſephus, *ipſius domicilii veſtigia Cairi ſupereſſe putant quidam*, 21. *quomodo ſeptennio incorruptum conſervaverit frumentum*, 21
Iris *in Ægyptum maxime defertur ex Græcia vel Syria*, 181. *Maximi ab Arabibus æſtimatur*, 181
Judaici lapides *cur ita dicti & cujus ſint figuræ*, 149. *quem in Medicina uſum præſtent*, 149
Juvencæ *ſylveſtres in Ægypto copioſæ & cujus ſint figuræ*, 233. *utrum boves Africani an bubali veterum ſint*, 233

K.

Kali *herba, ex qua uſta parantur cineres, Ægyptus abundat*, 151, 158

L.

Lac *nutricis an probum ſit ſuper ſpeculum experiuntur Ægyptii*, 126
Lacerta Chalcidica, *v. Seps.*
Lapides *varii generis qui in Ægypto reperiuntur*, 142, 143
Lactuca *Ægypto propria & aliis præſtantior, an, ſicuti Galenus voluit, deleteriam habeat frigiditatem*, 63, 64, 153, 154. *probi ſanguinis effectrix eſt*, 64, 154
Lacus *in Ægypto hieme ſiccati, adveniente nova aqua ex aucto Nilo piſciculos generant ex putri materia eſui jucundiſſimos*, 202
Lens & oriza *duo præcipui Turcarum cibi*, 68
Leones *in Ægypto non ita manſueti redduntur ut iis in venatu pro canibus utantur*, 237
Lepores *in Ægypto rari ſunt*, 232
Liguſtrum *in Medicina uſum præſtat maximum*, 125, 192. *aqua ex eo extracta ad quos morbos depellendos proſit*, 125, 192. *oleum quod ex eo conficitur*, 193
Lites *in Ægypto quomodo pertractantur* 91
Lotus *Ægyptia an Nymphææ ſpecies ſit*, 161. *ſeqq. mirabiles illius ad ſolem converſiones*, 161. *Coctas ejus radices per tres menſes comedunt Ægyptii*, 165 *an verum ſit Ægyptios ex ejus ſeminibus panes conficere*, 165.
Lupi *in Ægypto duplo minores ſunt*, 232
Lupus *inter Niloticos piſces primus, vitulo ſæpe major quam vili vendatur pretio*, 201. *pinguiſſimus eſt & ſuaviſſimus*, 202

M

Maligni *morbi, quinam ita Medicis audiant*, 74
Maliſſæ *gallinæ in civitate Cairi anſerum magnitudine*, 27
Malva *in Ægypto copioſa*, 155. *ejus uſus in Medicina*, 155, 156
Mahemetana religio *quid doceat*, 89. *ſeqq.*
Mahemetes *quomodo populo perſuaſerit legem, quam ipſi ferebat, ab ipſo Deo eſſe præſcriptam*, 97, 98
Margaritiferæ *quædam majores conchæ in Ægypto reperiuntur ex quibus vaſa conficiuntur*, 106
Marianus (*Paulus*) *Gallorum in Ægypto conſul, ipſius labor & induſtria de Chriſtianis cum Romana Eccleſia conciliandis*, 103-109. *quomodo ob eam rem conſulatu fuerit ſpoliatus & quid deinde de eo fuerit deliberatum*, 110. *ſeqq.*
Marmora *in Ægypto cujuſque coloris plurima inveniuntur*, 142. *ſeqq.*
Mas, *Leguminis genus maximum in Medicina uſum præſtans*, 86. *utrum hoc piſa ſint Galeni*, 69, 177
Maſve *urbs Cairum, Ægyptiis ita dicta. v. Cairum.*
Matarea *locus extra Cairum civitatem, & domuncula ibidem exſtructa cultu B. Virginis celebris* 24
Mauri, *illorum religio*, 19. *ſeqq. illorum* mo-

monachi & coetus religioſi 93, 94. *je-junium ſingulis annis habent* 32. *dierum*, 95
Medici *in Ægypto non totam profitentur artem ſed tantum quandam ejus partem*, 119, 128
Menſium ſuppreſſione *Ægyptiæ mulieres raro laborant*, 13
Meretrices *in Ægypto, quotannis certum vectigal Præfecto pendere debent*, 62
Meſuag *lignum quoddam quo Ægyptii dentes fricant*, 129, 195, 196
Metallica *quæ in Ægypto obſervantur medicamenta*, 150, 151
Milium *Æthiopicum in Ægypto copioſum, & cujus ſit figuræ.* 177
Mithridatium *ad venerem angendam Ægyptius familiare neque valetudini nocet*, 133
Mogni *liber Arabicus de linguæ hujus elegantia agens*, 85
Morbi *in Ægypto graſſantes*, 73-77
& quomodo curentur,
Morochtus *lapis terra quædam eſt quæ in Ægypto effoditur, & cur ita a Dioſcoride vocetur*, 139-149. 150
Morphea *an nomen ſit Arabicum*, 77
Moſch *planta ſimilis Bammiæ, qua Moſch legitimum adulterant*, 191
Mugiles *varii generis in Nilo obſervantur*, 202
Muli *in Ægypto innumeri, & velociſſimi*, 222
Mumice *medicata Ægyptiorum cadavera, & in perpetuum duratura, quibus condita ſint*, 35 36. *intus continent ſemper aliquod idolum*, 35. *differunt a corporibus arena ſiccatis*, 37
Mures *in Ægypto diverſi generis copioſiſſimi*, 234
Mus Pharaonis *v. Ichneumon*
Muſcæ *in Ægypto copioſæ & oculis moleſtiſſimæ*, 207

N.

Necromantia *in Ægypto maximopere exculta.* 87. 88
Nilus flumen *inundatione ſua agros in Ægypto reddit fertiles* 6. *ipſius incrementum, dimenſio, et inciſio ad agros irrigandos*, 8. 9. 10. *ipſius Aquæ bonitas et præſtantia, uſuſque in Medicina frequentiſſimus*, 11. 12. 13. 76. *duas ad uſum ciborum radices producit et quænam ſint illæ*, 161 170. *quoſnam producat piſces*, 201. *ſeqq.*
Nitrum *Ægyptiorum an antiquis fuerit cognitum*, 141. *uſum in Medicina præſtat maximum*, 140 *ſapor ejus pungens & amarus eſt*, 141 *duo ejus genera*, 141
Noctuæ *in Ægypto copioſiſſimæ*, 198
Nubes *ſervi apud Ægyptios viliſſimi*, 52, 53
Nubia, *incolarum ibi fides ſumma*, 53 *ſerpentes ibi longiſſimi, hominis craſſitie, capita inſtar bovis habentes, & herba ad illos fugandos*, 213
Nymphææ *pulvere liguſtro mixto in febre ardente utuntur Ægyptii*, 125

O.

Oculos *quomodo Ægyptii ab inflammationibus præſervant*, 127, 128
Onagri *uno armati cornu in Arabia multi.* 233
Ophylinus *ſerpens diſciplinæ aptiſſimus & circulatoribus Ægyptiis ob id maxime utilis, cujus ſit figuræ & quam miro procedat modo*, 213, 214, 215
Opium *Ægyptii eo ad augendam Venerem utuntur, ſed tandem Atropiam parit*, 133. *alia ex eo ortæ mala*, 133
Oryza *Turcis in deliciis habita*, 61, 177

P.

Pantheræ *in Ægypto copioſæ & cujus ſint figuræ*, 238 *longe animoſiores ſunt Pardo*, 238. *excrementum odoratum Zebetum*

Parpaver *Ægypto naſcitur nigrum & album*, 159. *albi in Medicina uſus*, 159, 160. *ex nigro capitibus contuſis ſuccum exprimunt, quem pro opio venditant*, 160, 179
Papyrus *planta in Nilo flumine naſcens*, 160
Pardi *in Ægypto copioſi, cujus ſint figuræ & indolis*, 237, 208. *non facile cicurantur at circuratis ad venandas Gazellas utuntur*, 238, 299
Periploca *ubique locorum vivens planta.*
Peſtilentes *morbi quinam ſint*, 73
Peſtis *in Ægypto frequens & ut plurimum vehemens eſt*, 74
Phalangium *quomodo ab Ichneumone conficiatur*, 204, 205
Philonium *Ægyptii eo utuntur ad augendam Venerem*, 133. *miram in corpus humanum vim exſerit*, 133-134. *incommoda, quæ exinde oriuntur*, 34
Ptyas *Aſpidis ſerpentis ſpecies virus ſuum in hominem expuit*, 207. *ejus figura*, 308. *ab eo demorſi voluptate intereunt*, 318
Piper longum *planta in Ægypto copioſa, cujus ſit figura*, 158
Piſces *volantes in Ægypto*, 198, 199
Piſces *qui in Nilo flumine & Ægypti lacubus inveniuntur*, 201. *ſeqq. illorum ova ſale condita in vicinas mittuntur inſulas*, 203
Piſciculorum *mirabilis ex putri materia in lacubus Æygpti generatio*, 202
Plantæ *eſculentæ in Ægypto naſcentes*, 153. *ſeqq.*
Podagra *antiquata Ægyptii non laborant*, 184. *hermodactilus legitimus utiliſſimum contra illam remedium*, 183 *ſeqq.*
Porphyrites *in Ægypto copioſus*, 143 *ex hoc lapide columna Pompeji & aliæ quæ Cairi exſtant ſculptæ ſunt*, 143
Potus *quibus utuntur Ægyptii*, 73-74.
Pſittaci *in Ægyptum complures ex Æthiopia convehuntur*, 200. *majores diſciplinæ capaciores*, 200
Pſyllium *in Ægypto copioſum*, 182. *ſeminum illius in Medicina uſus præſtantiſſimus*, 182
Pterygium, *oulorum dolor, Ditrè Arabibus non Zeber dictum* 75
Pyramides *Regum Ægyptiorum ſepulcra* 28. *duarum ex illis majorum deſcriptio*, 28, 29. *quomodo ad majoris ex illis duabus faſtigium adſcendatur*, 29. *qualis ad eam ingreſſus pateat*, 29. *quomodo ſeſe intus habeant*, 30, 31 *peteus ibidem repertus & ad quem uſum*, 32. *Minor altera Reginæ cujuſpiam eſſe creditur, ſed neque ingreſſum neque adſcenſum extrinſecus admittit*, 33

R.

Ramices *cujuſque generis morbi Ægypti ſunt patrii*, 74, 75
Ranæ *in Ægypto, excepta Peluſio & Damiata, non inveniuntur*, 202
Raſſit *oppidum antiquis Canopus dictum illius deſcriptio*, 37, 31
Rhinoceros, *ex ipſius cornu Ægyptii multi parant vaſcula*, 56
Roſæ *in Ægypto copioſæ* 19. *communium, quas vocant, in Medicina uſus*, 10
Rupeum *Alumen factitium in Ægyptio multo præſtantius eo, quod fit in Italia*, 150

S.

Sal *in Ægypto eſt optimum* 140. *in terræ ſuperficie creſcit*, 140
Sapores *qui tantum ſeptem numero eſſe voluerunt quoſnam intellexere*, 141, 142
Sbechie *campus extra urbem Cairum amoeniſſimus*, 25
Scarificatio crurum *apud Ægyptios adhucdum exercetur*, 119
Schænanthus, *Juncus odoratus in Arabia naſcitur omnium præſtantiſſimus*, 181. *cur flores illius non ita in magna copia ſuppetant*, 182
Scholopendræ *terreſtres in Ægypto copioſæ*,

pioſæ, 207
Scincus *animal amphibium in aqua & in terra vivens in Ægypto frequens*, 217. *illius ad venerem movendam vis maxima*, 217. *cujus ſit figuræ* 217, 118
Scoletitis, *lapis juxta radices montis Sinai naſcens, cujus ſit coloris & figuræ*, 141. *quem in Medicina uſum præſtet* 149
Scorpiones, *in Ægypto alii albicantes alii virides tertium genus non datur*, 205 *ictus illorum adeo exitiales ſunt ut nulla contra illos valeat antidotus*, 205, 206. *oleum ex illis ad Medicinæ uſum paratur*, 205. *Mauris ita familiares ſunt ut illos non lædant*, 206
Segetes *quando in Ægypto matureſcant*, 6
Seps *animal lacertoſum, & lacerta Chalcidica vocata, in Ægypto frequens, & an venenata ſit*, 215
Seps *ſive* Sepedo *ſerpens ſumme exitialis & quomodo interimat*, 211
Sepulcra *Ægyptiorum fuere cubicula intra ſaxeam Pyramidum planitiem excavata*, 34. *qualis ad ea pateat ingreſſus*, 35
Sergius, *primum Chriſtianus, Mahometanæ dein ſectæ auctor præcipuus* 97. *quomodo Mahometem in Lege ipſius promulganda adjuverit*, 97. *exitus ipſius miſerrimus*, 98
Serpentes *in Ægypto cujuſvis generis copioſi*, 217. *ſeqq. in Nubia provincia inveniuntur longiſſimi, hominis craſſitie, capita bovis inſtar habentes & herba ad illos fugandos ibi nata*, 213
Serpentes *quidam ab Ægyptiis comeduntur*, 71
Serpentinus Lapis, *cur ita dictus Jaſpis quidam parvus*, 147
Servæ *apud Ægyptios triplici colore diſtinguuntur, & quænam ſint pretioſiores*, 49, 50
Servos *inter opes Ægyptii numerant*, 49. *plerique ex Nubia & Abiſſia in Ægyptum convehuntur*, 49
Seſami *planta in Ægypto copioſa*, 158 *oleum ex eo confectum præſtantius eſt oleo olearum*, 158
Sife *liber in Medicina optimus & utiliſſimus*, 118
Silex *quidam in Ægypti montibus naſcitur, in quo ſilvæ herbarum & arborum quaſi pictæ imagines cernuntur*, 146, 147
Simiæ *varii generis ex Æthiopia in Ægyptum mercaturæ cauſſa convehuntur*, 240. *variæ illarum figuræ*, 241, 242
Sitis *in Ægypto aegris eſt periculoſiſſima* 76
Smaragdi *pretioſiſſimi in Ægypto ubi effodiantur*, 144, 145. *an in compoſitione electuarii de gemmis præſcribantur*, 145. *quomodo ab Arabibus vocentur*, 145
Solum *in quibusdam Ægypti locis ita nitroſum eſt, ut corpora ibi ſepulta in Mumias ſiccentur*, 37
Sone *horreum Ægypti Cairi exſtructum v. horreum.*
Sphinx *Ægyptia, ipſius deſcriptio*, 33 34
Spodium *Metallicum quem in Medicina præſtet uſum*, 150, 151
Stirpes *quæ in Ægypto naſcuntur*, 152, 153
Stomachi *cruditate plerique Ægyptii laborant*, 77
Struthiocameli *in Ægypto copioſiſſimi* 200
Sues *in Ægypto copioſi & cur a Turcis in ſtabulis una cum equis alantur*, 230

T.

Tabaxir, *caute hæc vox a Medicis accipi debet propter duplicem ejus ſignificationem,* 150, 151
Tamaxir *gummi Indicum, facultatem habens refrigeratoriam,* 150, 151
Terræ, *quas Ægyptus producit,* 137, 138, 139
Teſtudines *in Nilo naſcuntur omnium maximæ,* 202. *ex operimentis ejus uſque quaquam rotundis & amplis clypeos conficiunt,* 203. *Illarum caro ſi bene coquatur eſui ſuavis eſt,* 203
Theriaca *Ægyptiorum quomodo paretur,* 209 *an ſitim inducat,* 210, 211
Theriaca *ad Venerem augendam Ægytiis familiaris,* 133. *qui ea utuntur ſecunda utuntur valetudine,* 133
Tigres *leænis ſunt quam ſimillimæ & nunquam manſueſiunt,* 237
Triphera, *variis ex ea compoſitionibus ad augendam Venerem utuntur Ægyptii,* 133
Triticum *quomodo in borreo Cairi exſtructo per ſeptennium conſervetur,* 21 *quo tempore in Ægypto ſeratur,* 175
Trochilus *avicula, quemadmodum ea Crocodilum ab excrementis carnium in dentibus relictis purget, & volente os claudere Crocodilo iterum evadat,* 219
Turdi *cur de Ægypto pinguiſſimi* 148

V.

Vaſa *apud Æyptios in uſu ſunt murrbina.* 55. *an in Ægypto conficiantur,* 145 *ex qua materia fiant* 145, 146. *vim continent venenis reſiſtendi,* 146
Venæ *ſectio ad præveniendos morbos in Ægypto eſt frequentiſſima,* 126
Venereos *actus quibus remediis Ægyptii excitent,* 130 *ſeqq.* 180
Veneris *dies apud Mauros veluti feſtus eſt,* 92. *ea die omnes Chriſtiani Alexandriæ a Mauris ædibus ſuis orandi tempore includuntur, & quam ob cauſſam?* 92, 93
Erveces *quidam in Ægypto uſque adeo pingues habent caudas ut ad juvandum inceſſum rotulas ligneas illis ſupponent,* 229. *illorum caro omnibus aliis præfertur,* 228
Veſpæ *in Ægypto copioſæ,* 204
Viæ *Cairi quæ ſunt innumeræ noctu portis ligneis clauduntur,* 24
Vinum *Ægyptiis ex Mahemetis Lege non niſi coctum bibere licet,* 90. 91 *ſi biberint qua poena afficiantur* 126
Vipera *Avicennæ legitima cujus ſit figuræ & coloris* 210
Vitiligo *alba & nigra in Ægypto eſt frequens,* 77. *quomodo utraque Arabibus dicatur,* 77
Urſi *in Ægypto non ita copioſi & ovibus non majores neque ita feri,* 232
Vulpes *in Ægypto non ita copioſi & minores,* 232

Z.

Zamarut, *perperam creditur ab Arabibus ita dici ſmaragdus* 145
Zebetum, *ita dicitur excrementum odoratum, quod Pantheræ ex teſtibus exſudant,* 239. *maximo venditur pretio & plerumque adulteratur,* 239

PROSPERI ALPINI,

Maroſticenſis Philoſophi, Medici &c.

HISTORIÆ NATURALIS ÆGYPTI

PARS SECUNDA,

SIVE, DE

PLANTIS ÆGYPTI

LIBER

Auctus & emendatus.

Accedunt Tabellæ Æneæ LXXVII. Plantis ſummo artificio inciſis; ut & Diſſertatio ejuſdem de LASERPITIO, & LOTO ÆGYPTIA.

Cum Obſervationibus & Notis

JOANNIS VESLINGII,

Equitis,

In Patavino Gymnaſio Anatomiæ & Pharmaciæ Profeſſoris Primarii.

Accedunt Ejuſdem

JOANNIS VESLINGII

Paræneſes ad Rem Herbariam & Vindiciæ Opobalſami cum Indicibus Neceſſariis.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GERARDUM POTVLIET,

MDCCXXXV.

PROSPERI ALPINI
ÆGYPTI
HISTORIÆ NATURALIS

TOMUS POSTERIOR.

JOANNI MAUROCENO,

ANTONII FILIO,

Patritio Veneto Clariſſimo,

PROSPER ALPINUS S. D.

Plantarum cognitionem, Joanne Maurocene Clariſſime, à magno illo Chirone Centauro, Saturni filio, vel ab Apolline, vel denique ab Æſculapio (quos pro Diis aliquando cæca mortalitas coluit) inventam, cum Pythagoras, Sapientia clarus tum alii prodiderunt. Poſteaque perſpectis, ad corporum ſanitatem ipſarum apud omnes admirandis viribus, multi non

 ſolum

ſolum ſapientiſſimi Philoſophi, inter quos Democritus, clari nominis vir, iſtius ſcientiæ amore multas regiones peragravit, verum etiam maximi Reges (quorum nomina id ſignificantia hucusque in aliquibus plantis conſervantur) in earum ſtudio plurimum inſudarunt. Non eſt itaque, cur cuipiam mirum videatur, ſi & ipſe de Plantis, quas olim in locis Ægypti inſpexi ac obſervavi, Librum a me conſcriptum, nunc in lucem editurus, Tibi, Viro Generis Nobilitate, ac ſingularium virtutum claritate Illuſtri, dicare voluerim; cum præſertim omnium etiam diſciplinarum ſtudiis Te maxime delectari ſciam. Speravi enim ex hac nova Stirpium Hiſtoria Te non parum voluptatis ſuſcepturum. Accedit etiam, quod cum hic Plantarum Liber, quem una cum aliis Libris, de Medicina Ægyptiorum vocatis, Tuoque Illuſtriſſimo Patri dicatis, nuper conjunxeram, nunc Studioſorum commodo ſeparatim ſit edendus, Tibi, tanquam Patri, cui in primis una cum aliis fuerat deſtinatus, propriori offerendus erat. Quod eo libentius feci, ut plurimam in Te

quo-

quoque ac reliquos Fratres, quibus ſemper fui addictiſſimus, meam obſervantiam perſpectam redderem. Accipe itaque, Vir Clariſſime, hoc Munuſculum a me hilari vultu (etenim, ſi majus quid, vel præſtantius, quo Te dignum ſcio, nunc habuiſſem, Tibi libentius adhuc obtuliſſem) atque ipſum ut a detractorum linguis defendas, Te etiam atque etiam rogo. Vale diu felix meique memor. Venetiis, Anno Salutis humanæ MDXCII.

LECTORI OPTIMO.

Poſt Libros de Medicina Ægyptiorum, en Tibi, Optime Lector, Libellum exhibemus, qui eſt De Plantis Ægypti, quem primo cum illis Libris conjunxeramus; nunc vero tuis commodis conſulentes, ſeparatim inprimendum curavimus. Accipe igitur hilari animo Munuſculum hoc meum, in quo id ſaltem aſſequuti videmur, ut, ob rerum varietatem & Peregrinarum Stirpium Hiſtoriam, atque earundem Effigies, egregie, ut opinor, delineatas, non indigna penitus elegantioribus auribus ſcripſiſſe arbitremur. Vale.

IN-

INCLITÆ NATIONI GERMANÆ

Theologorum, Philoſophorum, ac Medicorum in Lyceo Patavino.

Quod boni viri ſemper habitum fuit, pluribus prodeſſe, ſi me pro viribus conatum fatear, nihil vel à meo munere, vel à modeſtia alienum fecero. Quum enim curæ in primis mihi eſſet, ut quam adieram ſtudio Spartam, ſi non locupletaſſem, aliquâ ſaltem ratione exornarem: meum de re literaria benè merendi ſtudium non minus probatum iri cenſui, ſi eorum Monumenta in lucem revocarem, qui eruditorum conſenſu poſteritatis famâ digni, quàm qui recens aliquam ſibi laudis opinionem pepererunt. Utrumque dum adnitor, operâ ſanè mihi digna ſunt viſa, quorum utilitatem etiam commendaret amœnitas. Inſtituto meo Icones Stirpium divitis Ægypti commodè obtigerunt, quarum Hiſtoriam Proſper Alpinus ingens ſui ordinis noſtrique Gymnaſii ornamentum olim in publicum dederat. Quo ingenio teſtatur ſatis Libri genius,

qui eâ aviditate exceptus; ut plurimis nunc annis ab eruditis, maximeque quos à nobis diviſerunt Alpes, quovis pretio expetitus fuerit. Horum itaque commodis ac voluntati ut porrò ſatisfieret, deſideratum diu Clariſſimi Viri Opus longè quàm antea emendatius, noviſque celeberrimi Doctoris & civis veſtri Joannis Veſlingii Obſervationibus auctius profero. Quod verò inter cæteras potiſſimùm Inclitæ Nationis Germanæ nomen præſcripſerim, ſummum ita ſuaſit ejus in Auctorem ſtudium, quod, nî fallor, earundem literarum ſimilitudo conciliavit. Quis enim orbis angulus ita remotus, quem gens illa magnis cœptis nata non perluſtrat? cui uberrimus improbi laboris fructus, quòd juxta divinam humanamque Sapientiam rei Medicæ, maximeque Herbariæ ſpatia cumulatiſſimè ampliaverit. Vos igitur, Generoſa pectora, quorum laudatiſſima indoles majorum exemplis lætè ſuccreſcit, certum hoc mei in veſtram virtutem obſequii & affectus argumentum habete. Deus nobilem conſeſſum veſtrum in Patriæ & Athenæi noſtri decus perennem conſervet. Patavii Cal. Januar. ciɔ iɔcxxxx.

D. D. V V.

Devinctiſſimus

PAULUS FRAMBOTTIUS.

PROSPERI ALPINI
DE
PLANTIS ÆGYPTI
LIBER.

CAPUT I.

Cur de Plantis in Ægypti locis provenientibus ſit agendum.

ALPINUS, GUILANDINUS.

QUINTA nunc agitur dies, ex qua in viridarium nos colloquendi cauſa convenimus, in quo ubi medicinæ ejus, quæ penes Ægyptios habetur, hiſtoriam ad finem perduxerimus, nihil aliud de illorum medicina dicendum nobis ſuperfuiſſe, arbitror. Quare aliis nos ſermonibus hac die in ſolito hujus amœniſſimi viridarii receſſu, ſub harum arborum umbra ſedentes, animum recreabimus. GUILAND. Quid? an non etiam illorum locorum plantæ agnoſcendæ ſunt? de quibus quidem te ſermonem quoque facturum aliàs es pollicitus: cum ipſarum hiſtoria, ob varias in medendo utilitates, ad ſermones hactenus de Ægyptiorum medicina inter nos habitos

maximè pertinere videatur? nec enim minus ex his utilitatis, atque voluptatis, quàm ex illis nos eſſe ſuſcepturos ſperamus; cum à nullo hactenus illæ rectè obſervatæ, ac traditæ ſint, maximeque quoad ipſarum veras icones, quas nemo profectò hucuſque rectè & accuratè cognovit. Quod quidem ex Caſſia Ægyptiaca, quam vulgus medicorum, fiſtulam, aut ſolutivam vocat, Paliuro Athenæi, quam ii Napca appellant, ex alcanna Avicennæ ſcilicet liguſtro Ægyptio, Cypro à nonnullis dicto: ex balſamo, Acacia, Lycio, Tamariſco, Faba Ægyptia, Stratiote, atque aliis quamplurimis noſtri temporis plantarum ſtudioſis prorſus ignotis, plane eſt manifeſtum. Itaque Ægyptiarum plantarum ſic ab omnibus deſiderata Hiſtoria, non eſt à te nunc ſilentio prætereunda. ALPIN. Poſteaquam te has plantas, quas loca Ægyptia producunt, tantopere ex me audire delectat, cur ego tui obſervantiſſimus, tibi plane morem gerere non debeo? Illas igitur hac die, quoad potero, diligentiùs tibi omnes aperire tentabo, ac præterea quos hæ ad medendum uſus apud eas gentes habeant. GUILAND. Nunquam equidem de plurima tua erga me humanitate, & benevolentia dubitare potui. Quare nihil optatius, ac gratius mihi contingere poterat. Pluresque ideo nunc tibi gratias habeo: tuaque erga me hæc animi promptitudo eſſet nunc multis laudibus efferenda, quod minime faciam, ne ſummam tuam modeſtiam offendam. At hæc nunc omittamus, neque in his hodiernum tempus conteramus. Ubi itaque in viridarii hujus amico receſſu, quo Solis radii pertingere nequeunt, ſub iſtac umbra conſedimus, ut plantarum illarum hiſtoriæ principium facias tempus ſuadet; ac primum ab arborum narratione exordiens, de caſſia fiſtula agito.

Caput II.

De Caſſia fiſtula, Chaiarxambar vocata.

ALPIN. Caſſia fiſtula, quam Ægyptii Chaiarxambar appellant, eſt, arbor nuci, trunco, ramis, foliiſque pro-

CASSIA FISTULA CHAIARXAMBAR. *p. 2.*



TA. I.

proxima, truncus corticem habet planum, mollem, atque cinericium, qualis omninò in creſcenti nuce ſpectatur. Folia multo plura quàm in nuce, alæ adligata pendent, in alis folia decem ſpectantur: totque ex qualibet ferè ala pendere obſervantur, utrinque ordinatim quinque poſita; ſunt etiam hujuſce arboris folia nucis foliis duplo longiora, & in extremo aculeata. Flores fert aureos, multos, leucoiis proximos, ſed multo majores, numeroſioreſque, florum anagyridis inſtar, alæ adligatos, ac pendentes: alæ ſiquidem omnes innumeris fermè floribus onuſtæ ac graves deorſum vergere cernuntur, ſunt etiam hi valde odorati, præſertimque oriente Sole. Ægyptii diluculo per Caſſiarum loca deambulare ſæpius odoris cauſa conſueverunt: quippe aura à caſſiis, eximium ac gratiſſimum odorem ſpirantibus, ad ipſos delata, oblectantur. Apud illos enim florentes arbores aër matutinus perpetuò eximium, ac ſuaviorem odorem redolet. Flos quilibet in medium multa capillamenta, tenuiſſima, roſarum floſculis ſimilia habet, quæ paulatim creſcentia, in craſſiores fiſtulas poſtea mutantur. Spectantur primo ipſa tenuiſſima, obliqua, ac obtorta, deincepſque magis perauctа, craſſiora evadunt, ac magis recta, tandemque juſtam magnitudinem adepta, rectiſſima, ut Calami fiunt. Fiſtulæ majores cannæ craſſioris magnitudine ſpectantur, atque duorum ferè cubitorum longitudine. Arbor florere incipit menſe Junio, floret toto etiam menſe Julio Alexandriæ & Cairi. Peluſii verò, nunc Damiatæ, caſſias menſe etiam Septembri florere vidi. Cannæ vel fiſtulæ toto anni ſpacio maturantur, totoque anno ſemper hæ in arbore manent, quas Ægyptii Junio tantum menſe Cairi colligunt, quo tempore multæ, parvæ, recenter ex primis floribus productæ virides ſpectantur, phaſeolorum ſiliquis valde ſimiles: quæ paulo poſt creſcentes, paulatim viridem colorem in nigrum commutant. Has recentes & parvas, virides aqua in primis ebullitas ſaccharo illi condiunt. Quarum ſic conditarum ingens copia in varias regiones aſportatur. Quæ Peluſii in arboribus leguntur, corticem habent craſſiorem, & parum intus ſubſtantiæ obtinent. Cairinæ verò, & Alexandrinæ cortice conſtant tenuiori, mul-

taque ſubſtantia intus plenæ, ex quo hæ cæteris omnibus bonitate præferuntur. Quæ, ut aliàs quoque dictum eſt, duplicis ſunt differentiæ: etenim aliquæ albæ ſubrubræ, quas Abes vocant, à colore illusce gentis, cernuntur: quæ ſunt omnium optimæ, & aliæ nigræ. Quod de caſſiis aliqui dixere, optimas cannas manibus concuſſas ſonum non edere, ibi planè falſum obſervatur, quandòquidem omnes recentes motæ ſonum edant, atque etiam in arboribus cannas à ventis motas, ſeminibus intus motis, multum ſonum edere quotidie propè eas habitantes, audiant. Quod etiam dulces ſiliquæ faciunt. Quæ verò ex caſſiis non ſonant, ab Ægyptiis vituperantur, opinantibus id ob aqueam humiditatem intus collectam, vitiata pulpa accidere. Neque immaturæ colliguntur, ut aliqui referunt. Emuntur verò ſæpeſæpiùs ab advenis mercatoribus ſenio confectæ, cum ingens copia ſæpè in ædibus ad eam rem paratis, annos ad usque quadraginta adſervetur. Collectas enim ex arbore continuo in opportuna loca ſic ii claudunt, ut nullus aër ingrediatur, cum ex minimo aëris contactu, caſſiæ corrumpantur. Hincque ſæpiſſimè ad nos vetuſtate vitiatæ ac etiam acidæ mitti ſolent; quam ob rem rogatos eſſe velim omnes pharmacopolas, ac medicos, ne poſt hac ſe decipi ſinant, & ſemper ex illis ſeligant recentes, quarum ſubſtantia ſubdulcis eſt, antiquasque acidum, ponticumque ſaporem ſapientes effugiant. Ægyptii caſſiis non utuntur recentibus, ſed ſaltem poſt quartum menſem: quandoquidem juniores, recentioresque inutiles neque à noxa immunes obſervantur. Utuntur verò, atque noſtri quoque faciunt, fiſtularum pulpa vel in bolis, vel in potione, parata. Eſt hæc pulpa quoad calorem temperata, atque humida ſupra primum gradum, bilemque, ac etiam pituitam à ſtomacho, atque venis meſenterii educit, & ſanguinem calidiorem contemperat, atque puriorem reddit. Abiſſina vocata cœteris in urbe Cairi præfertur ad morbos bilioſos, ac melancholicos, præcipueque in affectibus pectoris, à diſtillatione acutorum humorum concitatis, quibus mire ſubvenit. Pulpa hac cum ſaccharo candido, & liquiritia pro ſecreto uti ſolent ad renum, veſicæque vitia: renum enim ex-

tin-

Siliqua dulcis,
CARUB et CARNUB vocata.



tinguit immodicum calorem, humoresque ab his partibus abſtergit, atque per urinam expellit: proinde ipſius frequenti uſu homines ſe à calculis præcavent. Ea etiam utuntur ad tusſim antiquam, dispnæam, aſthma, & orthopnæam cum agarico. Pro calidis articulorum doloribus, maximeque in podagra, dolentibus partibus, emplaſtri modo ipſam adhibent, nec non ad calidas inflammationes eodem modo ejus uſum ſequuntur. Siliquas verò caſſiarum, proinde ac phaſeoli parvas virides in aqua prius parum ebullitas, & mox in umbra ab humiditate ſiccatas, ſaccharo, vel melle condiunt, atque ad uſum ſervant puerorum delicatarumque mulierum; exhibent verò ad ſummum eas usque ad uncias quatuor, & ad unciam in pueris, hiſque utuntur ad eosdem nuper dictos affectus. GUILAND. Placuit mihi hæc caſſiarum hiſtoria, ſed cupio ut tu mihi & caſſiæ, & aliarum, quas obſervaſti, plantarum figuram oſtendas, quandoquidem te probe omnes delineaſſe, ac pinxiſſe certò ſciam, quod nemo antea recte id nobis præſtiterit. Quamobrem prius viſa caſſiæ arboris icone, alias plantas narrare mihi pergito.

CAPUT III.

De ſiliquis dulcibus, Carub, ab Ægyptiis vocatis.

ALPIN. Caſſiæ proxima eſt arbor, Carub vel Carnub ab Ægyptiis dicta, quæ cum in Ægypto naſcatur, dicenda quoque à me erat. Arbor eſt nobis notiſsima, cum harum arborum in multis etiam Italiæ locis multa ſit copia, quales ſunt, quæ in Neapolitano agro, & Apulia cernuntur: in iis locis etenim copioſiſſimi aluntur. Ex hac arbore Ægyptii ſiliquarum tantum uſum cognoſcunt; Mel quidem ex ipſis extrahunt dulciſſimum, quo Arabes ſacchari loco, caſſias ſolutivas recentes ac parvas, zinzibere, mirabolanos, Tamarindos, atque alios multos fructus condiunt. Hujus quoque mellis uſus eſt frequentiſſimus vice veri mellis ad Clyſteres, & aliqui etiam per os ſumendum concedunt ad ſubducendum alvum: ipſo etenim alvus non minus quàm pulpa caſſiæ ibi ad excretio-

nem movetur. Utuntur etiam in renum inflammationibus eo, intus extraque appoſito. Ad tuſſientes, aſthmaticos ipſum non ſecus quàm caſſiam exhibent, valdeque ipſos juvat; non minus decoctum ex ſiliquis paratum eadem hæc præſtat. At modo de ſpina Ægyptia, acacia vocata, multis hactenus ignota loquamur. GUILAND. Nihil mihi carius eſſe nunc poterit, quàm te de hac planta dicentem audire, quem planè in illis locis ejus veritatem cognoviſſe ſcio.

Caput IV.

De Acacia.

ALPIN. Acacia, quam Sant Ægyptii appellant, in Ægypti locis à mare remotis naſcitur: hujuſque arbores copioſiſſimæ in montibus Synai, penes Rubrum mare poſitis proveniunt. Creſcuntque ad mori magnitudinem, ramoſque ſurſum latiùs expandentes; quod etiam Dioſcorides admonuit, dicens: arborem non in rectum ſe attollere. Caudex quanta eſt pruni magnitudo cernitur corticemque habet nigrum, aſperum, multis acutiſſimis ſpinis munitum. Arbores, quæ in prædictis montibus ſpectantur, ſpinis albis horridiſſimæ exiſtunt, aſperrimoque cortice truncus cernitur: Folia oblonga, parva minutiſſimè inciſa habet, tanaceti proxima, & Flores parvos, pallidos ſubflavos, atque etiam albos rotundos, parvos lanæ floccos imitantes, platani fructibus forma plane ſimiles, his tamen longe minores, & nihil aliud flos hujuſce arboris videtur, quàm mollis lanugo parvum rotundumque globulum efformans, non ingrati eſt odoris. Quæ Cayri aluntur, flores habent flavos vel pallidos, & quæ ſunt in montibus Arabiæ, albos. Ex floribus ſiliquæ lupinorum æmulæ proferuntur, ipſis veruntamen minores, inprimis virides, & mox nigræ apparent; quæ ſemina dulcium ſiliquarum ſeminibus ſunt ſimilia, & in ſiliquarum folliculis ſunt concluſa. Folia, flores, ac fructus guſtum aſperitate multa ac ſtipticitate feriunt. Ex immaturis ſiliquis, viridibus ſuccum exprimunt, quem coquunt, ut



TA. III.

ut indurent. Nonnulli etiam ex foliis, floribus imperfectis ſuccum parant, ſed eo eſt hic bonitate inferior. Cairi Coriarii ad denigrandas pelles multam copiam illiuſce ſucci adſumunt. Hujus arboris mas que fœmina reperitur, Mas quidem ſpinis eſt horridus, fructus non edit. Fœmina ſpinis paucioribus, mollioribuſque referta eſt, eaque intra ramos non habet, ſed tantùm extra. Quæ arbor eſt fœcundiſsima, florereque orientibus Pleiadibus, Novembri ſcilicet Menſe incipit, & rurſùm iiſdem occidentibus: ſcilicet menſe Martio, biſque in anno fructus fert, atque maturat. Sine dubio hanc arborem eſſe veram antiquorum Acaciam, vel ſpinam Ægyptiam, ex notis affirmandum eſt: præcipueque quia nulla alia arbor ſpinoſa in Ægypto reperitur, quæ magis notis acaciæ tributis reſpondeat, atque multo magis quod illi Kachiam quoque nominant. GVILAND. Hinc ego multos non poſſum non vehementer admirari, qui neſciant acaciæ verum ſuccum hùc ex Ægypto quotidiè comportari. Nunc enim pauci pharmacopolæ exiſtunt Patavii, ac Venetiis, qui eum ſuccum ignorent, quem Orientalem acaciam appellant, ad illiuſce ſucci, quem multi pro acacia ſubſtituunt, differentiam, qui ex ſylveſtribus prunis à quibuſdam paratur. Neque minus etiam miror nonnullos, quod hanc plantam non à Clariſsimorum Venetorum Conſulum medicis, vel pharmacopolis in Ægypto multos annos verſatis acceperint potiùs, quàm ex Græcia, quam acaciæ feracem fuiſſe nemo antiquorum dixit, veluti multi, quòd in Ægypto hæc planta vivat, ſpinam Ægyptiam ipſam nominarunt. Hujuſmodi itaque plantæ genus non ex Græcia, ut Andreas Mattheolus Byzantio ſe habuiſſe ait, in quo tamen non parùm deceptus fuit, ſed ab Ægypto foret petendum, in qua omnes ſcriptores acaciam copioſiſsmè provenire affirmarunt. Tibique acaciæ illam imaginem, quam Mattheolus pinxit, planè falſam eſſe notiſſimum ex dictis puto. ALPIN. Aliud de acacia erit animadvertendum, quippè multos ſic etiam erraſſe, ut putarint gummam, quam arborem hanc ferre multi meminerunt, apud nos utique non reperiri, neque ex Ægypto veram comportari, quod ipſam forma vermiculari conſtare Dioſcori-

des

des prodiderit. Gummamque hanc, quam falſo Arabicam appellant, ajunt, eſſe ſimilem potiùs aliarum arborum quippè ceraſorum, prunorum, perſicorum, pomorum, pyrorumque gummis. Quare veram Arabicam, vel Ægyptiam, quæ in Caudice acaciæ arboris, ut ſcriptores herbarum prodiderunt, gignitur, nequaquam reperiri. GVILAND. Quid tu ea de re ſentis? ego vero horum eſſe nugas puto. ALPIN. Hoc certè ſcio, me ſæpiſsime hiſce manibus Cairi in Viridariis multis acaciæ arboribus refertis, ex ipſorum truncis multam collegiſſe: ac præſertim in Viridario propè ædem Veneti Conſulis poſito, in quo ſunt multæ arbores acaciæ; ex quibus Gumma manat, pace Dioſcoridis dixerim, non tota, ſed pauciſſima, quæ vermiculari forma ſpectetur, neque tota alba, ac clara. Uno etenim colore, ac una figura neutiquam omnes acaciæ arboris gummæ ſpectantur, talemque formam vel figuram accipit gumma, qualem motus ſucci è cortice manantis fit. Nam, interim ubi admodum eſt craſſus, non multum deorſum movetur, ſed ſtatim ferè excretus coaleſcit, granoſaque gumma tunc fit, tenuiore vero ſucco exeunte, multumque fluxili, aliquando oblongam gummam reddit, atque uno verbo dico, me vidiſſe gummas acaciarum, figura atque colore pleraſque ceraſorum prunorumve gummis haud diſſimiles. Præterea ſcies quoque, totam gummarum quantitatem, quæ ad nos ex Ægypto convehitur, eſſe acaciæ arborem: quandò nulla ibi arbor ſit, hac excepta, quæ gummas educat. Ægyptus ſiquidem ac Arabia, prunis, ceraſis, pomis, atque aliis gummoſis arboribus omninò caret. Ex quo non ex alia, quàm ex acacia gummas Arabes ac Ægyptii colligunt. GVILAND. Vera loqueris, ſed dic quæſo etiam ejus medicos uſus, quos tu apud eam gentem probè obſervaſti. ALPIN. Ægyptii acaciæ arboris utuntur ſucco ex ſiliquis immaturis expreſſo, vel etiam ex floribus, foliis, vel ex fructibus etiam. Succi hujus uſus apud eos frequentiſſimus eſt ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi ſunt frequentiſſimæ, tuendos: ad oris, auriumque omnia ulcera, nec non ad labiorum fiſſuras, ad dentes collabentes roborandos, atque firmandos, ſucco in pulve-

verem redacto, poſt ablutionem ex decocto ejuſdem ſucci, vel foliorum, vel florum, parato, factam, utuntur ſupra gingivas aſperſo, ac eo dentibus confricatis. Sanguinem ſpuentibus dragmam ſingulo mane aliquo liquore diſſolutam, potandam offerunt, mirasque ad quamcumque ſanguinis fluxionem firmandam ſemper vires habuiſſe apud eos cognitum eſt. Ego ſæpiſſimè hoc ſolo auxilio multas mulieres ab immodico uteri profluvio penè mortuas revixiſſe, atque ſanatas fuiſſe certo ſcio. In iis quidem, quæ has immodicas patiuntur vacuationes, clyſteribus ex acaciæ foliorum florumque decocto paratis, in uterum injectis utuntur, atque etiam ſucco pulveriſato, prædicto cum decocto diſſoluto, atque immiſſo. In alvi fluxionibus eodem modo tum clyſteres frequentant, tum per os ſuccum feliciter exhibent. Ad anum, uterumque, foras procidentem ſucco diſſoluto cum foliorum, florumque decocto, nihil habent præſtantius ac frequentius quo utantur. Ad eos, qui ex quacumque cauſa articulos debiles habent, fomentum, ex iisdem omnibus paratum pro præſentaneo auxilio habent; neque immerito; cum acacia prævalidiſſima adſtringendi vi prædita ſit. Omnes ejus fomento utuntur ad defendendos articulos ab humorum decurſu. atque non minus in iisdem tumefactis; atque inflammatis, præſertim in principio dum humores adhuc in curſu exiſtunt. Hincque uſus ad podagricos dolores frequentiſſimus eſt, maximamque vim habet acacia, ut à podagricis incurſibus homines præſervet. Non deſunt, qui ad ea mala non modo foris fomenti, vel balnei modo acacia utuntur, verum etiam ſucci modicum per os ſumere ante fluxionis tempus per aliquot dies conſueſcunt, ut ipſæ internæ viæ anguſtiores factæ minùs curſui humorum pateant. Aliqui, etiam ex ſucco acaciæ, atque aceto linimentum parant, ad liniendos articulos debilitatos, quo ſanè mirifice eos roborant, ac firmant. Multos novi recenter à podagra tentatos, uſu aſſiduo acaciæ planè convaluiſſe; qui ſingulis diebus per horam ad minus, pedes in decoctum acaciæ calidum detinebant; eoque fomentabantur, pedesque abſterſos linimento ex ſucco acaciæ opobalſamo, acetoque parato etiam inungebant. Ad pudendorum, aliarumque

que debilium partium ulcera difficilia, ſucci aqua pluries loti pulverizati uſus eſt illis familiariſſimus, decocto etiam utuntur, ad exſiccandas puſtulas omnes, præſertimque Gallicas, ſed decoctum parant etiam cum modico ligni Guajaci. In pueris etiam ad achores in capite orientes, & decocto, & pulvere utuntur. Hicque acaciæ eſt uſus apud eam gentem nunc frequentatus.

CAPUT. V.

De Paliuro Athenæi, Nabca appellato.

ALPIN. Arbor in Ægypto, quam illi Nabca dicunt, loti magnitudine ſpectatur, inſtar acaciæ ſpinoſa, folia ferens jujubæ proxima, veruntamen latiora, & flores jujubæ floribus quoque planè ſimiles, albos ac parvos, à quibus erumpunt pomula rotunda, odorata, dulcia, guſtuique valdè ſuavia, ceraſorum majorum Maroſticenſium appellatorum æmula, quæ apud primates Ægyptios, ac Turcas ſunt in magno pretio. Arbor bis in anno, ſcilicet vere, ac auctumno flores, fructusque maturat, fæcundiſſimaque exiſtit, veruntamen vere fructus non perfecte maturant, nec ut in auctumno perficiuntur, plerique enim ipſorum prius putreſcunt, quàm matureſcant. Auctumno perfectiſſima ac optima evadunt. GUILAND. Sine dubio hanc arborem eſſe paliurum & connorum olim ab Alexandrinis appellatum, Athenæi ſcriptis conſtat. De qua arbore ſic in lib. 14. ſcripſit: „ Meminit de „ iis Agathocles Cyzicenus his verbis libro Hiſtoriarum Patriæ „ tertio: „ Cum in ſepulchrum fulmen irruiſſet, arbor ex tu„ mulo pullulavit, quam illi connorum nominant. Eſt autem „ planta ulmi piceæque magnitudine, nihilque minor. Trun„ cos habet frequentes, & oblongos, ſpinaſque paulum pro„ minentes: Folium eſt tenerum ac viride, phyæque ſimilli„ mum. Fructum bis quotannis producit, vere ſcilicet, ac „ auctumno, qui dulcis eſt omninò, & olivæ, oleaſtrique fru-

„ ctui

NABCA,
Paliurus Athenæi credita.



TA. IV.

„ ctui ſimilis. Carnem osque illi ſimile habet: at differt, ſuc-
„ ci voluptate, cujus fructus etiam viridis comeditur." AL-
PIN. Sine dubio puto prædictam arborem eſſe cannorum, ſive paliurum eandem, quam Athenæus prodidit, etſi fructus osque non videatur omnino ſimilis Nabca fructui, ac oſſi, quando ii ſimiles pomis ſint, oſſaque rotunda, & non oblonga, qualia in olivis cernuntur exiſtant. Nusquam tamen in Ægypto ex ſiccatis illis fructibus farinam fieri apud eos animadverti. Sed præcipuus uſus ipſorum eſt recentium, ac viridium pro cibo; eis ſiquidem omnibus, atque noſtris, ceraſa mandere, conſuetudo eſt. Sed nunc ad ejus uſum in medicina explicandum tranſeamus. GUILAND. Fructuum uſus eſſe videtur, Arabibusque notiſſimus, de quo Serapio ſic ſcripſit:
„ Sadar duæ ſunt ſpecies: una eſt Affri, & alia eſt Adhal:
„ ſed Affri non habet ſpinas acutas: & folia ambarum ſpe-
„ cierum ſunt lata, & rotunda: & Nabuch ex Adhal ſunt par-
„ vi; & meliores ex eis ſunt illi, qui ſunt ex ea regione, &
„ offeruntur Regibus: & ſunt dulciores omnibus aliis: & me-
„ lioris odoris, & aromatizant os comedentis, & indumenta,
„ ſicut alia aromata." Horum fructuum facultas eſt frigida & ſicca in primo gradu, perfectè maturi aliqualem habent humiditatem, ſunt omnes adſtringentes ante maturationem, quorum uſus frequens eſt ad ſtomachi alvique relaxationem firmandam: ad quæ mala ſuccum etiam ex ipſis immaturis expreſſum, familiariter tùm per os ſumptum, tùm Clyſteribus injectum ſequuntur. Utuntur etiam iiſdem fructibus ſiccatis, atque in aqua infuſis; aqua enim infuſionis ipſorum utuntur, ut dictum eſt, ad relaxationem inteſtinorum, atque etiam ad ulcera inteſtinorum. Sed maturorum ſiccatorum decoctum, vel infuſio familiariſſima eſt ad omnes peſtiferas febres: ajunt enim hos fructus miram adverſus venenoſas qualitates, & putredinem efficaciam habere, corque ſtrenuè roborare. Succus perfectè maturorum optimus eſt ad purgandam bilem à ſtomacho, atque à primis ductibus venarum. In omnibus putridis febribus infuſione ex ipſis parata libenter ad ſedandum calorem utuntur. Eſui ſum-

mè jucundi exiſtunt hi fructus, præcipueque maturi, tamen parum nutriunt, facileque, ut ceraſa, in ſtomacho corrumpuntur, ſi immoderatè ipſorum eſui indulgeatur, ſtomachusque offenditur. GUILAND. Non deſunt multi, qui (neque immeritò) inter jujubas hanc arborem recenſent, quo factum eſt, ut mirum non ſit, aliquos etiam viros doctiſſimos jujubam paliurum eſſe voluiſſe. Sed arboris hujus nunc detegas figuram.

Caput VI.

De Sycomoro Gjumez vocata.

ALPIN. ARbor vaſtiſſima ab Ægyptiis Gjumez vocata, in Ægypto provenit, quam noſtri Sycomorum, ac ficum Ægyptiam appellant. Hanc proceram arborem in arenoſis, ſterilibusque Ægypti locis Natura ſagaciſſima produxit, ſub qua poſſent homines ab injuria radiorum ardentium Solis aliquandò ſe tueri. Maxima ſiquidem arbor eſt ramosque ſic latiſſimè ſpargit, ut magnam umbram viatoribus præbeat, quæ in hujusmodi calidis locis, arenoſis, ac ferè Solis calore inflammatis, libenter expeti ab omnibus ſoleat. GUILAND. In lib. 11. de Alim Facul. Galenus ſcripſit, ſe Alexandriæ Sycomorum vidiſſe parvæ ficui ſimilem: quamobrem creſcentis adhùc, juvenisque Sycomori, & non adulti magnitudinem ſpectaſſe arbitror: quòd tàm grandem arborem, omnibus communem, ipſe non animadverterit. Dioscorides meliùs ipſam deſcribens, dixit. „ Sycomorum aliqui etiam ſycaminam, id eſt morum vocant, cujus fructus Sycomorum, propter inefficacem guſtum appellant. Arbor eſt magna, ficui ſimilis; frondoſa, multo lacte abundans, foliis mori, pomum ter aut quater anno fert, non ramis, ut ficus, ſed caudice ipſo caprifico non diſſimile, dulcius groſſis, ſine granis interioribus: quod non matureſcit, niſi ungue, aut ferro ſculpatur. " ALPIN. Hæc deſcriptio veram utique Sycomori figuram exprimit; ſed ubi ait, foliis mori, adderem

craſ-

Sycomorus GIVMEZ *appellata.* p. 12.



TA. V.

craſſioribus, candidioribus, atque aſperioribus, quod hæc folia non niſi magnitudine ac forma, à ficus foliis differant. GUILAND. Unde Ægyptii dicunt tantam hanc arborem habere cum fico & moro ſimilitudinem, in qua utriuſque figura ſpectatur? ALPIN. Inſitionem fici ſupra morum plures illorum affirmant, veluti Muſam inſitam quoque fuiſſe cannæ ſaccharum ferentis ſupra radicem colocaſſiæ aliquibus eſt ſuaſum: quod tamen nondum experientia verum eſſe didici. Sine dubio in hac arbore, truncus, rami, cortexque ipſorum, fructus, lac, foliorum aſperitas, colorque fici apparet; & foliorum figura, magnitudo moro reſpondet. Fructusque tardè, neque perfectè matureſcere, atque ſaporem aqueum & injucundum habere: hinc ajunt mori frigiditatem impedire, quominus fructus perfectam maturationem conſequantur. Haec arbor, ut multi etiam meminerunt, ſic eſt fœcunda, ut nunquam multis fructibus careat, qui caudici adnaſcuntur, minimeque ramos, neque fructum hæc arbor producit, niſi prius multis verberibus ſæpè laceretur, ſic ut caudicis quoque cortex vulneretur, ex quibus vulneribus lac continuò exit, undè ramus parvus, ficus ferens interim ternos, interim quinos, interim ſeptenos, & plures etiam. Hæc arbor ex ſeminibus non naſcitur, cum ficus ſeminibus careant, ſed ramis inſertis propagatur, eſtque ex iis, quæ citò creſcunt diutiſſimeque, quod mirum videtur, vivunt. Quæpiam Sycomorus in Matthereæ viſitur, quæ ſic ab habitatoribus credita eſt antiqua, ut omnes pro certo habeant in illius trunci cavitate quadam olim Virginem beatiſſimam, iram Herodis Hieroſolyma fugientem, illuc ſe recepiſſe, & Chriſtum puerulum Servatorem noſtrum per multos dies occultaſſe: ex quo ea arbor apud multos in multa eſt veneratione, maximèque ejus trunci meatus, qui Chriſtum occultavit, quem ipſi Dei magni Spiritum fuiſſe fatentur. Fabuloſum eſt quod dicit Matthæolus, truncos ramosque hujusce arboris nunquam ſiccari, ni prius in aqua projiciantur, & morentur aliquantulum. Uſus ficuum in cibo eſt ſtomacho nocuus, ipſumque laxat, labefactat atque ſubvertit. Eas verò ficus utiliter comedunt, qui vel itinere, vel Sole in-

incaluerint, refrigerationeque opus habent, & humectatione: fructus ſiquidem hi frigidi temperatè exiſtunt, multumque humidi, alvum facilè lubricant, atque relaxant, tumores omnes calidos, atque duros ficubus, emplaſtri modo uſi, ſanant. Pauci ſunt, qui ſuccum, ut meminit Dioſcorides, ex trunco vulnerato colligant: affirmant tamen præſentaneum eſſe auxilium ad emolliendos ſcirrhoſos tumores, atque ad peſtem non ignobilem uſum habere.

CAPUT VII.

De Palma Dachel.

ALPIN. PAlma notiſſima eſt arbor non modo Ægyptiis, Arabibus, Syris, aliisque Orientalibus populis, ſed Italiæ quoque multis populis, de qua ob id paucis mihi agendum puto. Arbor eſt ſimplici caudice in rectum ſe attollens, viginti paſſuum & amplius altitudine. Folia enſibus ſimilia habet, deorsùm cannarum modo decidentia. Vere floret. Ramus enim quodam involucro oblongo, veſicæ modo, ad ver usque clauſo, & tunc aperto præditus, flores emittit parvos, albos, odoratos, racematim deorsùm ab involucro reſidentes, ac pendentes. Martio ſiquidem menſe involucra illa ſuis alis adligata aperiuntur, è quibus globus filorum inſitorum proſilit; floresque his filis, vel capillamentis appenſi cernuntur, a quibus dactili parvi virides, uvarum racemos imitantes producuntur, qui Auctumno maturantur. Varii hi fructus inter ſe obſervantur magnitudine, figura & colore. Alii etenim oblongi, magni, craſſi, perindè ac pruna alba (quæ Julio menſe in agro Baſſanenſi maturantur) ſpectantur. Alii ſunt parvi, longi, glandibus quercuum ſimiles, alii rotundi, craſſi. Alii virides, alii albi, alii flavi, aliiquè rubri, immaturi omnes ſapore aſpero ſtypticoque feriunt, maturi dulciſſimi; qui vero propè ſunt, ut perfecte maturentur, guſtum Caſtanearum, dulciorem, ſuavioremque repreſentant. Hæc arbor alternis tantum annis copioſiores fructus edit, neque (quod dictu valde

Palma DACHEL.



TA. VI.

de mirabile videtur) fœminæ concipiunt, ac fructificant, ni in ramis maris fœminæ ramos aliquis permiſcuerit, ac ſe quaſi oſculari permiſerit. Plerique fœminas ut fœcundent, non ramos, ſed pulverem intra maris involucrum inventam ſupra fœminarum ramos, atque cor ſpargunt, vel alii flores maris pulveris loco ſpargere ſolent. Ni enim Ægyptii hoc fecerint, ſine dubio fœminæ vel nullos fructus ferent, vel quos ferent, non retinebunt, neque hi maturescent. GUILAND. Haud credendam iſtam palmarum conceptionem, quæ fit arte à te narrata, arguere videntur innumeri dactili, qui in Arabiæ deſertis feruntur; in quibus ſylveſtrium palmarum ſylvæ reperiuntur, quæ ſine hominum cultu optimos fructus ac copioſos producunt, retinent, ac maturant, ex quo judico fœminas ad fœcunditatem moveri non ramis, vel pulveribus, aut floribus marium, ut Plinius, atque alii quoque meminerunt, ſed magis non ſecus quàm aliæ arbores radicum marium, atque fœminarum contactu facere ſolent, ſe ad fœcunditatem parare. ALPIN. Arabes palmarum cultus periti reſpondebunt, palmarum fœcunditatem in Arabiæ deſertis, licet arte non fiat (quando in his locis hæ arbores, ut dictum eſt, ſine ulla cultura fructus producant) adjuvare ventos, marium è ramis pulveres, floresque ad ramos fœminarum aſportantes. Radicum utriusque ſexus palmarum mutuam conjunctionem eſſe conceptionis cauſam, dicendum non puto, quando ſic brevioribus radicibus palmæ omnes donatæ ſint, ut etſi ferè ſimul cohæreant, nullus tamen radicum contactus inter eas eſſe poſſit; mirabileque dictu, palmarum altiſſimos vaſtiſſimosque caudices ſeu truncos poſſe ſic brevibus, tenuioribus, paucioribusque radicibus in aere ſubſiſtere, neque ſua multa gravitate, ventisque etiam vehementibus ſæpe ipſos quatientibus humi concidere. Accedit, quod caudicis poſtrema pars humi proxima, pondus totius arboris ſuſtinens multo gracilior, atque debilior reliquo caudice exiſtit. Hinc plures Ægyptiorum hoc miraculo ducti dixere, palmas non terra radicibus attracta, ſed aere ex ſublimiori arboris parte ali, ac vivere; quod hac etiam conjectura ſibi ipſis perſuadent. Quia ſi palmæ ſublimior pars, quam

quam cor ipſi vocant, excidatur, univerſam plantam ilicò areſcere obſervarunt: quod non accidit inferiori radicum concifa parte. Non eſt alia ulla arbor palma humano generi utilior, ſiquidem ex truncis domorum trabes faciunt, ex ramis, parietes, multaque alia lignea vaſa ad uſum, quæ Cuffaz nominant; ex foliis flabella & ſportas, è caudicis cortice funes pro navibus. Fructuum verò utilitas ſatis omnibus nota eſt. Sed quem ipſi ad medendum uſum habeant, nunc quoque dicam. Ex fructibus tria ſunt præcipuè, quibus ſanitatis gratia utuntur, quippè ſpartum, pulvis ſparto, vel involucro contenta, atque dactili. Sparti igitur membrana tùm pulvis facta utuntur, tùm ex ea parato decocto. Pulvis maximum uſum habet per os ſumpta ad Diarrheam, lienteriam atque dyſenteriam, non minusque ad omnes alias vel ſanguinis, vel alterius humoris innaturales vacuationes firmandas: præcipuè verò ad hepaticum fluxum, hæmorrhoidum, atque uteri cruéntam vacuationem, atque ad ſputum ſanguinis. Hoc pulvere quoque utuntur ad firmanda ulcera depaſcentia, ad uvæ relaxationem, ad ad dentium commotionem. Decocto ad omnia prædicta quoque utuntur, ſed ſæpè cum eo miſtò prædicto pulvere, articulos debiles aptosque fluxionibus mirum in modum ipſum juvat, eos firmando & roborando. Pulvere vero albo in involucro veris tempore inventa, quandò ſcilicet palmæ florere incipiunt, utuntur familiariſſimè, ad faucium raucedinem, tuſſim, & ophthalmias cum ſaccharo miſto, eſtque ipſe dulcis ſubadſtringens, mulieres eum habent familiariſſimum, ad firmandos menſes retinendumque fœtum. Eundem utiquè uſum habent dactili immaturi tùm in cibum uſitati, tùm ipſorum decoctum, ad ſputum ſanguinis, & quamcumque ſanguinis vacuationem cohibendam: & ad lienterias, diarrhæas, & dyſenterias: ad vomitum ſanguinis, hæmorrhoidas exſiccandas, atque ad ulcera vulneraque ſimplicia perſananda. In frequentiſſimo uſu ad nuper dictos affectus habent ſyrupum ex dactilis immaturis confectum. Iisdem dactilis utuntur probè maturis, qui tunc admodùm dulces exiſtunt, cum obſcura adſtrictione. Idcircò eos frequentant ad faucium rauci-

p. 17.

SEBESTEN DOMESTICA.



TA. VII.

p. 17.

SEBESTEN SYLVESTRIS.



TA. VIII.

tatem, tuſſim, dispnæam, pleuritim, ac peripneumoniam; non minusque ipſorum decoctum frequentatur ad adjuvandas variolarum in pueris excretiones. Vocant arborem Dachel, & ramum cui appenſi ſunt dactyli Samarrhich, dactylorumque involucrum, dux, ac dactylum recenter enixum prorſus immaturum talla, & grandiorem factum nin, & ramich perfectiorem ſive penè maturum; maturumque bellan. Siccos maturos tamar, & qui ferè putridi ſunt rotob, foliaque arboris Zaaf.

Caput VIII.

De Sebeſten.

ALPIN. Sebeſten arboris in Ægypto naſcentis duplex genus reperitur, alterum ſylveſtre pruno ſimile, atque domeſticum alterum, foliis latioribus, craſſioribus à ſilveſtri differens. Utraque arbor flores fert albos, parvos, geranii proximos, à quibus fructus creſcunt parvis prunis rotundisque ſimiles; quorum nuclei tricoſtati cernuntur. Illa arbor fert fructus minores, tardè maturescentes, imperfectiores iis, quos domeſtica Sebeſten profert, qui ſunt majores, melioresque: toto autem anno in arbore fructus cernuntur. Vere florent, Autumnoque fructus maturant, ex pulpa ipſorum optimum viscum conficiunt, quippe Sebeſten maturos contundentes, atque lavantes. Sunt aliqui, qui maſticando, pulpam ab oſſe lingua exſpuentes, viscum parant; quantitatem horum fructuum in vaſe collectam, parum quoad aquea humiditas abſumatur, bullientes. Visco utuntur omnes emplaſtri modo ad omnes ſcirrhoſos tumores. Ipſe quidem calidus eſt in primo gradu, atque humidus in ſecundo; vimque habet attractoriam, attenuatoriam, & reſolventem; reſolvit omnes tumores, & emollit omnem duritiem. Aliqui ad tuſſim ex eo paratos bolos cum saccharo candido, & radicis liquiritiæ pulvere multis diebus ſumunt. Fructuum uſus familiariſſimus eſt ad tuſſim, dispnæam, orthopnæam, pleuritim, peripneumoniam;

& ad vocis raucedinem, parato ex ipſis decocto; quo etiam ad multas febres uti conſueſcunt, præſertim pectore aliquam noxam patiente. Sed nunc de Tamariſco loquamur.

CAPUT IX.

De Tamariſco, atle vocata.

ALPIN. Tamarici, quem Miricam & Tamaricem Dioſcorides nuncupat, ſylveſtris genus, Italiæ eſt notiſſimum, naſciturque propè fluminum ripas, aridaque & ſaxoſa vel arenoſa loca, potiusque apud ſtagnantes aquas, ut docuit Dioſcorides. de hoc non loquimur, quandò ipſo Ægyptus plane careat. Alterum vero tamarici domeſticum genus in Ægypto ſpectatur, proceritate figuraque admodum á ſylveſtri diverſum, quòd ad magnæ olivæ magnitudinem creſcat. audioque etiam ſupra Ægyptum in loco Sahit ab iis populis vocato, creſcere ad magnæ quercus magnitudinem, cujus ex lignis carbones faciunt, quibus tota Ægyptus, & Arabia utitur. ex eoque ligno multa vaſa conficiunt, ad multorum ægrotantium uſum. Folia fert ſylveſtris tamarici foliis proxima, tamen longiora, & graciliora, apparentque multa capillamenta viridia, qualia in aliquibus equiſetis viſuntur, ramo appenſa, ſemper virentia, fructus fert paucos, raros, virides, nucum magnitudine, duros, lignoſos, ſine nucleo, & videntur ejusdem ſubſtantiæ eſſe cum gallis: omnes verò figura inter ſe differunt, quamquam in omnibus aſpera & inæqualis obſervetur, quando alii longi, alii breves, alii rotundi, alii lati, alii craſſi, aliique graciles exiſtant. Uſus Tamarici tùm in Ægypto, tùm magis ſupra Ægyptum, ubi harum arborum copioſus eſt proventus, eſt ad ignem major quando nulla ferè alia ligna ad comburendum habeant. Folia hujusce arboris uſum habent ad lienem induratam, obſtructam, & refrigeratam. Vaſaque ex ligno, ut dictum eſt, conficiuntur, quo lienoſi uti conſueſcunt: ob ejusque multam, quæ ex hoc ligno habetur, ad id morbi genus utilitatem, mirari non debemus,

TAMARICUS ATLE.



TA. IX.

p. 19.

TAMARINDUS DERELSIDE.



TA. X.

bemus, ſi Plinius (quod tamen fabuloſum eſt) dixerit, ſues aſſuetos cibum capere in vaſis è ligno tamarici confectis, liene carere. Mulieres decocto ex Cortice parato utuntur, per os ſumpto, ad ſiſtendas menſtruas purgationes, ex quo parant etiam inſeſſiones, & clyſteribus in uterum injiciunt decoctum. idem quoque fructus facere ajunt. iis ſiquidem utuntur in ſputo ſanguinis, in lienteriis, & in menſtruis plus juſto fluentibus, atque hæmorrhoidarum immodico fluxu. dentes etiam commotos, atque collabentes ipſorum decocto firmant: atque in iis concitatum dolorem demulcent. Utuntur etiam ad oculorum lippitudines incipientes, in collyriis atque ad oris ulcera. Cinis quoque corticum & fructuum ulcera curat. De ligno vero multi decoctum, non ſecus quam noſtri ex ligno Indo ad curandam luem Gallicam facere ſoleant, parant, quod exhibent leproſis, ſcabioſis, atque aliis multis, puſtulis & ulceribus affectis, feliciori cum ſucceſſu. Idemque faciunt in melancholicis, ictericis nigris, & hydropicis ex refrigerato obſtructo, ac indurato liene, concitatis. arborem illi vocant Atle.

CAPUT. X.

De Tamarindo Derelſide vocata.

ALPIN. Tamarindus, quem Derelſide appellant, arbor eſt pruni magnitudine, ramis denſis: myrti foliis Seſban proximis prædita: flores fert albos mali aurantii floribus perquam ſimiles, è quorum medio exeunt quatuor fila alba, & tenuiſſima, ex quibus ſiliquæ craſſæ producuntur primo virides, tandem maturæ cineritiæ, quæ intus nonnulla ſemina craſſa inæqualia, duraque, atque pulpam nigram guſtui acidam, continent. In Ægypto non ſunt admodum hæ arbores copioſæ, neque ſunt patriæ: ex fœlici etenim Arabia atque Æthiopia illuc convehuntur, in viridariisque ſervantur. Miraculi loco habetur, quod dicitur, unam arborem in deſerto Divi Macharii, prope monaſterium Aſſiriorum, vivere, in

quo ſolo nulla alia planta vivit. Hæc planta hoc mirabile habet, quod ejus folia Solem ſemper ſequuntur, Solisque ſequia dicuntur: nam ipſo occidente omnia in ſe clauduntur, eodemque oriente, aperiuntur, atque hæc motio tantam vim habere in iis obſervatur, ut ſiliquas dum habent, occidente Sole, easdem foliis in ſe arctiſſime claudant, & retinere ſpectentur. eodemque oriente, aperiantur, ſiliquasque relinquant. Hanc foliorum converſionem pluribus Ægyptiis aliis plantis communem animadverti, quippe Acaciæ, Abrus, Abſus, Sesban, atque Tamarindo. Utuntur foliis Tamarindi in pueris ad vermes necandos, atque etiam ipſorum vel infuſo, vel decocto ad ſolvendum alvum. acida ſunt folia atque guſtui non inſuavia. Arabes condiunt ſiliquas ſeu cannas hujus arboris parvas ac virides ſaccharo, vel mel Carub, tum etiam grandiores factas atque maturas, condiunt ipſarum pulpam ſaccharo, quam per itinera, quæ in deſertis Africæ locis conficiunt, ſecum viatores deferunt. Qua ſæpè, calefacti, ac ex calore itinereque inflammati valdè ſitientes refrigerantur, atque ſitim reſtinguunt, per alvum plurimum calidorum humorum ſubducentes atque vacuantes. In febribus verò peſtilentibus, atque omnibus aliis ex putridis, exurentibus, aquam, in qua multa copia Tamarindorum infuſa fuerit cum ſaccharo ebibunt: potus ſiquidem ſitientibus ex calore jucundiſſimus eſt, maximeque refrigerat, & ſitim exſtinguit. Ad omnes denique febres putridas à bilioſis, exuſtisque humoribus concitatas, ad hepatisque atque renum calefactiones ac inflammationes, præterea ad gonorrhæam uſum Tamarindorum frequentant; vocant Dereſſide.

Caput. XI.

De Agihalid.

ARbor cernitur in medio cujusdam Eunuchi Turcæ viridario, quod parum ab æde Veneti Conſulis diſtat ex Æthiopia aſportata, magnitudine pyri ſylveſtris, ramis raris non multis, in rectum inæqualiter delatis, ordinatim acutiſſimis,

multis



TA. XI.

p. 21.

UZEG,

Lycium Indicum creditum.



TA. XII.

multis ſpinis obſita, folia præſéferens buxi proxima, tamen latiora, pauca, rara, ſingula, bina æqualibus interſtitiis adnata. Flores habet parvos, albos, Hyacinthi orientalis floribus ſimiles, ſed minores, à quibus prodeunt fructus nigri ebuli ſimiles, guſtu ſubamaros ac adſtringentes. Folia guſtum acido ſapore feriunt, cum aliqua adſtrictione. Hujus arboris foliorum uſum ad pueros vermibus vexatos, in Æthiopia audivi eſſe familiariſſimum. Quid? an non Lycium hanc arborem eſſe putandum eſt, cùm Dioscorides de hoc ſic ſcripſerit: Lycium, quod aliqui Pixaçantham vocant, arbor eſt ſpinoſa, ramis trium cubitorum, aut longioribus, foliis buxi, denſis, fructu piperis, nigro, lævi, amaro, denſoque cortice, pallido, non diſſimili Lycio madefacto, radicibus multis obliquis lignoſis. GUILAND. Agihalid, ut ex tua deſcriptione, quam vidi, non frutex, ſed arbor videtur. Lycium verò fruticem potius eſſe, quàm arborem, ex Dioscoride didicimus. Præterea hic frutex foliis denſis & non raris cernitur, qualia in tuo Agihalid exiſtunt.

CAPUT XII.

De Uzeg; atque an ſit Lycium Indum.

ALPIN. FOrtaſſe arbor illa Agihalid vocata, pro Lycio aſpernanda non eſſet. Sed nunc verum Lycium Indum tibi prodam: quem fruticem longe ab Alexandria Civitate ſupra ripas rami Nili Calig vocati, decem millia paſſuum inveni: quem incolæ Uzeg appellant. eſt igitur frutex multis ramis rectiſſimis, ac radicibus multis, duris, lignoſis obliquè incedentibus, longitudine trium cubitorum & plus obſervatis, ſurſùm aſſurgens, ramiſque ſpinæ acutiſſimæ, & longæ multæque inſunt, quorum quædam foliolis veſtita ſpectantur. Folia verò hujusce fruticis ſunt olivæ ſimilia, iis tamen candidiora & anguſtiora, vel minus lata. Flores Agihalid planè ſimiles habet, quippè parvos, albos, Hyacinthi orientalis forma & magnitudine æmulos: à quibus fructus nigri parvi producuntur,

tur, Buli fructibus prorſus ſimiles, leves, guſtu amari & adſtringentes. GUILAND. Cui dubium hanc arborem Lycium Indicum fore judicandum, modo Dioscoridi credendum ſit, qui ipſum his profectò verbis deſcripſerat, dicens: „Tradunt Indicum fieri Lycium ex frutice Lonchitide appellato: id ſpinarum generi aſcribitur, ramos rectos habens ternum cubitorum longitudine, majoresve, rubo craſſiores, à radice numeroſos. fractus cortex rubeſcit folio oleæ ſimilis." Ex hujus fruticis radicibus forſitan verum ſuccum à nobis deſideratum illi colligunt, ipſumque pro uſu illis non deeſſo puto. ALPIN. Quamquam ibi multa copia Lycii circumferatur, tamen neſcio an ex hoc illum frutice conficiant, quandò neque hanc plantam copiosè in Ægypto provenire cognoverim, neque ſcio illis eſſe notam. Siquidem Lycium ab illis uſitatum falſum ac adulteratum eſſe arbitror. Hic enim ſuccus, qui ex Arabiæ locis aſportatur, durus eſt nigerque exterius, Acaciæ ſucco valde ſimilis. fractus intus colorem aloes præſeferre videtur, odore obſcuro, non ingrato, ſapore ſubdulci, adſtringente, nullius amaritudinis participe: viscoſusque eſt, digitisque contrectatus adhæret. ex quibus verus Lycius à me is non creditur, præſertimque cum neque amaritudinem habeat, neque igne ſuccenſum, ſive ignitum, rubescentem edere ſpumam, ut multi de vero Lycio tradiderunt, obſervamus. GUILAND. Sed cur tu verum ſuccum ex Uzeg perquirere non ſtuduiſti, eaque via certam Lycii ſucci cognitionem venatus non es? ALPIN. Hanc plantam tantum ubi in patriam redirem mihi ſpectaſſe contigit, quando ex urbe Cairo Alexandriam per Nilum flumen navigans, propè hanc urbem ſupra ejusdem fluminis, ut jam dictum eſt, ripas, nonnullos frutices ferè ſæpem facientes, cum floribus, & fructibus jam maturis inſpexerim. Ex quibus ramum decerpſi, atque mecum Alexandriam detuli. Quo frutice ſatis conſiderato, Lycium eſſe ipſum cognovi. neque ipſo cognito tempus mihi ſuperfuit ad experiendum ejus ſuccum à radicibus expreſſum, quippe coactus, quamprimum Alexandriam pervenerim, navim nos pro itinere ibi morantem, conſcendere, experiri non

potui

p. 23. *Ligustrum Ægyptium* ELHANNE *vel* TAMARHENDI.



TA. XIII.

potui ſuccum, qui pro Lycio circumfertur. inter calidum & frigidum medium conſtituunt: ſed ſupra primum gradum ſiccum, ſtipticum, proinde omnibus ulceribus loto utuntur, præſertimque ad oris, aurium, narium, ani, inteſtinorumque ulcera. uſus maximus eſt in collyriis ad ophthalmias arcendas, mulieres enim paratum linimentum ex Lycio & Antimonio habent, quo quotidiè oculos liniunt, ut oculos defendant ab humorum fluxionibus. eo etiam illi ad ventris fluxum utuntur, non minusque ad dyſenteriam. Ad ſputum ſanguinis eo maxima ſpe utuntur, non minusque ad uteri profluvium cohibendum, eo peſſi modo intromiſſo: ad ulceraque pudendorum, præſertim ad caries illum frequentant, ad gingivas corroſas & ulceratas, nec non ad dentium commotionem. in lienteriis, dyſenteriis, atque in fluxu hepatico, clyſteribus eo uti conſueſcunt, atque non minus ipſo aliquo liquore diſſoluto atque ebibito. Nulli dubium quod illitum quamcumque partem à curſu humorum valenter defendit. ex quo ipſum podagricos dolores retardare, compertum eſt. Uzeg appellant.

Cap. XIII.

De Liguſtro Ægyptio, Elhanne, vel Tamarhendi vocato.

GUILAND. Vidiſtine tu ibi ligiſtrum Ægyptium, quod Ægyptii Elhanne, ac Tamarhendi appellant. Ibi ſiquidem ipſorum maximum eſſe proventum audio. ALPIN. Sæpiſſimè inſpexi, ibique ea arbor tùm copioſiſſima eſt, tum etiam omnibus notiſſima: etenim ex foliis magna ubi fiunt commercia, etenim iis utuntur ad tingendum aureo colore. Vere hæc arbor Liguſtro ſimilis apparet, floribus fructibusque exceptis, in quibus videtur aliqua diſſimilitudo inter Elhanne, & liguſtrum, nam etſi flores racematim perindè atque liguſtra ſpargant, tamen & colore; & figura, & odore ab his differunt. florum ſiquidem Elhanne

non

non albus color, ſed cineritius eſt, floresque figura ſambuci floribus proximi apparent, illis tamen ſunt minores; odor etiam Elhanne eſt admodùm acutus, & Liguſtri ſuavior. Fructibus non minus inter ſe differunt, quando Liguſtri ſint baccæ juniperi ſimiles, & Elhanne ſemina rotunda coriandros imitantia exiſtant. Fert etiam folia Liguſtro minus lata, anguſtioraque & candidiora. Fructus, ut jam dixi, ſemina nigra, parva, multa folliculo concludunt, qualia in granis uvarum cernuntur. GUILAN. Quid dubitas, eſſe hunc arbuſtum Liguſtrum? certè inter liguſtrum & hunc aliquam eſſe differentiam, negandum non eſt. quæ ſoli diverſitate etiam accidere poſſet; quandò omnibus conſtet, quantum eædem plantæ in diverſis locis natæ inter ſe differunt figura, atque etiam ſæpe facultate. ut in Rhabarbaro, & Rhapontico videtur, quorum radices, viſu, guſtu, eædem videntur, nihilominùs facultate manifeſte differre compertum eſt. At de Elhanne quanquam aliquo pacto fruticis figura, floribus, & fructibus à liguſtro differat; tamen ad eosdem valere morbos cognitum eſt, quibus Liguſtrum ſubvenire Dioscorides, atque alii prodiderunt; ſed quid plura? cum apertiſſime Dioscorides voluerit hanc arborem eſſe Liguſtrum: ut ex ipſius verbis planè conſtat, quæ hæc exiſtunt. „ Liguſtrum arbor „ eſt, quæ circum ramos folia fert olivæ proxima, ſed latio- „ ra, teneriora, & magis viridia & flores albos muscoſos, „ atque odoratos, ejus fructus eſt niger Sambuci fructui ſimi- „ lis. Nascitur electiſſima in Ascalone & Canope. Folia ad- „ ſtrictoriam vim habent, quare commanducata ulceribus o- „ ris medentur, illita, fervidis inflammationibus, carbuncu- „ lisque proſunt; decoctum eorundem igne ambuſta capil- „ lum ruffant trita folia, quæ in radiculæ ſucco maduerint. „ Flos ex aceto fronti illitus capitis dolorem ſedat." Et de Elhanne, quam Alcanna Avicenna vocat, hæc ferè eadem prodidit, dixit quidem, folia habere adſtrictoriam facultatem, in vulneribusque eandem vim cum draconis ſanguine habere, conferreque decoctum foliorum calidis inflammationibus, & exuſtis ab igne particulis. & oris ulceribus: & cum aceto conferre capiti dolenti. ALPIN. Verè Elhanne Ægyptiorum Li-

guſtrum eſſe Dioſcoridis, conſtat, multo magis, quod nunquam in Ægypto Italicum Liguſtrum inveniatur, in Canopeque tantum Elhanne reperiatur, quæ ibi eſt copioſiſſima, differt verò hic locus ab urbe Alexandriæ decem millibus paſſuum. GUILAND. Hinc quoque apparet hanc arborem eſſe Cyprum Plinii, de quo ipſe lib. Naturalis Hiſtoriæ XXIIII. ſic ſcripſit: „Liguſtrum eadem arbor eſt, quæ in oriente Cyprus." atque in Ægypto naſci etiam his verbis libro 12. „Cyprus in „Ægypto eſt arbor ziziphi foliis, ſemine Coriandri, flore „candido, odorato. Coquitur hoc in oleo, premiturque poſtea, quod Cyprus vocatur. pretium ei in libras quinque „optimum habetur è Canopica in ripis Nili nata, ſecundum „Aſcalône Judeæ. Tertium Cypro Inſula, ôdoris ſuavitate. „Quidam hanc eſſe arborem dicunt, quæ in Italia Liguſtrum vocatur." ALPIN. Flores ſunt in uſu frequentiſſimo dolenti capiti appoſiti, non tamen cum aceto, ut Dioſcorides, atque alii meminerunt, quod ſi feciſſent, manifeſtius, ut arbitror iis floribus juvarentur, intus medicamenti vi, aceto penetrationem adjuvante, deducta. Ex foliis pulverem conficiunt, quem Archenda illi appellant. Hac mulieres utuntur ornatus gratia, manus ac pedes colore aureo tingentes; non autem in ſuccò Lanariæ vel Struthii, ut ait Dioſcorides, ſed ſimplici aqua eam miſcentes, aquam auream faciunt, quæ aureo colore tingit, quod arcanum noſtræ mulieres ſi agnoviſſent pro deaurandis ipſarum capillis, nil haberent, quo ſecurius uterentur, neque ſub radiis ſolis ſe urerent, variiſque modis caput læderent. ex hac pulvere, cum aqua mulſa parata utuntur, ad humidos pedes fluxionibus obnoxios, ac multum exudantes fœtenteſque emplaſtri modo pedibus ipſis appoſita, ac per horam retenta, maxime enim pedes, & quaſcumque alias partes corporis, appoſita exſiccat, ac adſtringit, Nihil habent, quod exudantes pedes plus exſiccet, quam prædicta iſtæc maſſa appoſita, & aliquandiù retenta: pulvere etiam hoc ad ulcera oris, gingivarumque, & pudendorum maximè utuntur.

CAPUT XIV.

De Balſamo, Balaſſan ab Ægyptiis vocato.

GUIL. Nunquid Balſami planta ampliùs in Ægypto vivit? ALPIN. Nequaquam, ſed in Arabia Fœlici, quam Balſami feracem omnes tùm Ægyptii, tùm Arabes prædicant. GUILAND. Igitur Dioſcorides, Theophraſtus, Plinius, Juſtinus atque alii ex antiquis Scriptoribus permulti, qui Balſamum tantum in Ægypto & in Judæa olim vixiſſe prodiderunt, decepti ſunt. ALPIN. Sine dubio illos nòn modo de loco Balſami patrio, ſed etiam de arbore quoque, ſucco, fructibus atque aliis deceptos fuiſſe arbitror, ex quo etiam dubitandum eſſet ipſos Balſami arborem viventem nuſquam vidiſſe. GUILAND. Rem valdè admirabilem prædicas, de qua tibi non ita facile medici certam fidem adhibebunt; quæſo an non Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio, Serapioni atque aliis graviſſimis Scriptoribus de Balſamo magis quàm tibi credendum putas, qui in docenda herbarum ſtirpiumque materia, cæteris præferuntur, ac fide digniores habentur? ALPIN. Etſi in Dialogo olim Cairi conſcripto Balſami veritatem planè meniſeſtam me reddidiſſe puto, nihilominus quandò me nunc ut veram Balſami hiſtoriam narrem provocaſti, ut tecum de ipſa colloquar, atque commenter, effugere nunc non poſſum, quare iterum eadem, quæ olim ſcripſi nunc repetere, cùm res agatur tanti momenti, non me pigebit, & ne longiùs rem producam, dico: Arabiam Fœlicem Balſami locum patrium perpetuò fuiſſe; ac nunquam Ægyptum, ac Judæam Balſami terram patriam fuiſſe, facile hinc conjicitur, quòd omnes, qui de planta Balſami mentionem fecerunt, eam in viridariis ſolùm cuſtoditam, minimeque in aliis incultis locis ſpontè natam, prodiderunt, ut Theophraſtus, Plinius, Solinus & Strabo ſigillatim meminerunt. Plinius ait: „Sed omnibus odoribus præ„fertur Balſamum uni terræ Judææ conceſſum, quondam in duo„bus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum viginti non „amplius, altero pauciorum." & Strabo de Balſamo Vallis Hierici

BALSAMUM, *Ægyptiis* BALESSAN. p. 26.



TA: XIV.

rici ſcribens, dixit: „ Ubi & regia eſt, & Balſami viridarium, „ quæ arbor aromatica eſt & fruticoſa, cythiſo & terebintho „ perſimilis." Nulli dubium eſt plantas peregrinas in viridariis tantum ſumma cura cuſtodiri, & patrias non ſolum in viridariis vel hortis, ſed multis aliis in incultis locis, ſponte natas obſervari. Sed cur ſtudeo tibi perſuadere Balſami plantas in Judæa advenas fuiſſe, cum Joſeph. lib. 5. de Antiquitatibus Judaicis rem planè claram effecerit, qui ibi meminerit, Sabam reginam primam ex Arabia Balſami plantam in Judæam dono Salomoni Regi tuliſſe: ex qua poſtea aliæ propagatæ fuerunt. De Balſamo Ægypti eadem dicenda ſunt, cùm eam plantam ibi in viridario prope locum el Mattharia vocato, ſumma diligentia perpetuò cuſtoditam vixiſſe, omnium Ægyptiorum relatione liquidò conſtet: quod omnes antiqui ac juniores Scriptores fatentur, minimeque in alio Ægypti loco inculto unquàm vivere inventam fuiſſe, non ſemelque ibi periiſſe. atque ex Arabia rurſum aſportatam inſertamque ac renovatam fuiſſe, omnes Cairini affirmant. Anno à partu Virginis Beatiſſimæ MDLXXV. Ægypti præfectus Eunuchus Meſſinor nominatus, dùm quasdam partes Ægypti viſeret, præſertimque el Mattharia, quem locum ob Virginis Beatiſſimæ honorem ac obſervantiam ſingulis hebdomadis die Veneris, quem diem iſti, ac nos Dominicum ſanctificant, adire ac viſere, in ipſoque loco orare conſueverat; proximè cùm eſſet in viridario, videns omnes plantas Balſami exaruiſſe, ac periiſſe, è Meccha quadraginta plantas afferendas curavit, quæ ſane in eodem viridario inſertæ fuerunt, paucisque annis rurſum curatorum negligentia periere. Quamobrem Ægyptii Balſamum ſemper ex Arabia habuerunt; quæ res ſcitu ibi non eſt difficilis, cum ſæpius multi è Meccha per Rubrum Mare Cairum veniant. Iter quidem à Cairo in Meccham eſt facillimum, & frequentatiſſimum; verùm non eſſet inutile nunc me hiſtoriam peregrinorum, qui annis ſingulis illa loca religionis cauſa adeunt, atque viſitant, ſubnectere, ſic enim certiora de loco, ex quo veniat nunc Balſamum, habere poteris; nec non undè Rex Turcarum multum opobalſami habeat. GUILAND. Perplacuit mihi ex te

audiviſſe Arabiam Fœlicem nunc, perpetuoque fuiſſe Balſami feracem, ex Ægyptiorum Arabumque teſtimonio. Quod veriſſimum exiſtimo, quandò Dioſcorides, Theophraſtus, Plinius, Solinus, Serapio, Sethus, atque alii ſcriptum reliquerint, ſolum Ægypto ac Judeæ fuiſſe olim Balſamum conceſſum. Quibus Scriptoribus plena fides fortaſſe haud omninò, me judice, erit adhibenda, cùm permulti alii ex antiquis Arabiam olim quoque Balſami feracem fuiſſe teſtatum reliquerint. Diodorus etenim Siculus in 2. libro ſuarum hiſtoriarum, Balſamum in quadam Valle Arabiæ naſci, & non alibi memoriæ prodidit. & Strabo in 10. lib. Geograph. ait: „ His proxima eſt „ fœliciſſima Sabeorum terra, quæ maxima natio eſt, apud „ hos thus & myrrha, & cinamomum naſcitur, in qua etiam „ Balſamum, & alia quædam herbula valde odorata." & Pauſanias lib. 9. „ De Viperis verò iis, quæ in Arabia inter Balſami „ arbores verſantur, diverſum quidem accepi." Sed cur nos magis Dioſcoridi, Theophraſto, atque aliis de Balſamo quam Ægyptiis & Arabibus propè Balſameta natis credere debebimus? præcipuè quia incertus ſum illos unquam viventem Balſamum offendiſſe, ac inſpexiſſe, & hi in Balſami locis nati (quandò omnium cùm priſcorum, tum hujus ætatis ſcriptis firmiſſime conſtet, Ægyptum Balſami plantas aluiſſe) quàm facilè potuerunt has plantas vidiſſe, ac verè agnoviſſe, à quibus cum conſtet Ægyptum has ex Arabia habuiſſe, cur amplius dubitabimus Arabiam eſſe patrium Balſami ſolum? quæ res apud Ægyptios & Arabes demonſtratione nulla opus habet, cum hi omnes certò ſciant non modò ſuperiori, ſed præſenti quoque ætate Balſami innumeras plantas ex Arabia adductas vivere; atque omnes, quas hactenus Ægyptus habuit, exindè exportatas & ſæpeſæpius eo modo renovatas fuiſſe. Apud me itaque amplius dubium non erit, Dioſcoridem, atque alios Balſamum ſolo Ægypto, ac Judææ conceſſum olim fuiſſe aſſerentes, plurimum deceptos, idque ex aliorum relatione magis, quàm ex vera ſcientia, litteris prodidiſſe. Sed tu tamen ne obliviſcaris jam propoſitam peregrinorum Ægyptiorum hiſtoriam nunc recenſere: quæ mihi gratiſſima erit. ALPIN. In Arabia Fœlici.

ſici civitas eſt primaria Meccha dicta, quæ eſt ad Mare Rubrum ſita: ab ipſaque altera, Medina vocata, diſtat itinere octo dierum, in qua eſt ſepulcrum Mahemetis ipſorum Pſeudopropheтæ; ad quod ſingulis annis ex Ægypto duodecim vel quindecim millia peregrinorum ſe conferunt, ſacrificaturi, & holocauſtum oblaturi. His præficitur Dux quidam, qui trecentorum militum præſidio illos omnes peregrinos Meccham, Medinamque conducat, & mox Cairum reducat incolumes ab injuriis Arabum, qui non rarò in his deſertis eos invadunt, & occidunt, ac deprædantur. Vivunt enim Arabes hi rapina victum quæritantes, ſuntque ferociſſimi, atque audaciſſimi, habentque equos velociſſimos, quibus utantur, legeque ſancitum etiam habent, ut alicubi nunquam conſiſtere queant, ſed continuò equitent, degentes ſub tentoriis. Peregrini itaque duce illo, quem Hamirag appellant, recta via Meccham pergunt, deindè redeuntes proficiſcuntur ad ſepulchrum Medinæ, quod iter perficiunt diebus quadraginta: Medinæ & Mecchæ per alios viginti morantur. Turcarum Rex Medinam mittit duos præfectos, quorum alter ſacris præeſt, & alter prophanis & militibus. Mecchæ verò, quæ Turcarum imperio non omninò obedit, præeſt quidam Arabum princeps, quem Seriph appellant, hoc nomine vocant omnes, qui à Mahemet oriundi ſunt, & ſe illius cognatos ſcripto oſtendunt. Habet hic princeps equitum armatorum decem millia, & viginti quoque millia peditum: quibus timens à Turca ſibi hac itineris occaſione inſidias fieri, ſtatim cum audit peregrinos ad ſua loca appropinquare, recedit à Meccha & in montes ſe recipit, ubi usque dum abierint peregrini, moratur, quibus quotidiè minatur, niſi diſcedant poſt viginti dies, ſe aquas intercepturum, quandò aquæ omnes defluunt ex montibus. Mittit Rex Turcarum huic Seriph munera hæc, quippè chlamydem auratam, ejusque filiis & fratribus centum & quinquaginta millia aureorum ſingulis annis, pro quibus muneribus ipſe Regi Turcarum dono mittit quadringentas petias lineas Indicas ſubtiliſſimas, cujuſmodi eſſe byſſum, de quo meminere ſacræ litteræ, exiſtimari poteſt. Ampliùs cum eo biſſò mittit etiam Regi opobalſami tres quatuorve li-

bras, & præfecto Cairi libram, atque Hamirag peregrinorum ſemilibram. Sunt etiam alii duo duces ſive Hamirag cum multis peregrinis, ſcilicet alter è Damaſco, & alter ex Arabiæ Fœlicis locis, Meccham & Medinam viſitatum venientes, quibus omnibus donat parum opobalſami. Poſtquam omnes Ægypti, Damaſci, Arabiæque peregrini Meccha diſcedunt, ad montem quendam proficiſcuntur, quem appellant Arafat, ad cujus radicem eſt locus, quem Maure vocant, ubi ſacrificant in memoriam ſacrificii, quod fecit Abraham, credentes illum eſſe locum ſacrificii. In medio verò itinere, quod redeundo conficitur, mons eſt arenoſus, in quo multas balſami plantas vivere affirmant, quas miraculo Mahemetis in ſterili illo monte natas affirmant. Cæterùm ne ex hac hiſtoria dubites, tantum opobalſami habere Seriph, ſcito, ibi à Seriph opobalſamum ſolere locari, ſolvuntque, ut audio, aliquot millia aureorum in ſingulis annis; & qui habent ab ipſo conductum, quibus volunt, vendunt opobalſamum, atque hæc eſt hiſtoria de peregrinorum ad eas urbes itinere, ut ex ea etiam ſcias undè ad Turcas tantum opobalſami accedat, atque ut etiam tuam hac de re retineas ſententiam, quippè Arabiam Fœlicem eſſe proprium balſami ſolum, Ægyptum verò peregrinum. GUILAND. Quàm gratiſſimum mihi fuit, ex te diligentem peregrinorum Ægyptiorum peregrinationis hiſtoriam audiviſſe, nec non ex Arabia ſolum Regem Turcarum opobalſamum habere: nunc verò illius planta eſt à te deſcribenda. ALPIN. Balſamum arbuſculum eſt viticoſum, quod creſcit ad altitudinem Elhanne, ſeu Liguſtri vel Cythiſi, folia pauciſſima gerens rutæ proxima, non tamen, ut dicebat Dioſcorides, iis candidiora, ſed potius lentiſci foliis ſimilia cernuntur, ſcilicet colore viridi, ſubalbido, perpetuoque virentia. Ejus lignum gummoſum, leveque apparet, colore exterius ſubrubro, cujus ramuli eodem colore conſpicui ſunt, longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti, foliaque ſimul terna, aut quina, aut ſeptena alæ adnata aliquo pacto lentiſci foliorum æmula. Sunt ramuli odorati, gummoſi, digitisque contrectati eis tenaciter adhærentes. Flores fert parvos albos Acaciæ floribus proxi-

proximos, ternos ſingulis alis appenſos, quaſi in umbellæ formam, ſummè odoratos, odor paululò temporis reſolvitur, à quibus ſemina promanant flava folliculis nigris ſubrubeſcentibus contenta, valdè odorata, intusque humorem flavum melli perſimilem habentia, ſapore ſubamaro parumque acri linguam ferientia opobalſamumque redolentia, terebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata & medium craſſum obtinentia; opobalſamum æſtate à ſcarificato cortice caudicis diſtillat, ſtatimque eductum colore albeſcit, & poſteà in viridem, tertiò in aureum, atque demùm in melleum mutatur. Stillatum etiam eſt clarum, quod mox turbatur, craſſeſcit, & tertiò tenuiſſimum atque clariſſimum fit, tandemque ſenio confectum, ut terebinthina craſſeſcit; olet in principio recentiſſimè deſtillatum acutiſſimò atque eximio odore, quod multis capitis dolorem concitare ſolet, & aliquibus etiam ſanguinem ex naribus promovere; odoris verò illa acuties ac vehementia, ac in Zebet fit, tempore obtunditur, & gratior evadit, ſenio verò confectum vix ſentitur in eo aliquis odor, & ob id Dioſcorides dixerat inutile eſſe antiquum. Eſt etiam in principio leviſſimum, & dilui facillimum, ita ut ſi in aqua vel lacte ex alto diſtillet, in imum vaſis reſidere non patiatur; clàrum verò aureumque redditum, ac ab omni fece purgatiſſimum mediocri lævitate præditum eſt, ita ut inſtillatum in aqua, etſi fundum petat, tamen citò rurſum in ſuperficiem aquæ feratur, cum eaque citò reſolvatur; quæ omnia quò annoſius, eò obſcurius habet. Hincque meritò dicebat Dioſcorides, optimum Balſami ſuccum eſſe recentem, validi odoris, ſincerum, non ad acorem vergens, dilui facilem, levem, adſtringentem, ac modicè mordentem guſtum. GUILAND. Dubium in colore natum eſt; cum tu dixeris in primis opobalſamum ſtatim eductum colore albeſcere, atque hunc colorem brevi tempore in viridem oléoſum mutari, & mox in aureum, & tandem in melleum, & Dioſcorides, quem tu haud negabis verum opobalſamum inſpexiſſe, dixerit ipſum colore lacteſcere. ALPIN. Succum Balſami in aqua inſtillatum & liquatum colorem lactis accipere Dioſcorides ſcriptum reliquit; quod

quod veriſſimum eſt; quinimò hoc eſt ſignum inſeparabile proprium, quod fideliùs oſtendit verum ſuccum balſami ab aliis vitiatis, pro opobalſamo à multis receptis. Multa de opobalſami ſinceri & adulterati notis, eſſent à nobis dicenda, non minusque de carpobalſamo, & xylobalſamo, de quibus medicamentis dubii ſunt ferè omnes recentiores Medici, ſed quia aliàs de his omnibus fuſiſſimè à nobis in Dialogo de Balſamo ſcriptum eſt, quæ omnia cum te jampridem legiſſe & conſideraſſe, certò ſciam, nolo tempus amplius in iis conſumere, ſed ſermonem noſtrum ad alia traducere, proindè qui abſolutam ac perfectam plantæ, ſucci, fructuum, & virgarum rationem audire, ac agnoſcere cupiunt, Dialogum illum legere non graventur, ad quem te quoque pro aliis quæ de Balſamo ſupereſſent, dicenda, remitto. Balſami plantam apud me viventem veriſſimam Jacobus Contarenus Senator Clariſſ. Joannes Vothus nobilis Anglus, Fran. Ferrerius Gallus, Joachimus Jungermannus Germanus, Marcus Fenarius Venetus pharmacopola & plures alii viderunt, verumque etiam opobalſamum ab ejus foliorum alis diſſectis inſtillaviſſe; quod multis maximè mirum fuit, cùm aliàs Italiam hanc plantam habuiſſe, nusquam appareat; uſus tamen in medicina, quos apud Ægyptios habeat opobalſamum carpobalſamum & xylobalſamum, tibi quoque detegere, ac referre nunc conabor; ab opobalſami dotis deſumpto principio. GUILAND. Galenum paucos uſus Balſami in medicina hinc noviſſè putandum erit, quod ipſe in lib. . de Simpl. Med. Facult. omnium ſimplicium medicamentorum uſus copioſè docendo, de Balſamo nihil ad hanc rem protulerit, ut ex ejus his verbis conſtat: „ Balſamum deſiccat & excalefacit „ ſecundo exceſſu; eſt autem tenuium partium adeò, ut odoratum ſit. Sed liquor ejus ſubtiliorum etiam partium eſt, „ quàm ipſa planta, non tamen adeò calidus, ut quidam exiſtimant, tenuitate partium falſi. Porrò fructus ejus perſimilis genere facultatis eſt, cæterùm longè in ſubtilitate partium „ inferior." Sed age tu dic uſus illius apud Ægyptios frequentatos. ALPIN. Nullum certè ibi eſt medicamentum, quo magis, ac frequentiùs gens illa medendo utatur, quàm opobal-

balſamum, quod quidem illi ferè ad omnes morbos, ac ſymptomata adhibent ad eosque maximè, qui vel ex ſimplici temperie frigida & humida, vel à frigidis humidisque ſuccis, vel à venenis, concitantur. Summa cum laude eo utuntur ad omnia vulnera, quo mirificè curantur; quod ego experientia in Petro Mariano Veneto mercatore, in capite à Turcis nocte quapiam usque ad os peſſime lignis vulnerato, didici: Balſamo ſiquidem inuncta ea vulnera per diem tantum, ferè omninò coaluerunt, & eo quàm pauciſſimis diebus, ut is teſtis eſſe poteſt, perfectè ſanatus eſt: utuntur etiam ipſo ad ulcera ſordida, quæ eo mundantur, atque ſänantur. In venenatis, & demorſis à ſerpentibus, atque ictis à Scorpionibus tùm epotum, tùm illitum maximè juvat. In peſte, ut ab ejus contagio defendantur, nihil majus habent, quo utiliùs & tutiùs utantur, ſingulis diebus ejus ſemidragmam deglutientes. Multasque etiam putridas febres eo epoto illi ſanant, largiori ab ipſo erumpente ſudore. In chronicis febribus à crudis frigidisque humoribus, obſtructionibusque viscerum, nihil utilius ac præſtantius experiuntur, quàm opobalſami binos ſcrupulos, vel dragmam per os quotidiè exhibere: liberat enim valenter viscera ab obſtructionibus, caloremque naturalem fovendo crudos humores concoquit, ac digerit. Hincque ejus uſus ad omnes frigidos morbos, ac ſymptomata, apud eos eſt frequentiſſimus. Oculis viſum deperditum, atque auribus auditum inſtillatum reſtituit, auriumque dolores ſanat, præterea ad convulſos ex humiditate ac frigiditate, ad vertiginoſos, epilepticos, reſolutos, trementes, ad tuſſimque ex frigido humore, orthopnœam, & omnem ſpirandi difficultatem, pulmonum fluxiones, humiditates, & dolores, ad ſtomachique frigiditatem, cruditates, atque ad omnes flatuum moleſtias, ad uteri frigidam humidamque intemperiem, ad præfocationes, dolores, ſterilitatem, albos fluores, ad interceptam urinam ex frigiditate, flatu, vel lapidibus, ad calculosque in renibus valenter frangendos, ac abſtergendos, uſus opobalſami eſt apud omnes illos populos notiſſimus, & ad hæc omnia mala præſtantiſſimum illi auxilium experiuntur. *Mulieres verò Ægyptiæ

ſteriles eo tùm epoto tùm ſuppoſito, tùm ſuffito feliciori ſucceſſu ſæpè ad removendam ſterilitatem utuntur. Non minori in uſu etiam habent, ad pulchram faciem efficiendam, quandò eo ipſa illita à rugis defendatur; audio etiam aliquas eo ad conſervandam faciei pulchritudinem ac juventutem non inutiliter uſas fuiſſe. GUILAND. Sed quomodo hæ illo ad conſervandam juventutem utuntur? hic enim uſus quamquam in ore multorum ſit, nihilominus à nullo id diſcere potui. ALPIN. Ut mulieres faciei cutem, dum juvenes ſunt, perpetuò conſervare poſſint, opobalſami uſum in hunc modum ſequuntur. Balſamanda enim mulier (ut ſic loquar) in balneum calidum in primis moratur quouſque multum incaluerit, quo tempore cutem opobalſamo multoties copioſe illinit; à qua linitione per horam & amplius in balneo valdè calido, quouſque recte cutis opobalſamo imbibatur & areſcat, morata, balneum egreditur, ſolitaque munia exercet, permanetque ſic, facie atque pectore opobalſamo inuncta per tres ad minus dies, in quibus nunquam perunctam cutim abluit, vel mundat: ac tertia die ab inunctione, rurſum in balneum eodem jam dicto modo ſe confert, faciemque ac pectus valdè calefactum copioſo opobalſamo multoties perungit: aliquæ ſunt, quæ vel decies una die cutem inungunt, obſervantes commodum intervallum, quo recte cutis peruncta totum opobalſamum imbibat, atque paululum areſcat, ut promptius ſuccum intimiùs haurire queat. Quam opobalſami unctionem hoc modo præſtitam multoties moliuntur; ſaltem diebus triginta. In quibus cutem nunquam lavant, vel mundant; à quibus quindecim & etiam amplius, ſic cute opobalſamo inuncta quieſcunt, quouſque nihil liquoris oſtendat, probeque ab eo ſiccata fuerit; quo tempore aqua fabarum ſtillatitia, prius ad eas partes præmiſſa modica olei amigdalarum amararum inunctione ſe lavant, cutemque multis diebus abſtergunt; atque hæc de viribus opobalſami ſint dicta. Seminum atque virgarum quoque recentium uſus apud illos eſt familiaris. Eis ſiquidem ad omnia ferè, ad quæ opobalſamo, utuntur; præſertimque ad robur ſtomacho conciliandum; ejus enim pulverem cum decocto ſpicæ nardi,

ad

P. 35

CALAF seu BAN.



TA. XV.

ad binas dragmas exhibent; idem præſtat decoctum, quo maximè colorem naturalem fovent, augent, & roborant; utuntur & ipſo in ſpirandi difficultate, tuſſi frigida, atque aliis morbis à frigiditate naſcentibus. Uſum frequentiſſimum habet pulvis, & decoctum ad humiditates uteri exſiccandas, ejusque calorem vivificandum; ſuffitum ex his frequentant ad morbos omnes uteri à cauſa frigida concitatos; eodem modo & ligni uſus eſt. Succus enim, ſemina, ac lignum iisdem facultatibus donata ſunt, ad eademque uſum habent; veruntamen opobalſamum, efficaciùs poteſt, eoque minùs carpobalſamum, omniumque minimè xylobalſamum; at tempus eſt, ut finito hoc ſermone, nos ad alias plantas narrandas tranſeamus. GUILAND. Iſtorum trium medicamentorum uſus omnes etiam Dioſcorides, Avicenna, atque alii multi præclariſſimi Medici docuerant, ex quo mirum non eſt, ſi iis adhibitis ad multa mala, voti compotes Ægyptii fiunt. Sed de Calaf tempus eſt ut loquaris, priùs tamen Balſami vera viſa icone, quàm à Peruis Bei tuo familiari amico Turca Sangiach receptam, aliàs ex te audivi, atque ex tua vivente planta deſcribere potuiſti.

Caput XV.

De Calaf ſeu Ban.

ALPIN. Arbusculum fruticoſum in Ægypto reperitur, quod mea quidem ſententia, Salicis genus exiſtit, naſciturque in locis humidis, foliis aliquatenus Salici proximis, ſed multo majoribus; quippe longioribus, ac latioribus. Floresque ejus ſunt quidam globuli oblongi, albi, lanuginoſi, caudici ponè foliorum radices adnaſcentes, quotque in arbore folia exiſtunt, tot flores emittit; creſcit arbusculum hoc ad vitis magnitudinem ramis multis, ſive ſtolonibus rectis: ex floribus, ut audio diſtillant aquam macahalaf vocatam, quam inſignes vires ad exſiccandam putredinem, atque ad venena, & cor recreandum habere, illi prædicant, in Febri-

buſque peſtilentibus ipſa pro ſecreto auxilio apud illos habetur. Aquam etiam, in qua multi flores infuſi aliquandiu manſerint, vel in qua ebullierint, exhibent ad dolores capitis, atque ad virium recreationem, quam & ipſam validè putredini ac venenis obſiſtere experti ſunt. eſtque ipſorum decoctum, ac infuſio in aqua parata, ad quoſcumque Febricitantes, apud illos in maximo uſu.

CAPUT XVI.

De Bon.

ALPIN. Arborem vidi in viridario Halydei Turcæ, cujus tu iconem nunc ſpectabis, ex qua ſemina illa ibi vulgatiſſima Bon, vel Ban appellata, producuntur: ex his omnes tùm Ægyptii, tùm Arabes parant decoctum vulgatiſſimum, quod vini loco ipſi potant, venditurque in publicis œnopoliis, non ſecus quàm apud nos vinum: illique ipſum vocant Caova. Hæc ſemina ex Fœlici Arabia asportantur. Arbor quam me inſpexiſſe dixi, Evonomo ſimilis obſervata eſt, ſed tamen folia craſſiora, durioraque habebat, viridiora, perpetuoque virentia. Uſus eſt illorum ſeminum omnibus notiſſimus, ad parandum jam dictum decoctum, quod quo pacto ab illis paretur, aliàs à me dictum eſt. Utuntur tamen eius decocto ad roborandum ventriculum frigidiorem, adjuvandamque concoctionem, & non minùs ad auferendas a viſceribus obſtructiones; in tumoribuſque hepatis lieniſque frigidis, & antiquis obſtructionibus, feliciori cum ſucceſſu decoctum multos [illegible] experiuntur. Quod etiam uterum maximè reſpicere videtur: ipſum enim excalfacit, obſtructioneſque ab eo aufert, ſic enim in familiari uſu eſt apud omnes Ægyptias, Arabaſque mulieres, ut ſemper, dum fluunt menſes, ipſorum vacuationem, hujus decocti ferventis multum paulatim ſorbillantes, adjuvent. ad promovendos etiam, in quibus ſuppreſſi ſunt, uſus hujus decocti, purgato corpore multis diebus, utiliſſimus eſt. GUILAND. Avicenna de his ſeminibus meminit, ſimileſque vel

eos



TA. XVI.

BAHOBAB.



TA. XVII.



TA. XVIII.

eosdem uſus à te narratos de his ſeminibus memoriæ prodidit. ipſumque ſemen calidum in tertio, & ſiccum in ſecundo gradu conſtituit, quod tamen verum non videtur quando ſemen ſapore dulceſcat, cum pauco amarore nullamque acrimoniam præſeferat. Nihilominus ipſum obſtructionibus viscerum, frigidisque tumoribus hepatis, vel lienis multum conferre docuit. Sed ait, ſtomacho nauſeam concitare, pituitamque purgare, atque multa alia hæc ſemina præſtare, experientia penes Ægyptios didici. atque hæc eſt arbor, quam Cairi olim inſpexeram.

CAPUT XVII.
De Bahobab.

ALPIN. Bahobab eſt fructus magnitudine mali citri, cucurbitæ ſimilis, intus ſemina nigra, dura, extremis in unum ſe miarcum quaſi inclinantibus, & ſubſtantiam cucurbitarum ſimilem habet, quæ in recentibus eſt humida, rubra, ſapore acido non ingrato; Fructus recenter ab arbore exciſus, guſtui admodum gratus eſt, in Æthiopiæ inflammatis locis, acido ſapore, quem contemperant divites ſaccharo, ſitim valenter exſtinguit, multumque refrigerat. Ibi, ut audio, eo utuntur ad omnes calidos affectus, febresque omnes putridas, præcipueque ad peſtilentes, tùm ejus pulpam cum ſaccharo comedentes, tùm ſuccum expreſſum cum ſaccharo potantes, vel ex eo paratum Syrupum accipientes. Cairi etiam, quo loco recens fructus non habetur, ejus pulpa in pulverem parata ii utuntur, quæ eſt terra rubra, adſtringenti acidoque ſapore guſtum feriens qualis in terra Lemnia obſervatur: eſtque apud multos familiariſſimus illiuſce terræ uſus ad peſtiferas febres; tùm ad ſputum ſanguinis, ad lienterias, dyſenteriam, cruentumque hepaticum fluorem, nec non ad uteri menſes firmandos; alii ejusce terræ in ſubtiliſſimum pulverem redactæ dragmam cum aqua plantaginis diſſolutam, ad eadem exhibent, alii decocto, alii infuſo utentes. Arborem quæ hos fructus fert, vidi ego in quodam viridario, foliis magnitudine ac figura aurantiis valdè ſimilem.

Caput XVIII.

De Goſſipio arboreo, Gotnemſegiar appellato.

GUILAND. Multam ne ibi goſſipii copiam Ægyptii colligunt? Syria etenim, atque Cyprus hujus plurimam copiam producit. ALPIN. Goſſipium Ægyptii ad ipſorum uſum aliundè advehunt, neque enim apud ipſos herbacea illa planta, ex qua Syri, vel Cypri Goſſipium colligunt, adnaſcitur, ſed tantùm quæ arboreus frutex eſt, quæque in quibusdam tantum viridariis provenit, pluribus annis vivens, diſſimilis ab herbacea tantum proceritate, caudicis, ramorum atque foliorum figura. Creſcit autem ad decem uſque cubitorum altitudinem, ſtipite, ramiſque duris lignoſis. GUIL. Quid audio? arboreum Goſſipium ibi ſpectari? nova certè omnibus herbariis planta, nusquam hactenus, viſa, aut cognita. Sed dic quæſo multæne ibi illius Goſſipii plantæ naſcuntur, ex quibus, queant uſum illius uſitatiſſimæ lanuginis explere? ALPIN. Paucæ, & non niſi in viridariis, Goſſipii arbores illæ ſpectantur, quæ eandem, quam herbaceum, ferunt lanuginem: quæ (ob modicam penes ipſos quantitatem) in uſu non eſt, ſed aliundè advecta. Utuntur Ægyptii, linearum petiarum loco, quibus noſtri tantum utuntur; ad ulcera, vulneraque omnia ſananda: quandò lineis petiis, apud noſtros ad vulnera ulceraque frequentata, illi non utantur; adhibent & ipſa, uti noſtri faciunt, ad fluentem ſanguinem ſiſtendum. Seminum quoque mucilaginis uſus eſt frequentiſſimus ad omnes Febres exurentes, atque venena eroſionem ventriculo, & inteſtinis inferentia. Ad tuſſientes ex acrium, ſalſorumque humorum diſtillationibus, Goſſipii plurimus eſt apud eos uſus. In Arabia ex hac xylini lanugine telas illas tenuiſſimas (quas ſeſſa illi appellant, atque multis byſſum antiquorum eſſe perſuaſum eſt) parant, quæ utique ob pulchritudinem ab omnibus commendantur.

Goſsipium arboreum GOTNEMSEGIAR. *p. 38.*



TA. XIX.

P. 39.

SAMBAC LESMIN. *Arabicum.*



TA. XX.

p. 39.

Phaseolus niger LABLAB.



TA. XXI.

CAPUT XIX.

De Sambac Arab. ſive Gelſimino Arabico.

ALPIN. Cairi eſt frutex ſarmentoſus, qui ſarmentis ſerpendo altiùs ſe extollit, foliis mali aurantii proximis, flores albos, octonis foliis præditos, omninò ſimiles vulgaribus Jeſmini floribus, à quibus differunt numeroſioribus foliis, magnitudine odoreque prævalidiori, ac ſuaviori; uſus florum eſt magis ad ornatum corporis, quàm ad ſanitatem; nihilominus parant oleum, quo utuntur mulieres in balneis ad uterum calefaciendum & laxandum, ejus enim ſcirrhoſis tumoribus maximè conferre expertæ ſunt, ut partum etiam faciliorem reddant, oleum hoc & bibunt calidum, & ipſo liniunt extrinſecas uteri partes. Utuntur quoque eò exterius inungentes thoracis regionem, tùm per os ipſum calidum bibentes, ad tuſſim, anhelitusque difficultatem, & ad pleuritim lethalem, in qua ſputum maxima cum difficultate educitur, & ad peripneumoniam, atque ad dolores vehementes ſtomachi, inteſtinorum, atque uteri. Parant hoc noſtri unguentarii ex dulcibus amygdalis atque ſeſami ſeminibus, ex quibus odore florum Jeſmini imbutis oleum exprimunt valdè odoratum.

CAPUT XX.

De Phaſeolo nigro Lablab vocato.

ALPIN. Eſt arbor ſarmentoſa, quæ creſcit ad vitis magnitudinem, ſarmentiſque vitis modo extenditur, ac expanditur foliis, figuraque ſimilis eſt omninò vulgari Phaſeolo, flores fert bis in anno, vere, ac autumno, Phaſeolorum floribus aliquatenus ſimiles, à quibus ſiliquæ longæ, inſtarque fabarum latiſſimæ cernuntur, quæ ſemina nigra Phaſeolis planè ſimilia continent, quorum alia nigra, alia ſubrubra cernuntur. Hæc arbor vivit annos centum, & ampliùs perpetuoque viret.

Ægyptii

Ægyptii Phaſeolos illos in cibo frequentant, noſtriſque non minus guſtui ſuaves exiſtunt. Mulieres utuntur decocto cum croco ad excitandos menſes; præterea utile eſt ad tuſſim, & dispnæam, & ad urinam ſuppreſſam movendam.

Caput XIX.

De Phaſeolo rubro, Abrus vocato.

Eſt etiam arbor fruticoſa, ſarmentoſa, volubilis, atque Lablab modo ſerpens, ac altius ſe extollens, latiusque ſe expandens, foliis Derelſide vel Tamirindi, planè ſimilibus, ſed longè minoribus: moventurque etiam non ſecus, quam de Tamarindi foliis dictum eſt, ad Solem: Occidente quippè Sole clauduntur, totaque clauſa manent, quousque Sol denuò oriatur, quo temporè rurſum aperiuntur. Flores audio ferre hanc arborem Phaſeolis proximos, atque ſiliquas quæ intus habent ſemina parva, rotunda, rubra, dura, Phaſeolis omninò ſimilia: quæ quidem corallorum uniones, quas collo puellæ geſtare ſolent, omnibus planè videntur. Phaſeolorum guſtum & ipſa habent, quorum uſus eſt ad cibum, iisque Ægyptii in jure elixis veſci conſueverunt. Sunt verò cæteris omnibus difficiliora, ex quo ſtomacho maximè infeſta ſunt, flatusque multos concitant, & hypochondriacis valdè noxia obſervantur, ægerrimeque in ſtomacho concoquuntur, & pravum ſuccum etiam generant.

Caput XXII.

De Mauz ſeu Muſa.

ALPIN. Mauz arbor apud Ægyptios vocata, creſcit in multis locis Ægypti, præſertimque Damiatæ, olim Peluſii, ad mali Punici magnitudinem, ſed ramis caret; nam inſtar cannæ folia ſua ſpargit, quæ ſic longiſſima ſunt, & latiſſima, ut ſex, ſeptemque cubitorum in quibusdam viſa ſit longitu-

Phaseolus ruber ABRUS. P. 40.



TA. XXII.

MAUZ *seu* MUSA.

p. 40.



TA. XXIII.

gitudo, & latitudo ferè duorum; ajunt multi inſitam hanc plantam olim fuiſſe cannæ ſaccharinæ ſupra culcaſſiæ radicem, vereque imago utriusque in ea cernitur, longitudinem cannarum, & latitudinem culcaſſiæ in foliis adepta perpetuò viret, nunquam folia decidunt. Hæc planta fructus fert multos, parvis cucumeribus ſimiles ſed racematim multos appenſos. Color ipſorum exterius aureus cernitur, corticesque ſuaviſſimum odorem, atque aromaticum ſpirant; ſubſtantiæ ipſorum cucumerorum perſimilis aliquatenus exiſtit, ſed eſt tamen mollis, pinguis, lenta, dulcis, atque adprimè ſuavis, eam comedere aſſuetis, ſeminum, vel nucleorum expers. Stomachum gravat, difficulter concoquitur, multum nutrit, ſuccumque craſſum ac lentum generat, quo viscera obſtruuntur, præſertimque hepar: eſt tamen auxilio tuſſientibus, ſuſpirioſisque ex calore factis ejusque decocto utiliter utuntur, ad tuſſim ex calidorum humorum deſtillatione genitam, atque ad pleuræ & pulmonum inflammationem, atque ad renes inflammatos, & ad eos, qui mingunt difficulter; ajunt etiam fructuum eſum, vel decoctum aſſumptum, venerem augere. Fructuum cortices exſiccatos multam vim habere ad roboranda omnia viscera illi adfirmant, cordique opem ferre ex ipſis paratum decoctum in aqua calaf. Uſusque hujus decocti ad febres peſtilentes apud eos dicitur valdè utilis: pulverem quoque ipſorum corticum in cordis paſſionibus cum aqua calaf diſſolutam epotant. GUILAND. Planta hæc Theophraſto ſub nomine palmæ fuit nota, atque Serapioni, qui de ipſa ea, quæ ad hominum ſalutem ex te recitantur, eadem ferè dixerunt. Neminem verò novi, qui, quod tu nunc ex Ægyptiorum relatione prodidiſti, affirmarit, quippè hanc plantam è canna ſaccharum gignente, ſupra radicem culcaſſiæ inſitam eſſe: quamquam folia longitudine atque latitudine, utriusque plantæ, foliorum imaginem referre videantur, de qua hæc ſufficiant.

CAPUT XXIII.

De Sesban.

ALPIN. Sesban ibi frutex eſt myrrhi magnitudine, foliis ſecuridacæ, ſed longioribus & anguſtioribus, ramos habens herbaceos teneros; flores fert croceos, anagyridis perquam ſimiles, racematim multos ab ala vel ramulo pendentes, à quibus ſiliquæ longæ producuntur, fænugræco proximos, in quibus ſemina ſunt etiam ſeminibus fænugræci non parùm ſimilia. His fruticibus Ægyptii utuntur ad ſepes texendas pro agrorum diſtinctione. Semina hos in medicina uſus habere novi, etenim ajunt, humentem ſtomachum ſiccare, roborare, & ipſorum quoque uſum tùm in decocto tùm in pulvere affectant ad cohibendum quemcumque alvi fluxum, atque non minùs ad menſtruorum immoderata profluvia ſiſtenda, ex ipſis inſignem utilitatem experiuntur: & ut uno verbo dicam, in omnibus vacuationibus firmandis illorum ſeminum uſum habent frequentiſſimum.

CAPUT XXIV.

De Sophera.

ALPIN. Sophera eſt planta fruticoſa cubitalis altitudinis, galegæ proxima, duris ramis, foliis myrti, tenuioribus multis, utrinque ordinatim alæ appenſis: flores fert croceos, caſſiæ florum æmulos, inodoros; ex quibus ſiliquæ parvæ promanant, quatuor aut quinque ſemina habentes, Sesban planè ſimilia. Ajunt ſemina eſſe venenum hominibus.

SESBAN.

p. 42.



TA. XXIV.

SOPHERA.



TA. XXV.

p. 4[illegible]

BEID EL OSSAR.



TA. XXVI.

Fructus BEID EL OSSAR.



TA. XXVII.

ACHAOVAN ABIAT.



TA. XXVIII.

Caput XXV.

De Beid el oſſar.

ALPIN. Beid el oſſar naſcitur in humidis locis prope Alexandriam in ramo Nili Calig vocato, & Cairi in loco prope el Mattharia ferè perpetuò humido, ac ferè paluſtri, ex aqua Nili ibi diù manente; eſt planta herbacea, fruticoſa, multis ſtolonibus ab radice rectis ſurſum ad duorum ferè cubitorum altitudinem ſe extollens, foliis latis oblongis, rotundis, ut Aloës folia, craſſis, & candidis, ex quibus diſſectis lac album manat; totaque planta lacte abundat; flores fert croceos ranunculi floribus proximos, à quibus loco fructuum duo teſtes invicem adligati pendent, ſatis hominis teſtibus perſimiles, in quibus alba lanugo & ſemina parva, lata, lactucæ ſeminum æmula continentur. Foliis contuſis, tùm crudis, tùm in aqua coctis utuntur emplaſtri modo in frigidis tumoribus, & doloribus; ex lanugine parant cubilia, quibus utuntur. Utuntur etiam ea ad excipiendum ignem ex ſilice excuſſum, tanquam eſca, ac pabulo; tota planta lacte calidiſſimo, ac exurenti ſcatet, quem plures in quibusdam vaſis colligunt ad expilanda coria, ea ſiquidem in eo lacte ſi aliquo tempore maneant, pilis nudantur. Lac quoque ſiccatum præſtantiùs corpora ſolvit, atque dyſentericos fluxus etiam lethales facit. Eſt etiam præſtantiſſimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures alias cutis infectiones ſanandas, eo ſi inungantur partes.

Cap. XXVI.

De Achaovan abiat, id eſt Artemiſia alba.

ALPIN. Naſcitur Cairi in locis multis quædam planta fruticoſa, ramis denſa, quæ trium cubitorum usque ad altitudinem aſſurgit, foliis artemiſiæ intus nigris, atque extra candidis, tota planta lanuginoſa, ſeu hirſuta, floresque fert umbellæ modo, multos, aureos, ſenecioni proximos; qui

tandem in pappum degenerant; flores, foliaque ſunt parum odorata, ſapore ſubdulci cum aliqua ſtipticitate; hanc volunt multi ipſorum eſſe Achaovam majorem ac albam, quippe Artemiſiæ ſpeciem, ex quo ipſi eam appellant Achaovam El chebir abiat. Quam plantam noſtri temporis herbarii alii cinerariam, alii Jacobæam marinam, vocant, Ægyptii ea ad multa utuntur, quippe decoctum ex foliis paratum ad renum, veſicæque calculos pollere ajunt, nec non ad ſanandas viſcerum antiquas obſtructiones, præſertimque ad uteri obſtructiones, frigiditatem, ſtrangulationem, ſterilitatem, *inflationem*, atque ad menſes interceptos revocandos, proindè paratis ex foliis, floribusque in aqua inſeſſionibus mulieres hyſtericæ maxime juvantur. GUILAN. Nova quidem eſt planta. Antiquis incognita, niſi ſub Artemiſiæ ſpecie quis ipſam reponat.

Caput XXVII.

De Bammia.

ALPIN. Bammia eſt planta ad altheæ magnitudinem, foliis floribusque malvæ, aureis tamen, à quibus fructus fiunt, ſimiles quibusdam parvulis cucumeribus, qui ſemina parva, ſubnigra, rotunda continent; quæ apud illam gentem ad cibos in uſu exiſtunt; ex quibus ſeminibus non ſecus quàm noſtri ex phaſeolis, piſis, aliisque leguminibus fercula parant. Frequentiſſimeque his ferculis veſcuntur plerumque in jure carnium paratis; folia, fructusque frigidos eſſe, & humidos in primo gradu ajunt, habereque vim ipſos reſolventem, ac emollientem; proinde pectori ac pulmonibus convenire, ventrem emollire, atque lubricum reddere; fomenti vel emplaſtri modo folia appoſita *inflammationes* reſolvunt, dolores mitigant, tumores emolliunt, concoquunt, ac ad ſuppurandos movent. Mulieres ad uteri duritiem, tum fomentis, tum emplaſtris, tum inſeſſionibus ex foliis ac fructibus procuratis, multa cum utilitate utuntur; in renum verò inflammatione, & calculis, ex iisdem paratum decoctum per os tum

BAMMIA.



TA. XXIX.

MELOCHIA.



ſaccharo candido ſumptum aliquibus diebus, pro ſelectiſſimo auxilio habent; ad ophtalmias etiam finita fluxione decoctum collyrii modo frequentant, atque cum eo fomentare latus dolens in pleuriticis ſolent.

Caput XXVIII.

De Melochia.

ALPIN. Melochia eſt herba blito perſimilis, folia tamen anguſtiora, longiora, acutioraque habens, flores ejus ſunt parvi, crocei, leucoris minoribus, e quibus ſemina parva, nigra melanthio proxima, in quædam obliqua cornua concluſa, producuntur; ſemina ſunt in maximo apud eos uſu ad omnes affectus, quibus ſemina Altheæ conducere compertum eſt; nam melochia facultate planè ſimilis Altheæ videtur: proinde ad ſuppurandos vel concoquendos, reſolvendos, atque emolliendos tumores duros, ejus maximus uſus eſt: habet etiam majorem viſciditatem ejus mucilago, quam Althea. In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius, vel gratius: decoquunt enim in aqua vel jure carnium, ut nos betam elixare ſolemus. Convivia carentia melochiæ ferculis ab his parum reputantur; cibus quidem illis populis melochia eſt familiariſſimus, ex quo multi tamen malè ſe habent, nam parum nutrit, & ſuccum viſcidum gignit, ex quo in difficiles obſtructiones viſcerum, qui eam in cibo frequentant, incurrunt, nihilominus melochiam in cibis non omittunt, præcipueque viſcoſiorem mucilaginem facientem, avidè omnes eſitant. Eſt tamen totius plantæ, vel maximè foliorum decoctum pectori amicum; ipſum enim humectat, ex quo ſiccis, aſperiſque tuſſibus præſentaneum cum ſaccharo candido eſt auxilium; atque ægrè ſpirantibus; Semina quoque pondere duarum drachmarum ſumpta copioſiſſimè purgant omnes humores.

CAPUT XXIX.

De Zatarhendi.

ALPIN. Vocant ii quandam herbam Zatarhendi (quod ex India illuc comportetur) parum creſcentem, foliis craſſis, rotundis, ac albis, ſucco plenis, multum odoratis, quæ neque flores, neque fructus edit; quam multi, ut origanum, ſiccatam pro obſonio comedunt. Audio apud multos ad tuſſim, ſpirandique difficultatem, & ad provocandam urinam, ac menſtruas purgationes in uſu eſſe.

CAPUT XXX.

De Pipere longo.

ALPIN. Eſt quædam herba in viridariis quibusdam cuſtodita, junci foliis, ſed craſſioribus, è quibus ſectis ſuccus quidam flavus manat, valdè acris, ac exurens, totaque planta eſt calida in quarto gradu, magis quàm Piper exurens. Ea utuntur emplaſtri modo appoſita, ad coxendicis dolorem, nec non ad frigidos articulorum dolores; corrigunt verò nimium ejus calorem oleo roſaceo, vel myrtino.

CAPUT XXXI.

De Abſus.

ALPIN. Eſt etiam quædam herbula creſcens palmi magnitudine, vel aliquantò major, foliis trifolii, ſed rotundioribus, quaternis ſingulæ alæ appenſis. Flores parvos, albos, & ſemina pyri ſeminibus proxima ferens, quam Ægyptii Abſus vocant

ZATARHENDI.



TA. XXXI.

FELFEL TAVIL,
seu Piper longum.



TA. XXXII.

ABSUS.



TA. XXXIII.

SEMPSEN seu Sesamum.



TA. XXXIV.

CAPUT XXXII

De Seſamo ſeu Sempſen.

ALPIN. Sempſem, à noſtris Seſamum, planta eſt unius caulis, recti, ſe ad unius cubiti altitudinem extollens, foliis denſis ordinatis totum caulem veſtientibus, ſolatro proximis, floribus albis parvis, à quibus ſiliquæ producuntur quadricoſtatæ, parvæ; ſemina flava, lini ſimilia continent quæ guſtui dulcia exiſtunt; ex quibus oleum, quod Zeid taib appellant illi, quod ad cibos in frequentiſſimo uſu eſt, majorique pretio, quàm olivarum oleum ibi venditur. Folia, ſemina, & oleum ferè ejusdem facultatis eſſe experiuntur, quippè calidæ temperatæ, atque humidæ ad ſecundum gradum accedentis, reſolventis, & emollientis. Plantæ decocto utuntur ad ophtalmias reſolvendas, fomenti modo oculis adhibito; atque ad tuſſim, anhelitusque difficultatem, pleuritidem, peripneumoniam, & tumores duros ſcirrhoſos; mulieres pro uteri duritie inſeſſiones, ex planta, ſeminibusque cum modico mellis paratas frequentant: eodem ad cutis vitia utuntur, quippe ad furfures capitis, livoresque faciei, & nigrores ex ſanguine congelato exortos, calido fomenti modo ſæpè appoſito; ex planta & ſeminibus in aqua concoctis cum modico mellis emplaſtra ad tumores ſcirrhoſos, atque ad exſiccatos nervos parant, quibus utiliter ſemper uti ſolent: quæ etiam ad combuſtas partes utiliter frequentant, non minus quam ad calidas inflammationes reſolvendas, vel ſuppurandas; decoctum etiam in clyſteribus ad colicos dolores, & ad emolliendam alvum affectant. Mulieres ad movendas menſtruas purgationes, decoctum ac infuſum in aqua paratum pro ſecreto auxilio habent; neque ſua ſpe hæ, quibus præ craſſitie ſanguinis, venarumque uteri obſtructione menſes non veniunt, fruſtrantur. Seminis ad cibum uſus eſt antiquatus apud omnes Ægypti accolas, pauci tamen eſt nutrimenti, ſed alimentum unctuoſum ac craſſum præbet; ex quo, quamobrem ipſorum frequenti eſu mulieres impinguescant, facile deprehenditur; quæ verò ipſarum corpora

pora pinguefieri cupiant, ſemina à cortice mundata comedunt, plus pinguefacit oleum ex ſeminibus expreſſum, omniumque maxime fæx olei tachine ab illis vocata. Oleum fæcemque ejus bibere, adhoc ut impinguescant, mulieres in balneis familiariſſimum habent. Oleo etiam ad multa alia Ægyptii uti conſueverunt, quippè ad cutis puſtulas, asperitatem, ac omnem defædationem ex humore melancholico concitatam, tum epoto, tum in cibis frequentato, vel ipſo affectis partibus inunctis. Secretum apud quosdam auxilium eſt, ad cutis pruritus abolendos, ejus quatuor uncias multis diebus bibendam exhiberi; eo etiam illi utuntur, ad anhelitus difficultatem, pleuritim deſperatam, in qua nihil exſpuunt ægroti, atque ad peripneumoniam, nec non ad movendos menſes, atque ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum, uterique dolorum cruciatus demulcendos, intus, extraque præſtito. GUILAND. Tibi gratias multas habeo, qui mihi hujusce plantæ tot tantasque utilitates medicas ab ea gente compertas dixeris, quas dignas auribus noſtrorum quoque medicorum cenſeo, quandò non ſolis Ægyptiis hæc manifeſta fuerint, ſed multi alii præclariſſimi Medici eadem ferè in poſterum memoriæ prodiderint, ut eſt Raſis, Avicenna, Haly, Serapio, atque alii. Sed nunc reſtat, ut plantæ iconem ſpectemus, & an ea ſit, quam aliqui pinxerunt, qui in illa dubii ex Theophraſti lectione decepti videntur; hanc plantam Sempſem appellant.

CAPUT XXXIII.

De Culcas ſive colocaſſia.

ALPIN. Nulla planta Ægyptiis colocaſſia, quam illi Culcas vocant, eſt magis nota, neque magis in uſu, quandò omnes radices hujus plantæ in jure coctas, atque aliis multis modis in cibis paratas aſſiduè eſitent. Non ſecusquàm noſtri rapas; agri colocaſſiis pleni ibi ſpectantur, atque, quod mirabilius videtur, nemo illorum aliquam ipſarum plantarum floribus, vel fructibus usquam præditam vidit. Ego ex innume-

CULCAS seu Colocassia
Faba Ægyptia.



TA. XXXV.

meris illis viventibus à me ſæpè inſpectis, nullam unquam florentem videre aut cum aliquo fructu, vel aliquo caule, potui. Ex quo dubitandum videretur, eam plantam eſſe Græcorum fabam Ægyptiam; planta hæc ibi ſpectatur foliis nenupharis, longioribus, ari proximis, ſine caule, flore, atque fructu: ejus radix magna, craſſa, chinæ radicibus ſimilis cernitur, ſapore ſubamaro acri cum aliqua viſcoſitate, quæ cocta dulceſcit, quotidiè paſſim toto anni tempore per urbem innumeræ radices venduntur, viliori pretio. Hinc ſanè multum ſemper miratus ſum, Dioſcoridem, Ægyptiam fabam flores, atque fructus ferre, & eam item colocaſſiam eſſe prodidiſſe. Quam plantam quoque eo nomine Ægyptii nominant, quippè culcas. Quam nuſquam floruiſſe, nullumque fructum dediſſe, neque vidi, neque aliquem vidiſſe unquam audivi: cujus litem relinquo aliis libentiſſimè dirimendam. Eam tùm crudam; tùm coctam libentiſſimè Veneri indulgentes mandunt, tùm quia putant ſemen multum gignere, tùm libidinem prævalidè movere.

Caput XXXIV.

De Loto Ægyptio Nuphar vocata.

ALPIN. Proximo de Colocaſſia cognito errore, hic alius à nobis de Loto Ægyptio animadvertitur, quandò hæc planta planè eadem ſit, quam noſtri nympheam, atque Arabes Nuphar appellant. In toto quidem flumine Nilo Ægyptia loca lambente nulla alia planta eſt inventa quæ notas loti præſeferat, quàm nymphea ipſa, quæ profectò planta ſimilis eſt, ut de Loto affirmat Dioſcorides, Colocaſſiæ, ſeu Fabæ Ægyptiæ, floremque fert album (loquor de majori nymphea) lilio valdè ſimilem, quam clariùs expreſſit Theophraſtus, qui dixit; & flos candidus, liliis foliorum anguſtia proximus; verè enim hic majoris nympheæ flos eſt, qui Sole occidente clauditur, atque ſub aqua occultatur, atque oriente ſupra aquam aſſurgit, & foras exit, aperiturque. Quod

non modo in Ægypto, verum in multis Italiæ locis in hac planta obſervatur, maximeque in locis omnibus circum Venetias lacunoſis vel paluſtribus. Valles ſiquidem Margheræ, ac Meſtri plurimas has plantas ferunt, in quibus quiſque quod à Theophraſto, Dioſcoride, atque aliis multis de Loto dicitur, planè obſervare poteſt. Et quid? nonne etiam ex flore caput producitur, papaverum capitibus valde ſimile? in quo ſemina multa minuta, qualia verè milii exiſtunt, continentur, radixque craſſa eſt? Non poſſum non vehementer admirari Theophraſtum, Dioſcoridemque, atque alios, qui omnes à nymphea, diſtinctiſſimis capitibus lotum Ægyptium ſejunxerint, quando utraque unum atque idem planè ſit, & mirandæ ad Solem converſiones de Loto celebratæ eædem ſint, quæ in communi nymphea ab omnibus animadvertitur. Ipſa enim occidente Sole florem claudit, deindè tota, cum foliis ſub aqua occultatur, eoque oriente, florem primò extra aquam demittit, aperit, atque paulò poſt cum omnibus foliis ſupra ipſam aſſurgit. Ægyptii caules crudos cum ſuis capitibus per æſtatis calores mandunt: ſubdulces enim ſunt, atque humidi, admodumque refrigerant & humectant, quos appellant Razelnil. GUILAND. Miror equidem non parum Plinii diligentiam, qui hæc ſcripſerit L.II. c.17. & 18. „ Mirum eſt quod præter hæc tra-„ ditur. Sole occidente, papavera ea comprimi, & integi foliis. „ Ad ortum autem aperiri donec matureſcant, floſque, qui „ eſt candidus, decidat. Hoc amplius in Euphrate tradunt, „ & ſcapum ipſum, & florem veſpera mergi usque in medias „ noctes, totumque abire in altum, ut ne dimiſſa quidem ma-„ nu poſſit inveniri. Verti deindè, paulatimque ſubrigi, & „ ad exortum Solis emergere extra aquam ac florem patefa-„ cere, atque etiamnum exſurgere ut planè a' aqua abſit altè. „ Quandò in communi, ut tu dixti, nymphea ponè locum Marghera appellatum, in ſtagnantibus aquis dulcibus, iſthæc omnia plane obſerventur, atque propè Meſtrim civitatem in omnibus illis convallibus. At Nympheæ vel Loti Ægyptii medicos uſus populis cognitos nunc prodeas. ALPIN. Utuntur floribus & foliis contuſis ad omnes calidas inflammationes, at-

que

HAYHALEM EL MAOVI,
id est STRATIOTES.



TA. XXXVI.

que etiam ſucco, præſertimque ad demulcendos dolores, à calida cauſa obortos, lacte atque oleo roſaceo miſto, eodemque itidem modo oleo, quod ex floribus parant ad calidos dolores, inflammationes, exuſtiones, ulcera, & dolores capitis in febricitantibus, vigiliis, tùm exterius folia contuſa applicant, tùm ejus ſucco cum oleo & aceto frontem & tempora, illinunt; ad conciliandum ſomnum ſyrupum ex eo paratum frequentant, atque tùm ſeminum, tùm radicis pulverem ægrotis cum ejus decocto exhibent. Uſus radicis, ſeminumque ſecreti loco habetur apud multos, ad Gonorrhæam, & in mulieribus ad album profluvium firmandum, & ad Dyſenteriam. Multi verò ab hujus plantæ uſu cavent, ejus loco alia ſequentes, eò timore ne eis coëundi tum deſiderium, tùm vires minuantur; apud eos etenim omnes compertum eſt uſum ſeminum, atque radicis homines reddere ad Venerem valdè frigidos, ac tardos. Hinc uſum hunc multos ibi ſanctos Heremitas ſequi audio, ut faciliùs vitam cælibem ducere queant. Sed jam ad papyrum ſermo à nobis convertendus eſt, quandò hæc planta quoque in Nilo flumine naſcatur. Verùm quoniam omnia de hac planta tùm ad cognitionem, tùm ad uſum pertinentia te in Plinii capitis de papyro commentario (quod Papyrum vocaſti) planè proſecutum fuiſſe ſcio, paucis de ea mihi nunc agendum puto.


Caput XXXV.*

De Stratiote, Hay alem el maovi vocato.

ALPIN. PELUSIUM nunc Damiata vocata, civitas in Ægypti humiliori ſolo poſita eſt; quo fit, ut Nilo flumine ad eam perlabente (quod penè ipſam ſpacio quinque millia paſſuum in mare mediterraneum evomit) largiùs ejus ſolùm inundetur, & ad libitum irrigetur. Hincque multo lætiora atque amœniſſima, quàm in toto Ægypto reperiantur propè hanc urbem, viridaria caſſiis, limonibus, muſis, vitibus conſita, atque inter ſe more Italico foſſis (quæ alibi in tota Ægyp-

gypto nuſquam reperiuntur) aqua fluminis decurrente plenis, diſtincta ſpectantur. In illis itaque foſſis quæpiam herba copioſè provenit, aquæ lenticulæ paluſtris modo ſupernatans, ſine caule, foliis Cynogloſſi, brevioribus, latioribus, denſioribus, durioribus, hirſutioribuſque ac albidioribus, à quibus pro radicibus exigua ac rara quædam lanugo pendet. Quæ planta majori ſedo, vel ſempervivo eſt ſimilis, Quam appellant Hay alem el maovi, quaſi dixerint aquoſum ſedum. Nullo odore eſt referta, eo excepto, quem ab aqua accipit; ſapore tamen adſtringenti, ac ſicco linguam ferit, non ſecus quam acacia faciat. Ad eadem ipſa mala ii utuntur, quibus plantaginem conducere compertum eſt. Ex quo mulieres ruſticæ, quas Bedovi vocant, ad ſiſtendam ſanguinis eruptionem ex utero, atque aliis partibus, ejus decoctum, vel ſuccum, vel pulverem per os quotidiè ad drachmæ pondus ſumunt. Ruſtici quoque ad vulnera ſananda foliis contuſis ſuperpoſitis utuntur, mirificeque ea ſanant; eamque frigidam uſque ad primum gradum, & ſiccam ſupra ſecundum illi eſſe arbitrantur. GUILAND. Hanc plantam verum eſſe Stratiotem antiquorum exiſtimo, de qua Dioſcorides hæc nobis prodiderat L.IV. c. 103. „ Stratiotes in aquis naſcens, aliquibus fluviatilis Stratiotes nuncupatur; Ægyptiis „ Tibus, Magis Æluri ſanguis. Aquis ſupernatat, & ſine radice „ vivit, undè cognomen traxit. Herba ſempervivo ſimilis, ni „ majora haberet folia, „ Ad eademque mala, ad quæ ea Ægyptios nunc uti dixiſti, præſtare Dioſcorides etiam ſcribit L.XXIV. c. 18. Itaque nonerit dubitandum hanc herbam eſſe Stratiotèm. Quod clariùs Plinius demonſtraſſe hiſce verbis etiam viſus eſt. „ Celebratur autem & à Græcis Stratiotis, ſed ea in Ægypto tantum, & inundatione Nili naſcitur, aizoo ſimilis, ni majora haberet folia. „ ALPIN. Verùm loqueris. Sed ad alia tranſeundum eſt.

STRATIOTES
averſis foliis.



TA. XXXVII.

p. 53.

Cyperus HODVEG.



TA. XXXIX

Caput XXXVI.

De Papyro Berd vocata.

ALPIN. Papyrus, quam Berd Ægyptii nominant, eſt planta fluminis Nili, binis aut pluribus caulibus rectiſſimis ſupra aquam ſex, ſeptemve cubitis aſſurgens. Cauliumque in faſtigiis ſcapus innumeris capillamentis, longis, rectiſque contextus, cernitur. Foliis quoque conſtat multis rectis, enſiformibus, tiphæ aliquatenus ſimilibus, triangularibus, ac mollibus. Chirurgi illorum medulla utuntur ad ulcerum ora dilatanda. Ex ſcapique combuſto cinere, recentia ulcera curant. Qui etiam maligna augeri (ſi ſæpè aſpergatur) non ſinit. Ex ſcapis recentibus aquam diſtillant, ad oculorum ſuffuſiones, caligines, ac obſcuritates maximè proficuam.

Caput XXXVII.

De Cypero.

ALPIN. Cyperus rotundus, quem Ægyptii vocant hodveg, in Nilo flumine, atque in pluribus Ægypti lacubus vel locis paluſtribus, copioſiſſimus provenit, porraceis foliis, longioribus tamen atque exilioribus, cauleque cubitali, anguloſo, in cujus cacumine ſunt folia aliqua ſtellæ modo radiantia, è quibus ſpicæ aliquæ procedunt herbacei coloris ſemina continentes: radices nigræ, rotundæ, magnæ, olivæ craſſitie ſpectantur, multæque uni radicis capillamento appenſæ ſimul cohærentes, odoratæ, atque acuti ſaporis. Hæ calefaciunt, exſiccant ſine mordacitate, incidunt, attenuant, oraque venarum aperiunt. Apud Ægyptios maximos ad medicinam uſus habent, præcipueque ad ulcera oris, & pudendorum ſananda familiariſſimum ipſarum tùm pulvis, tum combuſtarum cinis, eſt remedium, ex ipſis paratum decoctum vel pulvis ſtomachum, cerebrum, pulmones, uterum, nervos, articulos, ali-

quibus diebus ſumpta, plurimum calfacit, ſiccat, roboratque naturalem calorem: ex quo omnibus morbis à cerebri tùm frigida humidaque temperie tum frigidorum humorum diſtillatione concitatis, hæ efficaciſſimum ſunt auxilium: non minuſque ſtomachi cruditatibus, humiditatibus, flatibus, anhelituſque difficultati, orthopnϾ, tuſſi nec non hyſtericis omnibus mulieribus ex frigido humidoque utero affectis, aliiſque morbis, ab iiſdem uteri cauſis obortis, & articulorum doloribus. Familiare ſatis remedium ad ſuppreſſos menſes eas eſſe ibi expertum eſt, nam menſes efficaciſſime revocant. Decocto ac pulvere ad frangendum tùm in renibus, tùm in veſica lapidem, ac ad provocandam urinam frequentiſſimè illi utuntur, quod etiàm non minùs in omnibus chronicis febribus, ac aliis diuturnis morbis frequentant.

Caput XXXVIII.

De Chaté, Abdellavi, & batecha el mavi.

ALPIN. In uſu habent Ægyptii genus quoddam cucumerorum Chatè vocatum; quæ planta à communi cucumere alia quidem re non differt, niſi magnitudine, colore, & mollitie, quandò Cucumis Ægyptia folia habeat minora, albiora, molliora, atque rotundiora, fructuſque producit admodum à noſtratibus differentes, quandò his longiores, viridiores ſint, ac cortice plano molli, æquali ſpectentur, guſtuique ſint dulciores, atque concoctu faciliores. Horum uſum corporibus in cibo ipſis tùm crudis, tùm coctis veſcentibus, ſalubrem eſſe apud omnes eorum locorum incolas creditur. Medici aliqui ibi nonnullis febricitantibus crudos etiam mandendos concedunt, præſertimque peſti affectis, quibus cucumeres hos crudos eſitatos ſummè conducere omnibus (neſcio qua ratione) perſuaſum ſit. Coctos in ardentibus febribus, utiles eſſe ratione confirmatur, quandò refrigerent, atque humectent. In renum & veſicæ calidis morbis, cum lacte coctos cucumeres multis diebus non ſine multa utilitate in cibo ſequuntur. lac etiam ipſorum ſeminum pro iiſdem malis per os ſumere ſæpè ſo-

Papyrus BERD Ægyptiis dicta.

p. 54.



TA. XXXVIII.



TA. XL.

P·55·

ABDELLAVI.



TA. XLI.

ſolent. Ad oculorum verò, aliarumque partium calidas inflammationes pulpa contuſa cucumerorum lacti miſta utuntur. Et ad ſedandos podagricos dolores à cauſa calida concitatos, ſuccum lacte oleoque roſaceo miſtum, partes liniendo, ſequuntur. Stillatitiam aquam ad libram ad jecoris caliditatem corrigendam & ad ſanandos renes tùm inflammatos, tùm à calculis vexatos multis diebus ægrotos bibere conſulunt, quibus ipſam ſatis iis conferre experientia compertum eſt. ſunt aliqui, qui ad hæc eadem mala aqua ſtillatitia lacti eorundem cucumerorum ſeminum miſta, uti ſolent. ex Melonibus etiam quoſdam à noſtratibus planè diverſos Ægyptii habent, quos Abdellavi vocant, ad differentiam aliorum, quos etiam Chajar nominant. quorum uſus ad cibum haud multum jucundus percipitur, cæteriſque omnibus inſipidiores ac molliori pulpa obſervantur. Habent tamen ſemina, quæ aliis omnibus longè magis ad refrigerandum præſtare putant. Qua de re, omnes ea plus aliis in uſu frequentiori habent, aliorum melonum ſemina parvi facientes. Planta noſtratibus non multum differt, ſed fructus fert oblongos, acutos, extrema, & medium valdè craſſum habentes, Bahobab nuper narratis fructibus proximos. Habent etiam Angurias à noſtratibus non niſi magnitudine quoad aſpectum differentes: noſtris quidem majores, cortice flaviore, quæ intus ſemina tantum, & aquam dulciſſimam continent. Quam ad ſitim arcendam, caloremque multum in ſtomacho, vel hepate vel renibus corrigendum largiùs epotant. Ad febres non minus ardentes, & tertianas, uſus illiuſce aquæ ſummoperè laudatur, atque ab his frequentatur. Sunt qui diſtillatione aquam tenuiorem ad ſiticuloſos, ſtomachos bilioſos, ad jecur reneſque calidos, & à calculis vexatos, eliciunt. quam certè ii multæ utilitatis eſſe experiuntur. Turcæ Ægyptii, Arabeſque laſciviorem vitam agentes, per æſtatis ſummos calores, harum anguriarum aquam in potu frequentant, eique aliqui modicum aquæ roſaceæ, moſchi, atque ambræ miſcent. His Advenas honorare conſuetudo Ægyptiis eſt, eas ſcilicet edendas obferentes. Illas per annum in paleis incorruptas conſervant: aliquandoque ſic cariori pretio ibi ad ægrotos venduntur, ut

unam

unam argenteo aureo venditam cognoverim. Sic verò ejus aqua diuretica eſt, ut ipſius uſum aſſidue ſequentibus, hernias, ad teſtes defluxa, incredibili magnitudine facere ſoleat. Hinc ibi plures hernioſos ſpectare licet.

Caput XXXIX.

De Achaovan, ſeu parthenio inodoro.

ALPIN. Achaovan, eſt planta herbacea camomelo proxima, quæ tamen non adeò alta extollitur, ſed parum ſupra terram latiùs expanditur, foliis parthenii, minoribus ac denſioribus, floribus camomeli æmulis. Herba ſaporis odoriſque expers percipitur, ſed flores odorem gravem, perobſcurumque ſpirant. Florum, foliorumque decoctum in uſu habent ad tollendas viſcerum obſtructiones, præſertimque ad Ictericos. GUILAND. Si ſapor acutus in hac planta ſentiretur, cotula Serapionis, ſine dubio eſſet. ALPIN. Hæque plantæ exiſtunt, quas Ægypti patrias eſſe obſervare potui.

Caput XL.

De Nejem el ſalib ſive gramine Crucis.


ALPIN. Gramen quoddam naſcitur exile, radicibus ſerpens albis, geniculatis, dulcibus cum aliquali acrimonia, communi gramini proximis, digiti altitudine, geniculati, ramulis aſſurgens, foliis communi gramini ſimilibus ſed minoribus, ramuli habent quatuor ſpicas, Iſchami, vel graminis ſanguinarii ſimiles, perfectam crucem figurantes, quam æquè omnes uno modo formant: ex quo ipſum Ægyptii nejem el ſalib vocant, quaſi dixerint, gramen crucis, in quibus fiunt ſemina minutiſſima ſeminibus communis graminis ſimilia. Maximum uſum ſemina apud omnes habent ad eos ſcilicet, qui tùm renum, tùm veſicæ calculis laborant, atque ad frangendos lapides

ACHAOVAN, *ſeu Parthenium inodorum.* P. 56.




TA. XLII.

NEIEM EL SALIB. p. 56.



TA. XLIII.

ALCHIMELECH, *Melilotus*. p. 57.



TA. XLIV.

des in veſica concretos. Quod genus morbi ibi eſt familiariſſimum, & quaſi endemium, ex cauſis aliàs narratis. Mulieres radicis decoctum tùm ad pueros variolis, atque morbillis correptos maximè ſequuntur, tùm ad ſeipſas, ubi cupiunt interceptas menſtruas purgationes rurſum evocare. Sunt aliqui, qui pro ſecreto auxilio habent decoctum, ex ſeminibus modice contuſis paratum, ad adjuvanda exanthemata in febribus peſtilentibus, quas peticulas noſtri appellant. Ad uſum quoque vulnerum & ulcerum, non parvum apud eos, tota herba, præcipuè radices, habent uſum. Ajunt radicem frigidam atque ſiccam eſſe, tenuiſſimarumque partium. Quamobrem non deſunt multi, qui ad movendum ſudorem ejus decocto familiariſſimè utuntur.

Caput. XLI.

De Meliloto Ægyptio Alchimelech vocato.

ALPIN. Melilotus, quo Ægyptii utuntur, ſemen minutum eſt rotundum, ſubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omninò expers, ſapore ſtiptico cum aliquo amarore. Planta, quæ ipſum producit, eſt parva herba ſupra terram expanſa, modicè repens, ferè nihil, aut parùm in altum ſe attollens, foliis trifolii ſiliquoſi, minoribus tamen, floribusque parvis multis, longis, racemi modo ordinatis, croceis, odoratis, à quibus promanant ſiliquæ, parvæ, obliquæ, ſemen, quale dictum eſt, continentes, Hujus plantæ ſemina tantùm apud illos in uſu exiſtunt. Quæ putant ii quoad calorem & frigiditatem eſſe temperata, ſed ſiccare, reſolvere, ac ſtipticitate roborare, ex quo ad hepatis tumores ipſorum uſus apud illos eſt frequentiſſimus: quoniam ſine aliqua relaxatione digerit, & reſolvit. Ad omnes quoque dolores, quaſcumque corporis partes occupantes, fomentis ex ipſorum decocto utuntur, maximè ad pleuritim, peripneumoniam, & ad hepatis, coli, & ventriculi dolorem; quibus dolore vexatis, ipſorum decoctum ad libram bis in die calidum bibunt. Mulieres quo-

que uteri ſtrangulationibus, flatibus, ac doloribus eo ſubveniunt, præſertimque ex eo etiam inſeſſionibus paratis; quæ etiam fœnugræci, liniqu'e ſeminibus, paratæ, & camomeli floribus, efficaciùs ad illius, & aliarum partium duros tumores administrantur, atque ad evocandos menſes retentos. Ad roborandum ventriculum, & aperiendas obſtructiones venarum decocto ſummè proficuè utuntur. GUILAN. Nunc ex te verum eſſe intelligo, apud Arabes Meliloti uſum eſſe ſeminum, quemadmodum Græci non ſemina, ſed flores in uſum admittunt. An verò hæc planta verus ſit melilotus, aut potiùs ea, quam noſtri lotum urbanam, atque ſertulam campanam (quæ eſt planta magna fruticoſa) appellant, aliàs declaramus, huic enim diſputationi hic non videtur eſſe locus. Ego tamen hoc tantum dico, me libentiùs Ægyptiorum opinioni declinaturum. Sed Ichonem nunc apponito.

Caput XLII.

De Kellù, Pſyllio, Melanthio, Cappare, Urtica, Solano ſomnifero, Coriandro, Ocymo, Hyoſciamo albo, Conyza, nuce methela, Secamoné.

ALPIN. Propriis Ægypti à nobis hactenus cognitis plantis, nonnullæ communes pluribus aliis locis, priuſquam hunc ſermonem claudamus, prætermittendæ quidem non ſunt; maximeque ex his, Kellù ab Ægyptiis vocata planta, à quibuſdam Antyllis, Pſyllium, Melanthium, Capparis, Urtica, Solanum ſomniferum, Coriandrum, Ocymus Goriophyllatus albus Hyoſciamus, Conyza, Stramonium, Secamonè, de his ipſis igitur aliquid commentemur. GUIL. Aliquid te de his ſcitu dignum dicturum puto; proinde ut lubet loquere. ALPIN. Kellù, noſtri quoque Kalli, plantæ tres utique in Ægypto ſpecies aluntur, ex quibus omnibus combuſtis cineres fiunt, ad vitra, ſaponem, & alia multa; prima ſpecies eadem eſt

plan-

KELLU seu KALLI I.



TA. XLV.

KELLU seu KALLI II.



KELLU seu KALLI III.



TA. XLVII.

planta cum ea, quam noſtri Kalli geniculatum, appellant. Altera eſt, quam nonnulli album Kalli vocant, Tertiaque Ægyptiis magis propria, foliis conſtat paucis ajugæ foliis proximis, ſed valdè longioribus, uno cauleque non omninò recto, à quo tres, quatuorve cauliculi exoriuntur, qui rectè ſurſum feruntur, quilibetque ipſorum in cacumine ſcapum quinque aut plus foliis chamepythios proximis, at deorſum in arcum recurvatis, inclinantibus conflatum, à cujus medio floſculi roſarum ſimiles exſurgunt multi. Hæ omnes plantæ ſalſæ, atque acri ſapore linguam feriunt. GUILAND. Sine dubio utræque hæ plantæ à te poſtremo deſcriptæ ſub Anthyllidis ſecundæ genere reponendæ ſunt. Dioſcorides ſiquidem Ajugam docens ſic ſcripſit: „ Herba in terra „ repens, incurva, foliis ſempervivi minoris, multo tenuiori- „ bus, hirſutis & pinguioribus, circum ramos denſis. „ In capite verò de Antyllide ipſam Ajugæ foliis proximam eſſe ſtatuit. Sed ſequere reliqua enarrare. ALPIN. Ex his ſanè tribus Sole in primis exſiccatis, & mox combuſtis cineres eæ parantur, quæ illinc Venetias convehuntur ad vitra, atque alia conficienda. Ajunt multi illorum folia trium harum plantarum, ſed maxime ſecundæ atque tertiæ kalli in pulverem reducta, per os ſumta phlegma atque bilem exuſtam purgare. Idemque ex foliis expreſſum ſuccum facere.

Pſyllium copioſiſſimè ibi provenit. Cujus ſeminum apud eos uſus eſt, præſertimque mucilaginis ab ipſis paratæ cum aqua roſacea, in omnibus febribus bilioſis, ardentibus, inflammationibusque pectoris, uti in Pleuritide & Peripneumonia. Sed extrahunt cum aqua hordei, & cum ſaccharo candido exhibent. In aqua roſacea extracta Pſyllii mucilagine ii utuntur in bilioſis Diarrhæis, & dyſenteriis; ad externaſque omnes inflammationes, emplaſtri ac fomenti modo tum ex viridis plantæ foliis, tùm ex ſeminibus pſyllii tota planta utuntur. Quam plantam vocant Chetùn. Nigella ibi etiam provenit, quoad flores pulcherrima, quando floribus majoribus, ac numeroſioribus foliis præditis ſpectetur, ejusque ſemen in uſu eſt frequentiſſimo in pueris, ad necandos vermes, contuſiſque ſeminibus cum aceto emplaſtri modo ad plures cutis infectiones utuntur. Mulieres etiam, quæ non purgantur, eo ſi ſuffiantur,

 ma-

maximè juvantur., vocantque hanc plantam Suneg. Cappares Alexandriæ majores quàm alibi inveniantur, proveniunt, quos cappar quoque appellant; ex quibus cortices radicum in uſu habent frequentiſſimo ad vermes necandos, ad movendos menſes, atque ad quoſcunque tumores duros: præſertimque lienis ſanandos, pro quo indurato membro, exhibent decoctum per os multis diebus, exteriùs ex corticis pulvere, & aceto facto emplaſtro, cui aliqui modicum mellis miſcent, quo præſidio utuntur ad cutis maculas, & infectiones, eas linientes. Alexandriæ Urtica prima, quam ii vocant Angiar, provenit copioſiſſimè, & proinde ejus ſemina multos uſus ibi quoque habent, maximumque ad venerem excitandam, præſertimque in frigidis corporibus, ſi cum vino dulci bibantur. Nonnulli ad idem ex ſeminibus iis, radiceque buzeidam, ac melle componunt electuarium, cujus ſemunciam quotidiè ſumunt. Uſum non minorem ſemina habent ad pectoris, pulmonumque vitia, ejus enim decocto cum melle parato in tuſſi, anhelitus difficultate, orthopnæa, & peripneumonia à craſſo frigidoque humore concitatis, familiariſſimè utuntur; farina quoque cum melle eclegmatis modo ad eadem mala, cujus uſum cum aceto emplaſtri modo ad omnes difficiles cutis puſtulas ſequuntur,& ad omnes maculas cutis ejuſque infectiones,tumores duros non minus,præſertimque ad parotidas. Mulieres nihil habent, quo valentiùs uterum calefaciant, mundent, atque ab obſtructionibus ſanent, quam urticam, ex quo ad movendos menſes ſeminum decocti, atque ſuffiti uſus eſt apud ipſas frequentiſſimus, maximeque addita myrrha. Cinere ex ſeminibus parato, ad omnia ulcera maligna & canceroſa utuntur. Solanum ſomniferum in Alexandriæ ruderibus copioſiſſimè provenit, ſicque creſcit, ut magnus frutex appareat. Utuntur incolæ radicum corticibus ad drachmà pulverizatis cum aqua lactucæ, vel ſolatri, ſumentes ad ſomnum conciliandum. Hujus plantæ cortex non ſecus per os quàm nux methel, ſive ſtramonii ſemina, apud plures malos homines eſt in uſu, ut aliquid mali faciant clam dum dormiunt, hujus corticis in epulis ponunt. Foliis contuſis emplaſtri modo ad calidas inflammationes utuntur, atque illito ex ipſorum ſucco fronte, temporibus, ac

aliis partibus corporis in quibus pulſus ſentiuntur, vel iiſdem contuſis emplaſtri modo appoſitis, ad ſomnum familiariſſimè utuntur; non minuſque ad exuſtiones. Nux etiam Methel ibi naſcitur, ſed non uſque adeò copioſa, uti ſolanum prædictum, eſtque verum Dioſcoridis ſtramonium; uſuſque planè eoſdem habere ii ajunt, quos de ſolano ſomnifero diximus. Adeſt quoque hyoſciamus albus admodum à communi figura differens, naſciturque Cairi propè pyramides, foliis communis longè grandioribus, latioribus, craſſioribus, & albidioribus. Quo utuntur non ſecus quam ſtramonio. Ubique verò in viridariis coriandrum provenit copioſiſſimum, quod omnes Cusbarà appellant. Herbæque virentis uſus in cibo eſt apud omnes Ægyptios familiariſſimus. Etenim ferculum non parant ſine foliis coriandri, quamquam ingrate oleat. GUIL. Quid audio? nonne ii ipſum mandentes maximè læduntur, & ab ejus uſu in phreneſim labuntur? quod Dioſcorides, Avicenna, tùm multi alii tradidere. ALPIN. Ridiculum, quis unquam vidit aliquem, coriandrorum cauſa (quæ in uſu apud quoſque tùm ſanos, tùm ægrotos familiariſſimo exiſtunt) læſum fuiſſe, aut ei aliquos ſenſus turbatos, niſi immoderatè eis fuerit uſus? Quid miraris? quaſi ejuſdem cum Galeno non ſis ſententiæ, qui coriandrum calidum, reſolvens ac modice adſtringens ſtatuit. Non ne demonſtrat Dioſcorides vel hanc ejus facultatem fateri cum dixerit, chæradas coriandro cum comento ſanari? Quod nunquam a frigidis frigidi tumores diſcutiantur, ac curentur, cum medicamenta aliàs à Dioſcoride ad ſanandos duros tumores chæradaſque præſertim memoriæ prodita, calida facultate fuerint. Neque videtur planè hoc ſiluiſſe Avicenna, cum dixerit, chæradas coriandro ſanari, vel ex proprietate, quam ad illum ſanandum tumorem habet, vel ex partium ſubſtantiæ tenuitate, qua permeat profundè tumidam partem. Sed quis ignorat nihil à frigido reſolvi, etſi multa fiat permeatio partis tumefactæ, ſed omnia reſolventia calida eſſe? GUILAND. Veram ſententiam rectè defendiſti, quam quis modo negabit, ſciens ex te Ægyptios virentem coriandri herbam in cibo ſequi citra aliquam noxam?

multo minùs ſeminum ſiccatorum uſus erit exinde timendus. Hincque erraſſe non parum Arabes liquidò conſtabit qui coriandro frigidam facultatem narcoticam, ſtuporem inducentem atque ſenſus turbationem concitantem, ac exitium tribuerit. Idemque & de pſyllio fuiſſe apud illos à te compertum eſt, quando pſyllium pro veneno à Dioſcoride, atque aliis receptum; innoxiè in febricitantibus frequenter non modicam ægrotis ſeminum mucilaginem exhibeant. Herbam in aqua elixatam illi eſitant. Sed ea multo plus ſemina ad roborandum ſtomachum valere ii affirmant, debiles etenim ventriculos, uſu ſeminum aſſiduo maximè roborant, ejuſque calorem ipſa fovent, augent, flatuſque reſolvunt, ac diſcutiunt proindeque in colico dolore, atque aliis à flatulento ſpiritu concitatis uſum ſeminum ſequuntur: ipſis ſcilicet, vel in pulverem reductis, vel ex ipſis parato decocto, utentes, quo uteri quoque frigiditatibus; & humiditatibus occurrunt. Præſertimque ad menſes immodicè fluentes, & ad gonorrhæam firmandam, quod inſit illi quoque facultas adſtringendi, ex quo puto apud eos plantam quoque emplaſtri modo, ad podagricos & alios articulorum dolores in maximo ibi eſſe uſu, quòd eas partes adſtrictione, ne humorem partes recipiant, roboret, atque etiam contentos reſolvat, diſcutiat, vel exprimat. Ocymus ibi in viridariis copioſiſſimus creſcit ad altitudinem trium & plus cubitorum, foliis noſtratis longioribus, tenuioribus, colore rubro ſuffuſis, odoremque eximium ſpirantibus. Suavitate enim odoris noſtris omnibus præferendus meritò videtur, ob quem illi hanc plantam Rihan appellarunt, quod idem eſt, ac ſi dixeris, odorem, ita, ut hic Ocymus præ odoris jucunditate eximia, odor per excellentiam ab iis vocetur. Qua planta odoris cauſa ii utuntur, medicos verò uſus apud eos ipſa paucos habet, qui ab aliis multis perdocti ſunt. Naſcitur etiam ſponte ibi quædam planta repens, altius ſaliens, ſeque aliis arboribus convolvens, foliis duris longis, Seſeli Æthiopici proximis, ſed majoribus. Flores fert albos ſtyracis ſimiles, à quibus producuntur ſiliquæ, longæ ac craſſæ, quales in rhododendro cernuntur, plenæ lanugine alba, ac ſeminibus parvis. Ex

hac

p. 63.

SECAMONE.



TA. XLVIII.

hac planta ſuccus manat flavus, urens, quem ſiccatum Ægyptii valenter tenues humores purgare, ajunt. Hanc illi eſſe Scammonii ſpeciem affirmant, quam Secamonè appellant cujus tamen nullus uſus in medicina, apud eos novi. GUIL. Fortaſſè hanc plantam eſſe Apocynum Dioſcoridis affirmare poterimus. Cum illiuſce notæ, notis à Dioſcoride traditis convenire conſpiciatur, eaque, fortaſſe putanda, quam aliquis è Syria veniſſe, Periplocam vocatam, prodiderunt. At verum Apocynum nunc in Italia cognitum eſt.

Fænugræci germina mox è ſeminibus erumpentia; ex ipſisque ſtatim proſilientia plebei comedunt, præſertimque mulieres; pinguefieri cupientes, per urbem multas maſſas terræ, plenas ſeminum recenter productis germinibus, vendendas ii ferunt. Plures aliæ ſunt plantæ ibi naſcentes, quæ cum pluribus aliis locis communes exiſtant, non eſt de ipſis à nobis amplius ſermo proferendus. Sed jam de medicina apud illos populos uſitata, ſermonem, deque plantis illis in locis naſcentibus claudere debemus; cum nihil ſuperſit dicendum.

CAPUT XLIII.

De plantis per iter obſervatis.

GUILAND. Plurimas gratias tibi refero, quòd tantum laborem hactenus mea cauſa ſuſtuleris. Nihilominus ne aliquid omittamus, quod utile ad hanc hiſtoriam judicem, cuperem, antequàm nos huic ſermoni planè finem imponamus, ut de plantis etiam per iter olim in Ægyptum à te navigando variis in locis obſervatis, aliquid diceres. ALPIN. Non arbitror te ignorare, noſtro olim audito itinere, parum temporis mihi per iter illud conceſſum fuiſſe, ad indagandas illorum locorum plantas: veruntamen, quas tunc viderim, quamquam neque tuis doctiſſimis auribus ſatis dignas eas exiſtimem, referre etiam nunc non recuſabo. Memini me Rhabarbari plantam Corcyræ inſpexiſſe, in antiqui illiuſce propugnaculi quodam viridario, quam quidam ex Syria illùc navi ad-

advectam habuerat: quique ipſam à viro Perſa Tripolim olim fuiſſe adductam etiam affirmabat. Quæ planta plane foliis rumici viſa eſt proxima, quæ tamen erant latiora, craſſiora, lanugineque quadam alba obſita. In illa eadem inſula inveni Cyperi radices longas admodùm odoratas, & Chamedrim arboream, duorum ferè cubitorum altitudine propè Butrinto viventem, quæ folia duplo & triplo Italicis majora habebat. Zacynthi oxalidem, qua ejus inſulæ pharmacopæi ad medicinam utebantur, inſpexi, admodùm à noſtris oxalidis omnibus diverſam, quippè exilis herba ipſa eſt, foliis parvis, craſſis, oblongis, calthæ foliorum æmulis, guſtum non minis quàm noſtra acido ſapore ferit. Ibi quoque creſcit Acacia ſecunda Mattheoli, quàm ego florentem menſe Februario inſpexi foliis, floribuſque minoris anagyridis proximis, quæ guſtata, ſapore adſtringenti feriunt, paucisque tamen ac mollibus ſpinis obſita. Neque arbitror eſſe veram acaciam, quam in Cappadociæ & Ponto naſci Dioſcorides prodiderat, quòd minime convenire cum prima Acacia ſeu ſpina Ægyptia videatur. Aliud agnovi in illa inſula, quippè Smilacem aſperam eſſe veram Salſam parillam, qua medici utuntur ad ſanandam luem Gallicam. GUILAND. Copioſiùs quoque hanc plantam in quampluribus Italiæ locis naſci ſcio, quare iſtud, quod ibi didiciſti, novum apud me non eſt. ALPIN. Verùm dicis, etenim ipſam aliàs in multis aliis locis offenderam ac obſervaveram, verùm perpetuò, an eſſet ſalſa parilla, anceps, ac dubius fui. In hac verò inſula ea ſpectata, clariùs cognovi verè eam utique eſſe. GUILAND. Quamobrem in Italiæ locis cum eàndem ipſam ſpectaveris, ejuſdem non fuiſti ſententiæ, ſcilicet eam eſſe Salſam parillam. ALPIN. Quoniam omnes Smilaces aſperæ, quas hactenus videram, exiles admodùm breveſque, ac capillares radices habebant, ſed quam in Zacyntho inſula videram, longas, craſſas, aſportatis Hiſpania radicibus Salſæ parillæ omninò ſimiles. Quo pacto verò has agnoverim, tibi jam explicabo. Ego enim, ut otium diuturnæ moræ effugerem, forte fortuna collem illiuſce inſulæ perreptans, in valle quadam ad ſæpem oculos conjeci, lentiſcis ac multis aſperis ſmilacibus contextam, cujus

jus à radicibus omnibus terram impetuoſa torrentis aqua ſic abduxerat, ut illarum plantarum ſepem texentium omnes radices, non ſecus quàm venæ, arteriæ & nervi humani corporis à carne ſeparati, nudæ conſpicerentur, Smilaceſque aſperæ longos ſanè ſerpentes imitatæ, aliiſque radicibus convolutæ, mira longitudine, ac craſſitie mihi ſe obtulerunt. Ita ut quaſdam illarum duorum, & amplius cubitorum longitudine, & craſſitie communium Salſæ parillæ radicum inſpexerim, ex quo continuò eas Salſæ parillæ radices eſſe judicavi. Et dùm hæc ſimul cum aliis, qui unà ibi mecum aderant, conſidero, augurium contingit opportuniſſimum. Nam ex tranſeunte Græco homine ejus loci accola, & agricola, peto, quomodo ibi illa planta appellaretur, qui reſpondit, Smilachiam nuncupari, ipſamque in uſum apud ipſos eſſe pro curanda Gallica lue: ex quibus verbis exploratiùs eam conſiderans, video radices ejus longiſſimas & craſſas, eadem ſubſtantia præditas, nullumque præſeferre ſaporem, uti radices Salſæ parillæ: ex quibus colligo ſtatim, Smilacem illam aſperam veram eſſe Salſam parillam. Pharmacopola ejus loci multum lucri ſe feciſſe his radicibus nobis affirmavit, quod ſæpè harum radicum ibi collectarum multos faſces collegerit, & in alia loca miſerit, quas pro veris Salſæ parillæ radicibus ſæpiſſimè vendiderat. Quam mercaturam clam agebat, ne eam plantam alii diſcerent. Addo Cairi me in Salſæ parillæ faſcibus ex Hiſpania apportaris vidiſſe fruſta radicum nodoſarum, vel geniculatarum aſperæ ſmilacis, à quibus procedunt radices, quibus medendo nos utimur, cum foliis ejuſdem plantæ, tum ramulis ſpinoſis, ſic manifeſtè, ut nemo, qui viderit, eos faſces Salſæ parillæ, eſſe ex Smilace áſpera ſelectos, negare potuiſſet hanc plantam eandem eſſe cum Salſa parilla. GUILAND. Placuit multum mihi, te veritatem de Smilace aſpera probè agnoviſſe, cujus quidem ſententiæ non ſolùm me ſed quamplures alios fuiſſe tibi perſuadeas volo, in primiſque Gabrielem Faloppium, herbarum materiæ doctiſſimum, qui in libello de morbo Gallico, in capite de Salſa parilla hæc prodidit. „ Aliàs credebam eſſe radicem Ebuli, & perſtiti

„ in ea ſententia plurimis diebus, donec Hiſpanus ad Ducem „ Florentiam integram adportavit plantam, & hinc patuit er- „ ror meus, & vidi eſse radicem Smilacis aſperæ, de qua „ Dioſcorides libro quarto, & ſcriptores antiqui mentionem „ fecere. Quod magis confirmavi experientia; nam cum in „ monte Sancti Iuliani Piſis vidiſſem Smilacem aſperam, cura- „ vi effodiendam, & ſemper uſus ſum loco Salſæ parillæ, & „ per biennium illud, quo ibi fui, ſemper cum felici ſucceſſu „ plurimos à lue Gallica liberavi. „ Quam etiam ſententiam confirmat Amatus Luſitanus medicus, quamvis Hebræus, non ſpernendus; in libro quinto ſuarum centuriarum. Quare te hac de re evehi non oportet, quando alii ante te multi eam noverint. Sed quomodo aſſerere poſſumus ejus inſulæ Smilacem, probe Salſam parillam delineatam demonſtrare, minimeque illam, quam Italiæ loca ferunt atque alunt. Quod tamen fieri puto terræ, qua ipſa ſerpit, diverſitate, etenim in duro ſolo, ſicco, & ſqualido effoſſam Smilacem videbimus radices minores, gracilioreſque Salſa parilla habere, & in molliſſimo ſolo, quod in eo facile queant ſerpere, longiores, craſſioreſque; Salſæ parillæ planè proximas. Ea ſiquidem Smilacis planta, quam in ea inſula olim cum in illis locis diverſarer, inſpexi, ſolo molliſſimo, pingui ac humido nutriebatur, ex quo mirum non eſt, ſi longis, craſſisque radicibus fuit inventa; in ſicco verò, duro, nequeuntibus, terræ duritie obſiſtente, radicibus liberè ſerpere ac meare, Smilax aſpera radicibus brevioribus, tenuioribuſque apparebit. Quales à me obſervatæ fuere in Zacynthi inſulæ, Corcyræ, Cretæque locis ſaxoſis & durioribus. Adde multos decipi in agnoſcenda Salſa parilla ex Smilace aſpera, non omnes Smilacis, Salſæque radices animadvertentes, ac obſervantes. Etenim in aſpera Smilace duæ radicum differentiæ ſpectantur. Ipſa ſiquidem in primis ex ſtipite radices procedentes habet albas, rotundas, nodoſas, digiti craſſitie, cannulis parvis perſimiles, quæ ſanè radices non admodùm longæ exiſtunt, ex quarum geniculis vel nodis aliæ proficiſcuntar atque exſiliunt à primis planè diverſæ, in duroque ſolo parvæ, breves, tenueſque, non ſecus quam capilla-


menta quæpiam cernuntur, atque in molli longæ, craſſæ; quales in Salſa parilla, inveniuntur. Ex quo apparet radicum Smilacis differentia, quæ itidem in Salſæ parillæ planta ex Hiſpania advecta facilè obſervatur ac reperitur, adeò ut quæque harum plantarum habeat primas radices à ſtipite ſtatim procedentes albas, nodis æqualibus intervallis diſtinctas, cannis proximas, non tamen intus pervias, ſed plenas, digiti minoris craſſitie, refertas, & ſecundas ab harum nodis uti capillamenta exſilientes ac exeuntes, longas, primis graciliores, æquales; nodis carentes, ſive non geniculatas. Qui itaque negant Smilacem aſperam veram eſſe Salſam parillam; dicunt radices utriuſque plantæ eſſe inter ſe differentes, forma quippè ac etiam magnitudine, forma quidem; quoniam Smilacis tantum primas radices nodoſas albas, breves, craſſas ſpectantes, ſecundis à primarum nodis naſcentibus longis, gracilibus non nodoſis, æqualibus comparantes, manifeſtiſſimam inter has differentiam faciunt; quam confirmant etiam ex eo, quod primæ craſſæ, & breves, hæque graciles, longæ exiſtant. Errant quidem iſti non rectè radices invicem, ut pàr eſſet, comparantes, quoniam ſi radices Salſæ parillæ graciles longas, quæ ſunt ſecundæ radices, non primis Smilacis aſperæ craſſis, nodoſis, candidis, brevibus, ac ſecundis à nodis primarum naſcentibus comparaſſent, ſine dubio nullam differentiam inveniſſent, hac excepta, quòd Smilacis radices ſecundæ Salſæ parillæ radicibus breviores graciliores loci cauſa obſervantur. Quam differentiam ſoli terræve mollitiei, & duritiei ratione, vel ejuſdem diverſitate, ac fortaſſè etiam cælo calidiori fieri nobis perſuaſum eſt. In duro enim ſolo atque in frigidiori cœlo radices non ita creſcunt, & craſſeſcunt. ALPIN. Veritatem attigiſti, atque iſtæc omnia ad radicum Smilacis attinentia à te prodita, ego oculatim in Zacynthi Inſula ſedulò obſervavi, atque cognovi. Quæ veritas ex plantæ e vivo delineata icone planè clara eluceſcet, in quo utræque tùm primæ radices nodoſæ, craſſæ, breves, tùm ſecundæ aliæ ab harum nodis naſcentes, longæ, graciles, æquales ſine geniculis manifeſtiſſimè ſpectari poſſunt. GUILAND. Ex viſa Smilacis hujus

Icone, atque ex iis, quæ tu de ipſa hactenus dixiſti, facilè eam Smilacem, quam tu in Zacynthi Inſula naſci prodidiſti, eſſe à Smilace aſpera Italiæ in locis inventa multum differentem, cognoſcitur, tum ex foliis brevioribus, tum ex diverſa foliorum figura, tùm multo magis ex radicibus illis nodoſis, quæ in aliis Smilacibus aſperis non inveniuntur.

Perge modo reliquarum à te conſpectarum plantarum narrationem ac hiſtoriam abſolvere, cum nobis de hac planta nihil dubii relictum ſit, quin credamus ipſam veram eſſe Salſam parillam. ALPIN. In Creta inſula inter alias plantas ibi Thymum, Thymbram, Epythimum, Marum, Ladanum, Aſpalathum, Styracem offendi. Thymum utrumque vidi, quippe magnum ac parvum; magnus eſt planta ſarmentoſa, foliis ſatureiæ proximis ſed aliquatenus aſperioribus, latioribus, & viridioribus, ſapore valdè acri ac odorato: quam plantam falſò multi Tragoriganum eſſe Dioſcoridis ſtatuunt. Thymus ſecundus minoribus foliis, tenuioribus, albioribusque totæ Italiæ eſt notiſſimus. Tymbra eſt planta in Creta Inſula naſcens copioſiſſima, ſimilis Thymo majori, ramulis duris lignoſis, foliis Thymi latioribus, mollioribus, herbacei coloris, non ordinatim, ut aliqui prodiderunt, naſcentibus: neque inter hæc alia foliola naſcuntur; ex qua planta communiter pro ſecunda Thymbra delineata, non vera eſſe conjicitur, quam ibi vidi cum Epythimo, admodùm differentem. Epythimum verò in locò ejus Inſulæ Fraſchya vocato, Cuſcutæ modo, Thymo, Thymbræ, atque aliis plantis convolutum inveni; ex quo falſum eſſe duas eſſe Epithymi ſpecies, dignovi, quippè unam Thymi florem, atque ſecundam capillarem hanc herbam Cuſcutæ æmulam. Epithymum namque nigram bilem purgare omnes affirmant, Thymi verò flores id præſtare nemo dicet. Aliqui ex Cretenſibus ajunt Epiphymum, atque Epithymbram purgare ſanguinem calore exuſtum, multosque inter ſe differentes morbos ex illius capillaris herbæ ſupra varias plantas inventæ uſu ſanari; etenim, quæ origano convoluta collecta eſt, morbis omnibus purgatione conducere adfirmant, quibus origanum per ſe ſolum ſubvenire compertum eſt. Sicque in aliis plantis re-

per-

SMILAX ASPERA.



TA. XLIX.

pertam & ab ipſis exceptam vel collectam, vim habere purgandi humores, è quibus concitatis morbis hæ plantæ ſuccurrere, atque auxiliari facultate ſolent. Marum apud aliquos Cretenſes vidi, noſtro Amaraco planè ſimile; etſi tamen graciliorìbus, minoribus, aſperioribuſque foliis amaraco conſtet, multoque noſtro Amaraco ſit odoratior, & præſtantior, quam plantam, ſylveſtre amaracum, & non Marum nuncupandam judico. Plantam verò, ex qua Ladanum Cretenſes colligunt, planè differentem ab ea, quam hactenus ferè omnes prodidere, inſpexi, hæc ſiquidem Cyſto fœminæ perſimilis eſt, foliis tamen cyſti longioribus prædita, Salviæque proximis. Floreſque fert ſylveſtribus roſis omninò ſimiles: qui roſeo etiam colore, quippè communium roſarum ſuffuſi ſpectantur. Quæ planta à cyſto fœmina florum tantum magnitudine differre videtur. Deceptuſque fuit Mattheolus Dioſcoride dicente, Ladanum eſſe cyſti genus longioribus foliis nigrioribuſque refertum; quæ notæ in cyſto, ex quo Cretenſes Ladanum colligunt, utique omnes obſervantur; quandò hæc planta omninò cyſto fœminæ ſit ſimilis, cum iiſdem foliis floribuſque ſpectetur, etſi majoribus. Aſpalathum, etiam ut aliàs quoque dictum eſt, copioſiſſimum propè Fraſchyæ portum in quodam colle virentem atque florentem ſæpè inſpexi, odoriſque eximia ſuavitas ex hujuſce plantæ floribus ad me delata, fuit in cauſa, ut ipſum agnoverim. Quæ planta eſt frutex denſis ramis, ſpinis albis duris horridis, cortice caudicis albo, ad trium cubitorum & plus altitudinem in altum aſſurgens; floribus multis parvis, croceis Spartii ſimilibus, ſed ſummè odoratis. Hujus arbuſti radices duræ, longæ craſſæ, colore flavo, atque cortice ſummè odorato, tunc temporis à me fuere obſervatæ. Multaſque meus Pharmacopæus decerpſit, Cairumque ad uſum medicinæ meo juſſu detulit. Plures Styracis arbores ibi quoque inſpexi propè illius loci rivum virentes, quarum multas mecum in Ægyptum detuli. Quo in loco cœli cauſa non vixerunt. Sed quid te ampliùs de ejus Inſulæ plantis, tibi pluſquam mihi notiſſimis? Quæ enim Græciæ pars nunc eſt, quam tu plantarum deſiderio ſæpiùs non peragraveris? Et hæc de plantis Ægypti à nobis dicta ſufficiant.

Quibus abſolutis ad alia tranſeundum eſt, & fortaſſe ad ſtudium de ambiguis nonnullis ſimplicibus medicamentis agnoſcendi, ſæpè à me deſideratum. Diù enim ſummoperè deſideravi inter nos abſolutiſſimam de omnibus priſcorum medicorum uſitatis medicamentis ſimplicibus, quæ hactenus apud pleroſque noſtrorum medicorum dubia habentur, haberi diſputationem. GUIL. Iam hiſtoriam de Ægyptiorum tùm uſitata medicina, tùm plantis illis in locis creſcentibus finem habuiſſe video; qua de re, ac de iſto mea cauſa ſuſcepto labore, tibi ego plurimum dum vivam debebo; maximæque nunc tibi à me agendæ ſunt gratiæ, perpetuoque habendæ. Diſputatio verò à te de ſimplicium medicamentorum, dubii aliquid penes noſtros medicos habentium, ratione propoſita, digniſſima ſanè videtur, quæ à nobis perpendatur. Hoc tamen in præſentia faciendum non puto: Sole enim jam ad Antipodes deſcendente, parum hujus diei nobis ſupereſt. Quamobrem ſermo hic in aliud tempus nobis accommodatius, remittendus eſt. Interim nosmetipſos paululum à labore laxabimus quietis ac otii aliquantulum animis concedentes. Quamprimum tamen tempus oportunum ad eum ſermonem tibi videbitur, ad me redibis, ut hac de re aliquid dignum commentemur. ALPIN. Ita faciam, ſed antequam nox ingruat, me domum redire conſultius eſt. Vale atque me, ut ſoles, amato. GUIL. Ubi mecum manere non eſt animus, ut lubet, hinc diſcede. Interim mei ſemper eſto memor, tibique me eſſe addictiſſimum, atque tui obſervantiſſimum, ſcias velim; i felix.

PRO-

p. 73.

LASERPITIUM.



PROSPERI ALPINI DISSERTATIO DE LASERPITIO, ET DE LOTO ÆGYPTIA

LASERPITIUM.

Plantam in Horto Medico alimus, quam primo vidimus Patavii, in Horto, Bembo vocato, quo tempore illiuſce Horti curam habebat Horatius Bembus, civis Patavinus, in Herbarum ſtudio adprime verſatus, & poſtea in Horto Perilluſtrium Muſſatorum, ſtirpibus rarioribus maxime conſpicuo. In quo horto, quum menſe Julio eam plantam conſpexerimus, caule procero, longitudine trium cubitorum, recto, cavo, brachii craſſitie, magnitudineque longitudineque ferulæ cauli ſimile, quin etiam & eodem colore infecto, ita ut videretur in omnibus ei quam ſimillimus, & folioſus ab radice, foliaque ſelinis foliis ſimilia ferre, etiam foliis ſylveſtris Angelicæ æmulantia, licet majora eſſent, atque ipſius radicem brachiali craſſitie, & longitudine præditam obſervaverimus. Iſtiusceque plantæ caulis antequam in ipſo umbella eruperit, brachialis craſſiti-

ei eſſet, atque in cacumine veluti conum habere viderimus, & tunc temporis magnitudine & figura caulem Laſerpitii, qui in antiquis Jovis Ammonis Numiſmatibus impreſſus cernitur, prorſus æmulari videretur; ferreque hunc caulem in umbella ſemen latum, foliaceum, & particulatim, ut de Laſerpitio expreſſit Theophraſtus, quale eſt Atriplicis Hortenſis, poſteà viderimus, atque etiam quod Laſerpitii proprium eſſe videbatur per æſtatem, quo tempore caſu eam plantam offendi, & caulis & radix copioſius lacteum ſuccum odoratum fundere vidiſſemus, ſponteque ex caule, ramis & radice copioſum emanaret; quod lac primum colore verè lacteo cernebatur, poſtêaque collectum & aliquamdiu ſervatum colore fulveſcebat, & eſt odoratum, alicujus excalefactionis non expers. Tunc quippe ex iis ſignis obſervatis, eam plantam Laſerpitium eſſe Theophraſti, Dioſcoridis & Plinii facilè animadvertimus; quod certe ſi Theophraſto, Dioſcoridi atque Plinio (qui ſoli ex Veteribus Laſerpitii plantam deſcripſerunt) credendum ſit, a ratione non abhorrebit, ut omnibus perſuadeatur, verum eam plantam eſſe Laſerpitium, neque immerito ita nos iſtam plantam nominaſſe; cum præſertim eorum Veterum teſtimonio conſtet, olim Laſerpitium fuiſſe plantam ferulaceam caulemque habuiſſe longitudine & craſſitie, ut ferula; in cujus cacumine producebatur ſemen latum & foliaceum, qualis in Hortenſi Atriplice (auctore Theophraſto viſitur) foliaque habuiſſe itidem apii foliis ſimilia, & radicem craſſam, ex qua & ex caule erumperet ſuccus lacteus, odoratus. Quæ ſingula cum in noſtra planta recte animadvertantur, mirum haud erit, ſi nos ipſam plantam Laſerpitium vocaverimus. An vero Cyrenaicum ſit, non au-

de-

P. 75.

NŸMPHAEA *seu* NUPHAR *Ægyptium.*
quæ et LOTUS *Ægyptia.*



Ta. XLIX * *.

demus affirmare, ut fortaſſe, quod vel in Syria, vel Armenia, vel in Media olim naſcebatur. Nos in apertione Horti Medici annis præteritis de hac planta diſcurſum accuratiſſimum habuimus. Tota planta calida eſt, ut ex odore grato, & ex acri ſapore conjicitur; ſed tamen non hactenus ex perientia cognovimus, quos uſus ad medicinam habeat. Singulis tribus annis cauleſcit & ſemina producit, quibus maturefactis planta emarceſcit. Hanc plantam primo ex ſeminibus ex Thracia delatis nobis natam fuiſſe, quæ in ſolo Patavino libenter vivit, & in ſole & in umbra, ſcias.

LOTUS ÆGYPTIA.

Tametſi in noſtra Hiſtoria Ægyptiaca ſatis ſuperque & de Loto Ægyptia ſeu Nilotica, & de Colocaſſia egerimus, nihilominus placuit nobis, ut denuo de eadem planta ea occaſione ageretur, quod Mattheus Carbonus (multos abhinc annos in Ægypto moratus, medicus Venetæ nationis percelebris, quique in ea provincia medicinam apud Turcas proceres, & apud alias gentes faciendo, præſertimque ad perſanandam nationem Venetam, magnam & laudem & famam aſſecutus eſt) a me rogatus, magna inibi uſus diligentia, nullis laboribus periculiſque parcens, tandem Niloticam Lotum haud procul a civitate Cairi, in quibuſdam lcis, aqua Nili fluminis æſtate de more ſolito aucti, inundatis, ac veluti lacunis effectis (quos lacus Birchas Ægyptii vocant) offendit, ac nactus eſt, uſque adeo copioſam, ut folia aquæ ſupernatanſia illiuſce plantæ undique aquam lacuum occultarint, audivitque prope Roſſetum (Ægyptii Raſſit adpellant) in ſimilibus lacunis aquæ copioſe Lotum

provenire. Hujus plantæ florem cum ſuo caule vocant *Arais el Nil*, folium cum itidem caule ſive pediculo *Bis el Nil*, atque radicem *Biarum*; quo nomine etiam magnus Abimbetar ſuo ævo radicem ab indigenis vocatam fuiſſe, in Libro de Plantis Ægyptiis ſcriptum reliquit. Hac, inquam, occaſione (quod ad me Medicus hic illuſtris, & plantas Loti cum floribus, fructibus, caulibus, foliis atque radicibus miſerit, & accuratam deſcriptionem totius hujus ſtirpis, & ſingularum omnium partium accuratiſſime inibi, cum aliis, quos ſecum duxerat, Mauris, factam, mihi per literas ſignificaverit) iterum hic de eadem planta, ſumma voluptate agendum, non immerito inſtitui, ut ipſius veritas mortalibus tandem certa claraque eluceat; atque etiam non minus, ut ſtudioſi rei Botanicæ ceſſent amplius de Nilotica Loto quidquam dubitare. Id proprii hæc planta habere videtur, quod pertinet ad ipſius magnitudinem, ut Carbonus oculata fide vidit, quippe ipſam creſcere in aqua lacuſtri, uſque ad aquæ ſuperficiem, adeo ut, quanta ſit in lacuna altitudo aquæ, tanta itidem iſtiuſce plantæ eſſe videatur. Namque ſi aqua (exempli gratia) ſit hominis altitudinis, eadem magnitudine Lotus itidem deprehendatur. Unde conſtat hanc ſtirpem ubique locorum æqualem altitudinem non habere, proprietaſque eſt, ut in aqua ſolummodo vivat, ad ejus ſolummodo ſuperficiem adſcendens, floreſque nunquam intra aquam aperiens, ſed ſupra ſuperficiem aquæ. Neque deprehenſum eſt ab ipſo atque ab iis, quos ſecum habuit, Mauris, ut flos & caput ſupra aquæ ſuperficiem multum aſcendat, ut Theophraſtus & Plinius, locuti de mirabili iſtiuſce plantæ ad ſolem converſione, affirmarunt. At de hac Loti pro-

pri-

p. 77. LOTI AEGYPTIAE quatuor prima ſolia et caput.



Ta. XLIX ***.

proprietate paulo poſt aliquid dicemus, ſed ad plantæ deſcriptionem redeo. Primum diximus tantam eſſe iſtius Plantæ altitudinem, quanta eſt aquæ a fundo uſque in ſuperficiem, at neceſſe eſt tamen plantæ flores & capita ſupra aquæ ſuperficiem aliquantum emergere, ſi vera eſt ejus ſolaris converſio, magnopere ab antiquis concelebrata. Foliis vero hæc planta conſtat multis, numeroſis, colore atque figura albæ Nympheæ floribus proximis, unde nos, cum Ægypti loca perluſtraremus, hanc plantam in lacubus ſæpius viſam pro Nymphea mirum haud eſt, ſi ea ſimilitudine decepti, acceperimus, negligenterque, ut nunc fatemur, eam neglexerimus. Habent ſingula hæc folia ſuos caules aut pediculos ab radice exeuntes, ut in Nymphea alba. At nedum folia Nympheæ ſimilia habet, ſed quin etiam capita & radicem, eique Nympheæ habenti radicem rotundam, quam radicem Loti *Corſiam* in noſtra Hiſtoria Ægyptiaca vocavimus, quam abhinc plures annos in Margheræ lacunis prope Venetias poſitis invenimus, & eruimus, erutamque dipinximus. Itaque Loti, flores ſimiles ſunt albis Nimpheæ floribus, & magnitudine & figura & foliorum colore, atque etiam, quod ſinguli ſingulos caules virides rotundos habeant, in quorum cacumine poſiti ſunt flores quam ſimilimi albis Nimpheæ floribus, magni, candidi, aliquantulum odoris leviſſimi, ad violæ odorem inclinantis, reſpirantes.

Flos Loti Ægyptiæ, ſeu quatuor prima folia, Florem totum claudentia.

Flos vero, ut particularia attingam, quatuor primum

foliis oblongis, magnitudine florum Lilii & figura, exterius circumclauditur, quæ exterius viridi colore, in nigrum inclinante, ſpectantur, habentque exterius ſigna ſive lineas quinque vel ſex, vel ſeptem ad plus, per longum diſcurrentes. Intus vero hæc folia lenia ſunt, candidaque ut lac, abſque ullo ſigno vel macula. Quæ quatuor folia hac quidem & magnitudine & figura extrinſecus cernuntur.

Flos Loti Ægyptiæ mediis foliis arcuum modo inflexis.

His quatuor foliis apertis, alia folia, numero fere duodecim ſed paulo minora ſuccedunt, quæ ut in Nymphææ flore excluduntur exterius intuſque ex toto candida, abſque ullo ſigno vel macula, atque hic eſt ſecundus foliorum ordo. Tertio ſuccedunt alia folia numero fere viginti quinque ad quadragena, quæ longa & acuta in trianguli modum, ſcilicet quæ a principio uſque ad medietatem candicant, & a medietate in extremitatem uſque luteo colore cernuntur, per longum linea tenui recta diſcurrente. Sunt & alia in flore folia oblonga tenuia, in obtuſum angulum deſinentia, colore luteo, quorum quædam majora quartum ordinem, & quædam minora, quintum in flore ordinem facientia obſervantur, atque in medio quædam alia folia, parviſſima ac veluti capillamenta craſſa, ſurſum quodam tempore intorta, veluti intro arcus modo inflexa & incurvata, cumque flores prope ſunt, ut folia abjicere incipiant, quippe flore diclinare incipiente, in medio, tanquam centrum poſitum, adnaſcitur parvus globulus durus, piperis nigri magnitudine & colore, ex quo au-



Ve. XLIX ****.

augeſcente fit magnum caput ſemina continens. Hujuſmodique eſt Loti flos, in quo poſt aliquod temporis intervallum folia primo lutea defluunt, reliquis flacceſcentibus, atque paulo poſt itidem decidentibus. Inter folia vero omnia ſola quatuor externa perſiſtunt, uſque ad fructus ſeu capitis perfectionem. Flos vero, quando habet interna foliola ſurſum arcuum modo incurvata, inflexa, eſt iſtiusmodi figuræ.

Flos Loti Ægyptiæ foliis expanſis ad naturalem fere magnitudinem.

Flos vero, & magnitudine & figura naturalem imitatus, cum omnibus foliis cujuſque ordinis, apertis expanſiſque, erit cujuſmodi hic picturam damus.

Loti Ægyptiæ Caput, in quo ſemina continentur.

Floribus ſuccedunt capita rotunda, meſpilo magno, magnoque fuſtui albæ Nympheæ ſimilia, cortice viridi contecta, intus veluti longos parvoſque folliculos habentia, quæ ſemen continent minutum, braſſicæ ſemini ſimile. Caules, ſeu pediculi, tum florum tum foliorum, ſunt longi, craſſi ut minimus digitus, rotundi, cavi, ut in alba Nymphea cernuntur. Pediculi florum fere decem numero ab radice exeunt, totidemque & foliorum.

Loti Ægyptiæ folium integrum.


Folia vero magnitudine & figura Nympheæ albæ folia æmulari videntur, undique crenata ſunt, atque etiam Loti folia pluribus lineis vario modo per ſuperficiem

ficiem veluti nervulis diſcurrentibus inſecta obſervantur. Colore vireſcunt, in obſcurum inclinante, non diſſimili a Nympheæ foliorum colore, ita enim abundant lacus quidam (ſed potius loca quædam campeſtria, quæ ut lacunæ per æſtatem ab aqua Nili fluminis aucti inundata aliquamdiu manent) Loti plantis, ut tota aquæ ſuperficies foliis contecta occultetur, viroreque eo amæniſſimo undique oculi gaudeant. Plantaque hæc vivens ſupra terram cernitur quoad tota aqua terra fuerit abſorptaa tque ſiccata, quod fieri ſolet Novembri menſe, quo tempore Loti plantæ ſub terra occultantur, marceſcentibus tum foliis tum floribus tum fructibus, cum totis ſuis plantis; quo conſtat, Lotum eſſe annuam plantam. Hic damus folium ex majoribus adfabre ex vivo delineatum.

Loti Ægyptiæ radix.

Radix vero, cui tota hæc planta nititur, rotunda in oblongum, magnitudine atque figura ut pyrus parva, exterius nigra intus flaveſcens, pulpa ſane carnoſa & dura, guſtu adſtringens & ſubdulcis. Prorſus vero aucta non ſuperat magnitudinem magni ovi gallinacei, Indigenæ ex jure coctam libenter comedunt, videtur cocta intus colore ovi rubrum imitari. Ab hac radice craſſa & carnoſa, innumeræ fere fibroſæ, tenues, colore albicantes procedunt. Atque hæc eſt *Arais el Nil*, a Mattheo Carbono deſcripta. Quam plantam eſſe Lotum Dioſcoridis & Theophraſti non videtur dubitandum, cum omnes notas hæc ſtirps habere videatur quas Theophraſtus Loto Niloticæ tribuiſſe viſus eſt, cum de ea ita ſcripſerit Lib. IV. de Hiſt. Plant. cap. 10. *Lotus Ægyp-*

LOTI AEGYPTIAE *folium et radix* . *p.* 80.



p. 80.

gyptia in planis parte maxima provenit, cum rura inundantur. Huic plantæ caulis ſimilis fabæ, & fructus eodem modo, verum minores, gracilioreſque. Naſcitur fructus in capite modo quo in faba. Flores candidis liliis foliorum anguſtia proximi, multi ac denſi promiſcue exeunt. Sole occidente ſe comprimunt caputque integunt. Ad ortum aperiuntur & ſuper aquam aſſurgunt; idque faciunt dum caput perficiatur, floreſque defluant. Capitis magnitudo quanta papaveris maximi, & præcingitur inciſuris, non alio modo quam papaver, niſi quod in his fructus frequentior habetur, qui milio non abſimilis eſt. In Euphrate caput floreſque mergi referunt, atque deſcendere uſque in medias noctes, tantumque abire in altum, ut ne demiſſa quidem manu capere ſit; diluculo deinde redire, & ad diem magis. Sole oriente jam extra undas emergere, floremque patefacere. Quo patefacto amplius inſurgere, ut plane ab aqua abſit alte. Ægyptii capita ipſa acervis putrefaciunt, cumque tegumenta putruerunt in flumine lavando ſeparant fructum & ſiccantes pinſenteſque panem faciunt, eoque cibo utuntur. Radix Loti Corſium *appellata, rotunda eſt cotonei mali amplitudine; cortice nigro, quali nux caſtanea tegitur, corpus internum candidum. Elixum aſſumque in ſpecimen albuminis vertitur, gratum cibis. Manditur etiam crudum, ſed gratius decoctum, ſeu aqua, ſeu pruna.* Atque hæc Theophraſtus de Loto Ægyptia. Quibus conſtat Lotum plantam naſci in planis Ægypti, aqua per æſtatem inundatis. Hujuſmodique plantam flores ferre albos liliis proximos, a quibus fiunt capita ut papaveris capita magna, plena ſeminibus, milio haud abſimili-

bus, & radix eſt rotunda, exterius nigra, intus can-
dida, cotonei mali amplitudine. Quod hæc planta ſit
illa, quam hac noſtra ætate vocant *Arais el Nil* om-
nes Ægyptii, quo nomine, propriȩ magis loquendo,
intelligunt florem cum ſuo pediculo, veluti folium, vo-
cant itidem *Bis el Nil* & *Ab el Nil* caput, & radicem
Biarum; nulli profecto dubium debebit, cum flores
ferat candidos, liliis ſimiles, a quibus capita producun-
tur quanta ſunt papaveris magna, quæ ſemen continent
milio ſimile, cum hæc planta habeat radicem rotun-
dam, cortice nigro, & intus colore flaveſcat, ſitque
& cruda & cocta edulis; & præſertim cum Abimbetar,
medicus Ægyptius, in capite de Loto (quam plantam
vocat *Biſnil*) dixerit radicem eſculentam *Biarum*
ab Ægyptiis fuiſſe nominatam, quo nomine hujus tem-
poris Ægyptii itidem hanc radicem intelligunt. Unum
eſt, quod notatu dignum eſſe videtur, apud Theo-
phraſtum legi de radice, *amplitudine mali Cotonei* e-
am fuiſſe. Dioſcorides ex Theophraſto dixit, *ſimili-
tudine mali Cotonei*, neutrum verum eſſe deprehen-
ſum eſt, ſiquidem radix potius eſt pyriformis, & ma-
gnitudine ovum gallinaceum magnum non excedit. Li-
benter crediderim Theophraſtum, pro Loti Corſia ra-
dice, Colocaſſiæ rotundæ radicem cognoviſſe; quæ ve-
rè amplitudine & figura rotunda malum Cotoneum æ-
mulatur. Accedit etiam quod addidit, intus eſſe candi-
dam, cum Loti radix exterius ſit nigra, & intus flavi colo-
ris; unde merito decocta colore ovi luteum æmulari, vel
etiam Dioſcorides expreſſit. Quibus quidem colligo, *A-
rais el Nil* Ægyptiorum eſſe legitimum Lotum Nilia-
cam Theophraſti & Dioſcoridis. Nos vero, priuſquam
hanc plantam vidiſſemus, ſuſpicati fuimus eſſe Nympheæ
ſpe-

ſpeciem, ex ea etiam famoſa illiuſce plantæ converſione ad ſolem (de qua abunde ſcripſimus in noſtra Hiſtoria Ægyptiaca) cum in Margheræ lacunis in Nymphea alba eam converſionem fieri ſedulo obſervaverimus, & etiam inibi invenimus Nympheam albam radice rotunda, quam ejuſdem eſſe deprehendimus, cujus eſt *Arais el Nil*, quæ eſt Lotus Nilotica. Mirum certe eſt, cur veteres Lotum Nympheæ ſimilem non fecerint, & foliis, & caulibus, & floribus, & capitibus, ac vel etiam radice rotundæ Nympheæ, cum folia ſimilia & figura & magnitudine ſint, licet aliquantum minora ſint, & undique ſerrata, & habentia longe plures nervos parvos per longum & latum folii diſcurrentes. Quid de floribus? an non ex toto ſimiles ſunt? an non habent etiam in medio foliola, longa, tenuia, ſurſum oblique inverſa? quæ Dioſcorides, de Nymphea locutus, Crocum appellavit, an non iidem prorſus longi, rotundi, cavi, & colore viridi in nigrum inclinante? Quid de capitibus? an non & figura, & magnitudine, & colore, ea, quæ in Nymphea ſunt, æmulantur? In ſemine aliquantum differunt, quoniam Nympheæ capita habent ſemina longe majora, non tamen nigra, ut Dioſcorides meminit. Radix vero Nympheæ albæ, a nobis in Margheræ lacunis effoſſa, rotunda, haud abſimili a Loti Corſia nobis viſa eſt. Cujus imaginem, & totius plantæ dedimus in Hiſtoria Ægyptiaca. Addo radicem Nympheæ Loti Corſiæ habere eundem guſtum, quem *Arais el Nil* habere me obſervaviſſe ſcio. Unde mirum non eſt, ſi Theophraſtus in libro nono de Hiſt. Plant. cap. 13. ſcripſerit, *Nympheæ radix dulcis eſt, quæ naſci in lacuſtribus ſolet; ut Orchomenienſi agro, & Marathone, & in Creta inſula. Bœoti Madoni-*

am hanc appellant, fructumque mandunt. Gerit folia ſuper aquam ampla, trita impoſita plagæ ſanguinem ſiſtere traditur, utilis & ad difficultates inteſtinorum potà. Non diſſimile traditum fuit a Plinio Hiſt. Nat. lib. XXII. cap. 21. de Lotometra, quæ fit ex Loto ſata, ex cujus ſemine, ſimili milio, fiunt panes in Ægypto, a paſtoribus maxime, aqua vel lacte ſubacto. Negatur quidquam illo pane ſalubrius eſſe, aut levius dum caleat, refrigeratus difficilius coquitur fitque ponderoſius. Hunc panem uſu ad medicinam cum Nymphea convenire vel etiam hiſce verbis nobis tradidit; dicens: *Conſtat eos, qui illo vivant, nec dyſenteria, nec teneſmo; neque aliis morbis ventris infeſtari.* Quare ex iis nos haud male feciſſe putamus, cum *Arais el Nil* eſſe Lotum Niloticam Theophraſti & Dioſcoridis affirmaverimus, atque non minus hanc plantam inter Nympheas albas eſſe comprehendendam, & hic & alibi demonſtraverimus.

JO-

JO. VESLINGII
MINDANI,
EQUITIS,

Et in Patavino Gymnaſio Anatomiæ, & Pharmaciæ Profeſſoris primarii,

PARÆNESES

Ad Rem Herbariam

Publicis plantarum oſtenſionibus præmiſſæ.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
JULIO JUSTINIANO
JOANNIS FILIO
JOANNIS VESLINGIUS F. P.

DIſſertationes iſtas, quibus deditam medendi ſcientiæ juventutem, ad rei herbariæ ſtudium incitare, tardantibuſque calcar addere debui, eas dare Tibi & dedicare; non abs re, tum à conditione tua alienum, tum ab inſtituto meo diverſum quiſpiam judicaverit, Illuſtriſſime JULI. Deducere enim videbor a nobiliſſimi ſtemmatis faſtigio, ad agreſtia quædam, & humi repentia: devotumque ſummis honoribus pectus, murice purpuraque velandum, non utilibus Sereniſſimæ Reipublicæ curis implere; ſed privatis occupare levibuſque oblectamentis. Ego verò in parte quadam felicitatis meæ pono, quod eum Te cognoſcam, quem hic non ut exhortandum proponere debeo; ſed ut exemplum, ad quod alii ſe componant, longè clariſſimum. Vix enim pubertatis annos attigeras, cum in amœniſſimo Burgofori conſepto, non obvias tantum Italiæ plantas, vel partium elegantia, vel præſtantia virium inſignes, ſed petitas ex Creta, Syria, Ægypto, Indiis, exquiſitiſſimas Floræ delicias, tot pulvillis alveoliſque fictilium digeſtas, præſenti mihi, pariterque miranti, ſingulari dexteritate recenſeres.

Ma-

Magiſtrum hic ducemque nactus, Illuſtriſſimum NICOLAUM CONTARENUM, avum maternum, ingens celſiſſimi Senatus ornamentum, & Botanicorum quotquot hoc ſeculo claruerunt, tum natalium ſplendore, tum ſtirpium omnigenarum peritia longé principem. Neque in his tamen excellenti ingenio metam figis: imò pergis inoffenſo curſu, ad ipſa

Edita doctrina ſapientum templa

Non in apicibus aliquot phyſices detentus, ut nunc plerique adoleſcentes ſolent, titulos ſuos, neſcio adepti magis, an meriti; ſed animo ſtudioque univerſum hoc complexus; inquiris corporum naturalium principia, & cauſas: quænam vis ſolida terrarum agitet, convellat: mare quid certis fluendi, refluendique vicibus impellat: in aëre unde tumultus, fragores tonitruum, fulminum jactus, ventorum prælia. Rectrix corporis anima quî nutriendi, generandique officium conſummet, quî ſenſus, ac motus conjugata munera, tum principes illas intelligendi, volendique facultates. Quamvis poſt cognitas Geometriæ apodixes, potiſſimùm in cœlo verſeris, & circa perennes lucidoſque ſiderum ignes: Vel hoc argumento plebeis, & humilibus animis ſuperior, quod delectant te divina, quodque rebus cœlæſtibus non ut alienis interſis; ſed ut Tuis. Obſervas, ubi quæque ſtella primum lumen oſtendat, ubi culmen attingat ſummum, ubi deſcenſum,

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quoſque ignis cœli Cyllenius errat in orbes.

Maximè terris finitimi ſideris deſiderio teneris, cui majeſtatem ſuam tueris, confirmato diligenti ſpecula-

tione propriæ lucis decoro. Jamque eò progreſſus es, ut vir magnus, Fortunius Licetus, quum hæc eadem meditaretur, non dubitarit te dogmatum ſuorum aſſertorem, ſcriptis orbi publicare: non contemnendo in hoc adoleſcentiæ Tuæ flore, induſtriæ, & ingenii fructu. Addes porrò ſanctiorem ſapientiæ partem, quæ fontes humanarum perturbationum inveſtigat, quæ valla & arces extruit, quibus arceat, defendatque cupidinum inſultus, quibus ſpei, & timori metam, aut modum ponat, animum adeò ipſum Virtutum omnium comitatu, atque ornamentis honeſtet. His junges quæ vitam civilem, communemque tranquillitatem ſtabiliunt: Rempublicam benè conſtitutam ſervent, augeant, adflictamque redintegrent. Rectorem populorum, quid ſideri benefico ſimile reddat,

—— quod tumida æquora placet,
Collectaſque fuget nubes, ſolemque reducat.

Quid curam ejus in excubiis pro ſalute ſingulorum intendat, benevolentiam civium, fidemque ſolidet, ut inſidiantium mucronibus ſe pro illo objiciant, cumque per ſtragem humanam ad incolumitatem iter aperiendum eſt, corpora ſua ſubſternere non pertimeſcant. Quibus bonis ſuccinctum, clarè proſpicio non minus ad capeſſenda Sereniſſimæ Reipublicæ munera, idoneum Te futurum, quàm revocatum ex plantario Cyrum, è Linterni hortulo Scipionem Africanum, è Salonenſi rure Diocletianum, & è villis ſuis tot priſcos Quirites, manu conſilioque egregium publicum aſſerentes. Habeas igitur, Illuſtriſſime JULI, hæc ad herbarum ſtudium ὁρμητήρια, *affectus in Te mei, & obſervantiæ qualiacunque monumenta. Quæ non ingrata tibi fo-*

re, tanto magis confido, quanto minus de ſingulari erga me affectu, & humanitate tua mihi ambigendum fuit. Vale feliciter, & in antiquam ſplendidamque familiam tuam, præter Virtutes, & laudes quibus Europa univerſa perſonat, magnanimitatis, conſtantiæ, pietatis, ipſe novum atque auguſtum illud decus inferas doctrinæ, & literarum.

Patavii Idibus Januarii Anno ſalutis cIↄ. Iↄc. XLIV.

PLAN-

PLANTARUM, ET HUMANÆ NATURÆ, AFFINITAS.

INſolitum vobis Auditores, & ab officii mei inſtituto forſan alienum videtur, quod, incultus alioquin Orator, nec rerum majeſtate, nec verborum ornatu ſatis inſtructus, ex umbris Anatomici theatri in apricum prodeo, & amœnum hunc Floræ circum; ex brumæ rigore medio, in ſuavem hanc anni vernantis temperiem. Equidem corporis humani perita diſſectio, arti Medicæ ſtabiliendæ neceſſaria; res tamen eſt, cum ob partium varietatem laboris plena, tum propter actionum obſcuritatem difficultatibus circumſepta quàm plurimis. Ipſumque fato ſuo jam functum hominis corpus, ſuborto putredinis tædio, curioſas manus abarcet; nec jam Minervæ ſe deberi clamat; ſed Libitinæ, non Theatro; ſed ſepulchro. At mollia hæc, & circumfuſa plantarum agmina, quamvis incredibili ſpecierum varietate nomenclatoris memoriam fatigant; qualitatum tamen, quas in Scholis Manifeſtas appellamus, facili perceptione, promptiorem ſui notitiam ſenſibus pandunt: & poſt obitum quoque gratiſſima cadavera, inter geſtantium amplexus, inter odorantium oſcula, ſi quam poſſident, odori halitus ſuavitatem, largiter mortalibus inſpirant.

Fateor, optimi Auditores, diverſitatem hic aliquam intercedere, contrarietatem autem obſtare nullam; quæ vel Anatomici officium, vel Medici contemplationem excludat. Quod mihi probare proclive fuerit, ſi quam in Theatro differenti patientiam commodatis, in hoc jucundo herbarum compendio, pari cum benignitate junctam conceſſeritis. Nam expendenti mihi quid cum homine rectius in comparationem

veniat, opportunè ſuggerit Homerus, humanæ ſapientiæ promus conduſque venuſtiſſimus,

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Quale foliorum genus eſt, tale quoque virorum.

Vocem egregiam, & quam natam arbitror, in iſtis areolis hortorum, & pulvillis! Homini quidem cæleſtem originem aſſignat, maximus philoſophorum conſenſus, partemque divini ſpiritus corpore demerſam. Mirum nullum eſt, inquit Romani porticus Zeno, hominem ad Deos ire: Deus ad homines venit, imò quod proprius eſt, in hominem venit, & bona mens ſine Deo nulla eſt. *Hinc illa ex Arato divi legati vox,*

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν —

Numinis illius genus homines ſumus. Quid verò plantæ? quas cæleſti quodam vigore plenas exiſtere, tam facilè ſibi perſuaſere ſelectiſſimæ gentes, ut flores pleroſque natos crederent, ex ſucco & ſanguine immortalium Deorum. Nec dubium eſt, è ſtirpium materie, tam numinum templa, quam ſimulacra fuiſſe conſtructa, priſcoque ritu ſimplicia rura, cæteris excellentem arborem Deo dicaſſe, cum non magis auro atque ebore fulgentia ſigna, quàm lucos, & grata in iiſdem ſilentia adorarent. Mitto hæc profana. *Ille* ipſe rerum æternus conditor, qui, (ut pie loquitur Damaſus)

— dignatus iniquas

Aetatis perferre vices, hominemque ſubire,

non dedignatus, inquam, plantas eſt. Nam triumphata morte ab inferis redux, non palmato victoris indumento; ſed ſub vili & agreſti habitu, in hortis primùm ſpectandum ſe præbuit. Titulum ipſum, ac nomen haud ſprevit, unicum humilitatis exemplar, cum in ſacris Odis, floſculum ſe campeſtrem, convalliumque lilium appellaret, & ad florum, utpote rerum caducarum providam conſervationem rimandam, oculos mortalium invitaret, lento ſolicitudinum vinculo animos ipſorum expediturus.

Homo ſemine fœcundo generis perennitatem conſequitur, & deliteſcit in eo peritiſſimus plaſtes, quem Medendi præceptor

tor admiratus, τέχνην σοφίην τε μεγίστην, artem ſapientiamque ſummam vocat, qui ex rudi illa ſeminum congerie corpuſculum efformat, partium decenti magnitudine, figuræ concinnitate, nexu item, poſituque ſingularum partium ad amuſſim exactiſſimum: non ut Phidias aliquis circa ſuperficiem tantùm occupatus; ſed internis pariter atque externis, minimis maximiſque ſolerter efformandis ſufficientiſſimus. Idem in plantis obtinet, quorum ſemina generis diuturnitatem ſpectantia, vim poſſident elaborandæ ſobolis peritia penitus admirandam, quæ radicum multiplicem plexum, & oſcula terrenum uber avidè ſiccantia, tum caulium thyrſos, ramoſiſque brachiis validam ſtirpem, foliorum ornamenta, floremque totius operis coronidem ſpecioſiſſimam, immota quadam, licet ignota nobis lege, quàm accuratiſſimè conſummat. Inſtrumentorum quoque ratio par eſt. Nam ut humani, ſic vegetabilis quoque fœtus productionem calor adjuvat, quem non inſcitè cum philoſopho ſiderum elemento analogum pronunciaverim: cujus adminiculo natura, per humidi terreique variam miſturam, partium ſingularum temperamenta, raritatem, craſſitiem, aſperitatem, lenitudinemque molitur. Sed hominem reconditum intra parentis viſcera, & illa naſcentis rudimenta quiſquis indagaverit, non in admirationem; ſed ſtuporem dabitur, cùm obſervaverit, ſuſcitatam à vitali calore ſecundinarum veſiculam, & fluitantis in ea corpuſculi tenuem, rudemque contextum, vix apiculæ magnitudinem mole membrorum ſuperantem, tum bullis aliquot pellucidis diſtinctum caput, enormes oculorum orbes, & ab umbilico ſurgentia venularum tenuiſſima capillamenta, adeoque homuncionis

Omnia, tunc verè tenui pendentia filo.

Imò ſi non piget leves cognoſcere curas, admovete tenellis lactucæ rudimentis fideles oculos, & obſervabitis in iis oleris univerſi elegantiſſimum exemplar, manifeſto quidem cum diſpendio magnitudinis; nullo tamen habitus, externæque formæ. Videte ſub germinis emiſſionem fœcunda leguminum ſemina, & in illis artifici veluti penicillo expreſſam totius plantæ ſpem. Dividite Lilionarciſſi vernantem bulbum, & agnoſcetis intra

collecta etiamnum foliola, velut intra ſecundinas, minutum floſculi veſtigium, & hærentem cauliculo ſurgenti novi bulbi globulum; confeſſuri cum rerum Naturæ graviſſimo ſcriptore, nuſpiam eam magis quàm in minimis totam eſſe. Homo vitalibus auris jam maturus, ruptis quibus induebatur ſecundinis, non ſine matris tormento, clauſtris uteri erumpit. Initio rerum omnium egenus; ſed adaucta ſenſim ætate provectus, tum ſibi, tum parenti abundè ſufficiens, &, ut verè conqueritur Plinius, fortunæ munera homo complexus non alumnum ſeſe ejus, ſed partum exiſtimat. Nec vegetabilia ſanè, *quamvis de ipſorum ſenſu nullus ſit homini ſenſus, citra ſeminalium involucrorum diviſionem genetricis* corpore dirimuntur. Quin vel hoc ipſo felicius auſpicari vitam videntur, quod in eorum diſcrimine nullum ferè matri diſcrimen eſt: non alia vel Nixia, vel Levana, quàm cœleſti Lucina naſcentibus plantis opem ferente. Formatæ verò, profundiſque radicibus terram implicantes, etiam ſpernere poſſunt fortuitorum omnem impetum, quamvis eas valido robore,

Alpeſtres Boreæ, nunc hinc nunc flatibus illinc,
Eruere inter ſe certent ——

Iam in corporis humani partes quicunque diligentius inquiſiverit, ſenſuum utique indicio, ſimplices alias deprehenderit, alias ex ſimplicium concurſu compoſitas. E ſimplicibus habentur conjugati nervorum ordines, Venarum quieſcentium micantiumque purpurati ductus, oſſa partium molliorum valida fulcimenta, & carnes, tam viſceribus, glandularumque ſpongiolis affuſæ, quàm toris lacertorum infarctæ, membranarum item, & vinculorum multiplex apparatus, ad tutelam omnium fœderiſque ſocietatem conducibilis. Eundem in modum res de plantis habet, in quibus ſimplicium partium rationem fibræ obtinent, ſive nervi, quæque nervis ſucci pleniores ſunt, altrices illæ venæ, quas per foliorum planitiem ſtabili quadam ſerie diſtributas, facili obtutu quilibet deprehendit. Addo carnem, in mori ceraſique fructibus molliorem, ſolidiuſculam in pyris, & malis, in amygdalis nucibuſque duriorem. Quid ligna interpoſitis nodis variè articulata? nihil aliud, quàm oſſe-

oſſeum plantis arboreſcentibus robur. His tamen omnibus tegumenta adjecit providus opifex, corticumque libros, & æmulas epidermidis cuticulas, quibus externorum noxas à penetralibus ſuis excluderent. Nec verò, quod humano corpori conſtans medicorum ſuffragium tribuit, plantis deeſt, calor & humiditas. Imò utrumque adeſt, ob cauſam rationemque ſimilimam. Etenim ut conſtituerentur ſimpliciter, humido opus erat, quo terrena materies ſtipata, lentorem, partiumque continuitatem nanciſceretur; tum calore, quem ἀρχίγονον appellat Ariſtoteles, cujus miniſterio ſingula jungerentur, miſcerentur. Conſtitutæ plantæ ut porrò ſervarentur, iterum aliunde accerſenda, totque radicum oſculis haurienda fuit humiditas, ſqualoris, marcoriſque remedium unicum; tum operis promotor blandus ille, ac cœleſtis calor: quorum uno, vel utroque deficiente, amiſſo jam corpore, vitam penitùs exſolvi neceſſum eſt. Oportunè verò ſuppeditatis his præſidiis, videre licet ferè tabe confectas plantas vires ſumere, &, ut cum Lucretio loquar,

—— hilari grandeſcere adauctu,
Paulatimque gradus ætatis ſcandere adultæ.

Diverſitatem etiam humorum hic quoque notamus: in tithymalis & ſoncho lacteus abundat ſuccus, in anchuſis ſantaloque purpureus, flavus in crocis, & chelidoniis, in pluribus viridis, nonnulliſque fuſcedine quadam atratus.

Cæterùm, compoſitæ ex ſimplicibus partes, aliæ per regiones in homines diſpoſitæ ſunt, aliæ per extrema ſeu artus. E regionibus infima, corporis univerſi promptuaria cella, viſcera continet, quæ vel alimentis concoquendis, vel ſubſtituendæ ſoboli Natura comparavit. Intermedia altera, vitæ arcem includit, robuſtis coſtarum veluti cratibus obvallata: denique ſuprema illa, præ cæteris nobilior regio, cranii valido propugnaculo ſuccincta, hominis, ut ait Plinius, cælum: quod in tranquillo affectuum ſtatu ſerenum, in perturbato nubilum irarumque fluctibus procelloſum, mille modis homines hominibus collidit. Similis in plantis compoſitarum partium ordo eſt, & regio illa infima qua terræ cohærent, & inhærent, vegetabilium abdo-

domen eſt, in quo promiſſis radicibus ac bulborum cirris, alimenti ſeminiſque reparationi incumbunt: altera item in germinis radicumque medio conſtituta, ἐγκάρδιον complectitur. Ita enim cum Dioſcoride partem nomino, à qua diffuſis tam radicibus, quàm venis origo eſt, & per omnes plantarum tractus vitalis vigor diſtribuitur. Supremam regionem, in arboreſcentibus ab encardio caudex deſcribit, qui per ramos ramorumque frondes, & ſurculos, tanquam artus, & extrema finditur. Hic foliorum amœna congeries, & fructus vegetæ naturæ fœtus, fructuumque ſive ornamenta ſive *indicia flores* hoſpitantur. Suſpicimus *autem in homine potiſſimùm vultum*, & expreſſa *in illo providi* conditoris noſtri argumenta clariſſima. Oſculum illud venuſtate plenum, orationis ſuaviſſimæ promptuarium: odorum cum ſpiritu biforem viam, diffuſamque genis virtutis purpuram, oculos luce viſionis illuſtres, errantemque circa lacteam frontem comantis juventæ cæſariem, & quicquid apud elegantiarum arbitros amor invenit. Eadem flores exhibent, non ſine ſenſuum omnium manifeſto conſenſu. Inſpicite iſtos e calycibus, hos è gemmis, illos è vaginis ſuis protuberantes, hiſcentibus ad ſolis conſpectum labellis blandè renidentes, quum halitus ſuaviſſimi prodiga oblatione rerum parentem ſalutant. Videte mihi, *vel in uno aliquo* genere pulchritudinem, hoc aurum, hanc purpuram, has nives, hanc flammam, &, ut cum Plinio loquar, naturæ pingentis varium amabilemque luſum: quem Apelles aliquis coloribus adumbrare forſan queat, non adæquare: adæquare, non ſuperare. Fragile tamen bonum eſt, externum hoc formæ decus, & exigui temporis munus exiſtit, quodque nulla non dies veluti ſpolium formoſo corpori ſubducit. Id verò multo magis in flores convenit, fugacis pulchritudinis languida ſimulacra, quibus aut inclementior contactus, aut pluvia gravior, aut immitior aura, protinus interitum accelerat. Adeò verè doctiſſimus Poëta,

Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει ἄλλα δὲ πέσσει.

Illa parit Zephyrus, ait, idem celer [illegible] iſta! Quod fit cum foliorum aureus ille fulgor in lanugines, tenueſque pappos, ventorum ludibria, faceſſit. Et expreſſum in hoc communi

fra-

fragilitatis typo hominem, ſi quis intueri non erubeſcit, orchidis florem videat, eum quem ἀνθρωποφόρον appellant, & in porrectis brachiolis, diductiſque cruribus lepidam humani corporis effigiem, & ab involucrorum infirma galeola pendulam, ut floris inſtar hominem florere, juxtaque cum illis apparere tantiſper, atque iterum diſparere, non ignoremus. At hominem cum non ſibi tantum vacare vellet; ſed in conſortium aliorum, ſuppetiaſque deducere, ſexuum aliquod diſcrimen effecit ſapientiſſimus rerum omnium parens. Simile de plantis dudum cum Empedocle receperunt peritiores Hortenſii. Inter quas ex eadem ſpecie, ſtirpis habitudine ſicciores; fœtuque tum ferendo, tum nutriendo minus exhauſtas, confidenter maſculorum ordini adſcribunt, quas aliter affectas notant, ſequiori ſexui annumerant. Exemplum ejus rei clarum palmæ exhibent, è quibus mares comis erectis hiſpidos, propriùs adſitas fœminas, afflatu, viſu, ipſo etiam pulvere fœcundare, veteres Naturæ diligentiſſimi indagatores prodiderunt. Fœminas tanquam intellectu Veneris inclinatas, blandioribus comis in mares nutare, iiſdemque exciſis ſterileſcere. Hominum certè promiſcuus ille cœtus, alios habet cultos, alios agreſtes. ingeniique durioris. Ex quo fit, ut quibuſdam rapaces Virtutum animi, & ex ſeſe fertiles videantur, ſine longo magiſterio honeſta comprehendentes: nonnulli, ut nativa ſurgentes pulchritudine, in rectum exeant, tam præceptis adjuvandi, quàm exemplorum adminiculis ſtatuminandi ſunt. Multis gravius obſtat frigus, quibus abſque ſeveriore lege profectus extundi non poteſt. Inter plantas ea res evidentior eſt, quarum pars ſylveſtris, & horridioris indolis, pars mitior, quæque ſponte ad cultoris ſui vota properat. Sunt, quibus aut natale ſolum, aut conſuetorum uſus eripi non poteſt, quædam non niſi conculcata terra proficiunt: quarundam in tenellis herbis depaſcenda luxuries, & implexa ramorum congeries amputatione coërcenda. Sycomori ſine vulnere fœcundi non ſunt, olerumque plurimis nec vitæ diuturnitas, nec saporis gratia conſtat, niſi primum germen nutricis gremio ſubducatur. Itaque divina illa, non ruſtica Muſa, vere cecinit.

N - - - *pater*

— pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda.

Actionum porrò ſi comparationem inſtituamus, homini quidem communiores eæ ſunt, quas naturales rei medicæ auctores pronunciarunt, nutritio, & generatio. Cum enim inſitus partibus calor humidum, tanquam pabulum ſuum, avidè carpat, ne fluidum hominis caſurumque corpus, veluti oleo defecta flammula citò marceſceret, alimento reſtaurandum erat, quod in ventriculo præparatum, in jecore ulterius elaboratum, in corde perfectum, reliquis deinde membris per venas ſuppeditatum omnia reficit, & ad vigorem uſque ætatis juſtis incrementis adauget. Ut ſobole generata caducam ſtirpem homo redintegraret, ſemen producere debuit, fœtus novelli fundamentum, quod præparatum intra pampiniformes vaſorum ductus, in varicoſis flexibus elaboratum, in capſulis denique ſpermaticis conſummatum, tandem in hortulo conjugis, arvoque Naturæ fereret. Quantò verò manifeſtiores ſunt in plantis hæ naturales functiones, quas porrectis in terram altricem copioſis radicibus, nutritionis officium tam gnaviter exſequi certum eſt, ut multis huic tantum muneri operam navare perhibeantur. Non idem tamen omnibus alimenti modus, non eadem æquè ſuavia. Sunt quibus largior nutrimenti portio ſufficienda: cappares, & verbaſcum paucis contenta. Frigida pleriſque commodior; ocymum tamen affuſa calida magis proficit. Omnes ferè dulcem poſtulant humorem; ex oleribus nihilominus eruca, & braſſica, ſalſis nitroſiſque juvantur. Unde contingit, cum non idem habitus ſit, cultuſque locorum,

— quod non omnis fert omnia tellus.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina —

Fœcundam verò plantarum vim, quis non obviam undique oculis agnoſcit. Aliquæ nullo cogente ſponte ſua proveniunt: aliæ poſito de ſemine ſurgunt; quibuſdam ab radice pullulat denſiſſima ſylva. Atque hos propagationis modos primùm na-

tu-

tura dedit; quid ars deinceps, & cultorum induſtria non adjecit? dum aut ſtolonum avulſorum tranſlatione, aut propaginibus in terram depreſſis, depactiſque novis ramis, proventum uberiorem vegetabilibus imperat.

Quin & caudicibus ſectis, mirabile viſu,
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Has nutriendi ſeſe, generandique vires, ut in homine, ſic in plantis vitalis quoque facultas promovet. Languidam eam quis arbitretur? Imò ſi rem æqua lance penſitemus, vix humana fragilitate debiliorem. Et ſtirpibus quidem blandum illud adoleſcentiæ ver, juventutis vegetum florem, & confirmatæ jam ætatis fructus, longa annorum ſeries reparat. Homini, inquit Catullus,

—— cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetuò una dormienda.

Quod ſi majores illas reſpicimus ſtirpes, abundè notum eſt, annoſa tot arborum robora, Statiliam, Neſtoremque vivacitate ſuperare. Quæ verò planta par eſſe queat homini, cum ſpectamus os ejus ſublime, & erectum ad ſidera vultum. Fertur enim ad ſimilitudinem ſui excellens natura, & ſimulacrum refert cæleſtium animorum decerpta quadam ab iis aura. Quis nobiles illas intelligendi atque eligendi dotes herbulæ tribuat? tum ſenſuum vigorem, & arbitrarii motus agilem expeditionem: affectuum vim, quorum impetu fruſtra ſæpius obluctante ratione, præceps fertur. Nolim tamen, humaniſſimi Auditores, tantum humano ingenio tribuatis, ut exhauſtam ab eo plantarum naturam omnem, perfectamque cognitionem acquiſitam arbitremini. Nam quod Bion olim de negotiis humanis aſſerebat, ea initiis ſuis eſſe ſimilia: verè hic quoque dixerim, & hanc ipſam rerum naturæ peritiam, ut confitetur Seneca, non magis abſolutam eſſe, quàm conceptus inchoatos. Negat Ariſtoteles vegetabilibus ſenſum ineſſe; quem tamen iiſdem aſſerebat Plato, vir, authore Cicerone, ingenii doctrinæque princeps: fecit idem Anaxagoras, quique præ cæteris herbarum viribus indagandis clarior, Democritus. Is enim & ſexum plantis, ſenſumque tribuebat, & mente pariter cognitioneque non carere credebat. Obſervarunt enim vi-

ri ſapientiſſimi, plantas aſſumpto alimento ſuaviter refici, & effloreſcente nativa pulchritudine partibus ſingulis in hilaritatem diffundi. Obſervarunt florum pleroſque ad ſolem, ſiderum ducem rectoremque converti, tanquam beneficum ejus influxum tacitis votis nunquam non exoptarent. Notarant quercum oleamque ſibi commiſſas, *maniſeſto* quodam diſſenſu in contrarium flecti. Vitem quoque braſſicam vicinam faſtidire, & aliorſum converſis flagellis, ab ejus contactu refugere. Cucumeres aquæ deſiderio evidenti affici, & *in proximam* illam toto ſe corpore demittere; *oleum autem propinquum tam acriter averſari, ut ab eo tanquam inimico ſe ſubductari incurventur.* Motus autem in plantis argumenta cur ſolicitè conquiram? Notiſſimum arbitror florum non paucos, Sole oriente, vel ad occaſum feſtinante, ſinus foliorum & ſyrmata modò pandere, modò recolligere, totque convolvulorum ordines, mira ſublimitatis aviditate, exporrectis quaqua verſum claviculis veluti manibus adminicula arripere, quibus in altum enitantur, & imminentia omnia ſuperent. Taceo Pudicam nomine arborêm, quam veluti modeſtiæ ſymbolo, homine accedente, ramos contrahere, eodemque recedente, diducere tradunt rerum Indicarum inſpectores. Tum alteram illam, cujus frondes humi *prolapſas* obrepere, manuſque inſectantium fugere memorant. Anne penitus admirandum, Lyſimachiam collo ferocium animalium ſuſpenſam, eadem cicurare, & ad manſuetudinem componere? Scyllam à foribus ædium pendulam incantamenta averruncare. Dæmones ipſos Hyperico fugari veterum diligentia compertum eſt.

Denique in humano corpore, ſtabilis naturalium actionum vigor eſt, ſi temperamentum ſalvum eſt, ſi conformatio decens, ſi partium omnium unio & communio non labefactetur. Ita res in plantis habet, quibus, ut ex doctiſſimo Poëtarum colligimus, temperamentum partium vitiat rapidi potentia Solis - -

Acrior, & Boreæ penetrabile frigus - - -
- - - quoties ruit arduus æther,

Et

Et pluvia ingenti ſata diluit - - -
Aut cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis.

Has enim noxas vermiculatio, rubigo, ſideratio, ſphaceluſque comitatur, vitia cum internecione plantarum conjuncta. Conformatione morboſa fiunt vegetabilia, cum impedita Plaſtes Natura, vel corpuſculum ipſorum totum, vel partes aliquot, minutas, aſperas, curvas, aliiſque modis præter inſtitutum contortas producit. Unio perit, cum quid abſceſſu prætumidum, vulnere ſaucium, rimiſque fiſſum fuerit. Cæterum ægritudines humanas, interdum ſola ſuis pollens viribus Natura expellit, quoties onere moleſtum ſanguinem apertis venarum oſculis excludit, noxioſque ſuccos alios per ductus corporis & meatus eliminat. Interdum arti corolla debetur, quoties victæ propemodum à morbo Naturæ ſuppetias affert: cum per Æſculapios ſuos reductum ab orco Hippolitum in auras vitales vindicat. Eadem in plantis fiunt, in quibus ægritudinum impetum nonnunquam ſola Natura ſuſtinet. Cum gravata humiditatum copia, lacrymas viti, pruno ceraſoque, gummi, lentiſco & terebintho reſinas, ſalubri penitus eventu exprimit. Frequenter ab arte præſidium plantis venit, utpote quæ naſcentibus obſtetricis inſtar opitulatur, externas cœli ſolique injurias providè avertit, ſordeſcentibus coloris nitelam conciliat, odorum gravitatem inſolita fragrantia commutat, & ſimplicem florum habitum, Protei inſtar, multiplici formarum varietate diſtinguit. Quid memorem inſitionis prodigioſum artificium? quæ diverſas germinum traduces, alienis viſceribus inoleſcere docet, ut, accinente Marone,

Exeat ad cœlum ramis felicibus arbor,
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Et, ô ingenii humani portentum! non defuerunt hoc ipſo ſeculo Virbii novi, qui deſtructo jam, combuſtoque plantæ corpore, è fœcundis cineribus lepidam vegetabilis Phænicis umbram Hermetica opera in lucem revocarunt. Humanum tandem corpus, quod vitæ munere jam perfunctum, melle condiviſſe veteres, apud Xenophontem legimus. Simile de plantis fit, quarum vel integra corpora, vel partes, ſaccharo aut melle

recondimus, ut etiam poſt obitum non ingrata hominibus cadavera, vel tanquam gulæ ſcitamenta, vel tanquam bonæ Valetudinis fulcimenta placeant.

Ex quibus omnibus conſtare vobis arbitror, Auditores humaniſſimi, quàm ex verò profecta ſit Homeri vox, genus humanum plantis eſſe ſimile; quàmque cognata ſint officia, corporis humani contemplatio, & amœnior hæc plantarum potentium inſpectio. Conjunxerunt utrumque munus viri per Europæ tractus celeberrimi, qui tam in hoc nobili Patavino Lyceo, quàm in aliis florentiſſimis Gymnaſiis, & *Anatomica*; & Botanica publicè *profeſſi: quibus volupe fuit*, exantlatas à cadaverum diſſectione moleſtias, jucundo rerum hortenſium exercitio diluere.

Eſt etenim alternis facilis labor ——.

Horum veſtigia, quamvis longo intervallo, ſereniſſimæ Reipublicæ Venetæ decreto ſequenda mihi ſunt, & intermiſſa jam ab aliquot annis grata plantarum contemplatione, rerum Anatomicarum inſuavitas mitiganda. *Vos* quoque lectiſſimi juvenes, generoſa pectora, & ad patriæ decus nata, ſtudium utrumque complectamini, quodque cælo deſcendiſſe fertur, γνῶθι σεαυτὸν, Noſce te ipſum, tam ex miranda partium corporis humani ſtructura; quam lepido hoc vegetabilium omnigenorum cœtu, exemplis jucundioribus perdiſcatis.

PLAN-

PLANTARUM

EXIMII CULTORES.

REceptus à vetuſtiſſimis ſeculis mos fuit, Auditores, legumque ſanctione deinceps confirmatus, ut ſacris certaminibus victores arborum ramis coronarentur: atque hoſtibus domitis clariſſimi duces, inter bellicos honores, connexum è floſculis ſertum, fortitudinis teſtimonium ſumerent. Adeoque princeps olim terrarum populus, haud nobiliorem ob ſervatos exercitus coronam; quàm gramineam imperatoribus a milite dandam conceſſit. Et placuit ſimplex hoc inſtitutum, dum intemerata placuit virtus, non aliunde; ſed à ſe ipſa pretium, æſtimationemque conſecuta. Senſim tamen obrepente priſcæ frugalitatis deliquio, contempta fuerunt obvia hæc Naturæ blandientis ornamenta, primuſque Craſſus ille dives, ex argento auroque folia coronarum imitatus. Non aliò ſanè exitu, niſi ut ſuavem & æthereum honeſti ſpiritum, ſordida vulgi aviditate, veluti olenti fæce corrumperet, ipſuſque fortunis ampliſſimis devolutus infamem ſeſe creditoribus decoctorem objiceret. Simile de medendi ſcientia dixerim, quam peſtilenti quodam ſidere adflatam judicarunt viri magni, poſtquam à portentoſis ingeniis ſpreta penitus herbarum potentia, remediorum gratia metalla tantùm quæſita fuerunt, &, tanquam parum benigna fertiliſque tellus foret, qua parte calcatur, in viſcera ejus penetratum eſt; & horridam Manium ſedem, ut tormenta conquirerentur, quibus in morbos pugnaretur, de quibus incertum, luxatæ ſæpius ſecunda valetudo, an adverſa reſtituta fuerit. Quorum inſaniam, ſi paucis mihi perſtringere dabitis, humanitatis veſtræ munus agnoſcam, Auditores, & eximiæ benevolentiæ argumentum certiſſimum.

Nam

Nam ſi providus ille rerum auctor humanæ valetudinis præſidia in metallis præcipuè repoſuit, quid eſt, quod oculis illa mortalium ſubduxit? quod ad inferos uſque demerſit, ac rebus veluti noxiis damnoque generis humani prodituris in medium, toto pondere terram inſtravit? Ecquis ad ſalutem inventa credat, quæ ſine certa pernicie conquiri non potuerunt? valere hominem per illa debuiſſe, quæ actis per montium ſpatia cuniculis improbo atque indigno labore vitam ejus attritura? quæ ſidentibus infirma cervice fornicum rimis, repentina morte operarium oppreſſura? ſpiritum *anhelantis tetro lethalique* fumo ſtrangulatura? atque utcunque perditæ cupiditati cætera benè vertant, lucis incertam uſuram, certis umbris ac tenebris damnatura? Protrahantur è latebris ſuis tandem metalla, & curioſi artificis judicium pariter ac manus delaſſent; non habebunt inter ſalutares notas, quo ſenſuum fidem provocent. Nam tactui immitè protinus frigus inſinuant: odoratui & *linguæ*, aut nihil, aut inſuave quid, & nauſeabundum: ut cum ad experimentum procedendum eſt, non ad amuſſim artis exactum opus; ſed temeritate, atque audacia plena periclitatio committenda ſit. Claudicet enim neceſſe eſt ἐμπειρία quæcunque rationis fulcro non ſubnixa, & in error impingat, quæ recti judicii Theſeio veluti filo non directa. Nec aliam arbitror cauſam fuiſſe, cum jam antiquitùs ſatis obvia metalla forent, quod in tanta priſcorum diligentia, vix habeant graviſſimi ſcriptores, quo morbis præſentibus internum illorum uſum perſuadeant: quibus tamen (ut ſeriò fatetur Plinius) nihil intentatum inexpertumque fuit: nihil deinde occultatum, quod prodeſſe poſteris vellent. Abſcondiſſe eos abſtruſos naturæ theſauros, vitamque bonis alienis defraudaſſe, tantum abfuit, ut etiam ingratis eos divulgarint, diuque ſummum ingeniorum emolumentum duxerint, ne intra unumquemque præclara inventa perirent. Cur imponi mihi patiar ab hodierno chymicorum vulgo, patere nunc metallorum arcana, atque interiore naturæ ſacrario concepta horum principia, Vulcani miniſterio detecta? Quamvis enim hæc in auro, in ſtibio, in hydrargyro, non illaudabili ſtudio quæſiverint plurimi; tamen irritos fuiſſe cona-

conatus, tum demum agnovere, cum per tot ignium gradus, aquarumque Stygiarum vires exercitatam materiam, habitum tantùm mutaſſe deprehenderent; non exuiſſe corpus: nec talaria poſuiſſe unquam volaticum illum divum; ſed vel Proteo mutabiliorem, poſtquam vario ſub ſchemate diutius luſiſſet, remeaſſe tandem in priſtinam libertatem, vomicam æterni liquoris, & rerum omnium venenum. Aperto ſatis indicio fruſtra ab his ſolis morborum auxilia exſpectari, quorum intimæ vires in notitiam hominis haud pervenerunt, nec pervenire forſan debuerunt. ! ! !

At illa quæ adverſus ægritudinum impetum efficaciſſimè pollere voluit, rerum optimarum æterna ſcaturigo Deus, è tellure ipſum produxiſſe ſacris literarum monumentis dudum conſignatum eſt; adeoque tot herbarum fruticumque genera, quemadmodum edita fruge victus neceſſitatem homini explent; ita fœcundo medicamentorum proventu Valetudinem proſperam conſervant, adflictamque morborum ſævitia priſtino vigori reſtituunt. Plantarum opera, infeſtum vitæ penetralibus frigus ſuperamus, ardorem æſtuantium viſcerum demulcemus, ſuffuſos partibus humiditatum imbres exſiccamus, ariditatem earumdem ſqualoremque temperamus. His jubente Deo utendum eſt, imò imperante; ut quamvis neceſſariò ad fatalem illam metam homini eundum, præſto nihilominus ſit, quod externorum præcipitem incurſum avertat, corporiſque cruciatus ſubinde propulſet, & ad cataſtrophen vitæ molli magis, ac naturali via, deducat. Nec locus ullus aut regio cæleſti munificentia deſtituitur: non abditæ ſolitudines, & horridior omnis naturæ facies, non juga montium nubes excedentia, exuſtique ſideribus terrarum tractus. A Mæotidis palude, & ultra Herculis columnas ipſoque rerum naturæ defectu, herbæ petitæ ſunt, quas in ſanitatis uſum induſtria medendi converteret. Homini utique felicitatis ſuæ culmen etiamnum obtinenti, domicilium primum, & veluti ſedem beatioris ævi, hortum adſignabat, beneficum Numen, ut ambiguum ipſi relinqueret, plura utilitatis ejus gratia condidiſſet, quàm voluptatis: cum & neceſſitatibus ſingulis proſpectum eſſet, & amaretur

uſque in delicias. Reficiebant utrunque ſenſum partim ſcintillantes varieque micantes flores, etiam non ſuſpicienti ſiderum deſideria renovantes: partim ingenuus ab iiſdem & gratiſſimus halitus, & quocunque animum oculoſque convertebat homo, ex vegetabilium uberrimo lætiſſimoque proventu, facile cognoſcebat, & ignaro ſibi *divinitus* parata eſſe hæc beneficia, & ſuppeditari porro vel ingrato.

Nec obſcurat muneris præſtantiam, quod hiſpidus aliquot plantarum aſpectus, quod productis ſpinis tangentium manibus truces. Munire enim quaſdam Natura *debuit*, & aculeis veluti telis armare *ut tuta homini* magiſque ſalva remedia forent: *quæ* vel *avida* quadrupes depaſcere, procaces digiti rapere, vel neglecta veſtigia facilius obterere poterant. Ita hoc pariter quod in vegetabilibus diſplicet, hominis cauſa excogitatum arbitremur. Fateor quidem non omnes plantas æque gratas eſſe: multas qualitatum inſitarum exceſſu, morborum atrocium cauſas debellando, aſperitatem aliquam exſerere: quaſdam ſub floridula ſpecie toxica parare. Attamen hæ ipſæ quæ valetudini hominis penitus infeſtæ videntur, numeroſis tot ſeculorum experimentis, in uſum aliquem humanæ ſalutis converſæ fuerunt. Quamvis autem admirabilem hanc ex plantis remediorum varietatem ſummus ille dynaſta cum genuerit, tum homini largitus fuerit; occaſionem tamen inveniendorum, & cognoſcendorum effectuum anſam, non raro bruta dederunt animantia. Nam caligantium oculorum nubeculam chelidoniæ ſucco diſcuti hirundinum inventum eſt, quæ implumibus pullis hujus adminiculo viſum, vel acuunt retuſum, vel reſtituunt amiſſum. Canes gramine manſo ſtomachi faſtidium deducunt, rejecta per vomitum cum medicamento pituita. Serpentium morſui Elaphoboſci pabulo reſiſtunt cervæ. Dictamni quoque vires, infixa corpori extrahendi patefecerunt eædem, cum, ut loquitur Maro,

—— *tergo volucres hæſere ſagittæ.*

Paſtis enim dictamno cervis lethales arundines protinus deciderunt. Anguis deguſtato fœniculi ſurculo ſpolium hybernum exuere, ciconiam ægrotantem ex origano medelam excer-

cerpere, aprum ex hedera, magnis ſcriptoribus proditum eſt.

Atque hinc natæ porrò obſervationes, prima ſalutaris ſcientiæ fundamenta locarunt: quas ipſas tamen non humile vulgus ſibi tribuit; ſed Dii, quique æmula poteſtate Deorum ſimulacra ſunt, reges, principeſque tanquam proprias vindicarunt; plantas etiam ſingulas nominibus ſuis adoptantes. Laudatiſſimam herbarum, quamque à Diis Moly appellari cecinit Homerus, Mercurio inventori adſignat: idem & contra ſumma veneficia remedium prædicat. Panaces ipſo nomine morborum omnium auxilium promittit, ſpecie numeroſum, & Diis pariter indagatoribus adſcriptum: hujus radice tellure evulſa, ſcrobem replere vario genere frugum religio fuit, & terræ genetricis piamentum. Myriophyllum Achilles invenit, fortiſſimus heros, quem non ignorare decebat, ut loquitur Statius,

—— *quonam ſtaret medicamine ſanguis,*
Quid faceret ſomnos, quid hiantia vulnera claudat.

Plantam ipſam morbis militum ſublevandis utiliſſimam eſſe, facto ejus in Telepho curando felici experimento comprobavit. Cratævas Mithridati Scordium acceptum refert, potentiſſimo regi, atque in ſumma non minus ingenii, quam imperii magnitudine, medicinarum peculiariter curioſo, Eupatoria quoque regiam auctoritatem habent, nec viribus ſuis penitus indignam, quum ſemen ex vino potum unicè dyſentericis opituletur. Gentianam Illyriorum quondam principi Gentio debemus, nobiliſſimam plantam, & alexipharmaca virtute pauciſſimis inferiorem. Quid memorem Chironem, Lyſimachum, Teverum? cum mulieres quoque conſtet hanc gloriam affectaſſe. E quibus Artemiſia, Mauſoli regis conjunx, adoptata herba, quæ Parthenis ſeu virginea antea nominabatur. Nec verò frivolam exiſtimemus hanc vitæ juvandæ curam, & ne quid profuturum ſeculis diutius lateret. Quoſdam enim ſingula inventa Deorum numero addiderunt: vitam omnium ſanè, & morborum tyrannidi exemerunt, & clariorem reddiderunt cognominibus herbarum: excitata quoque poſteritatis memoria rerum utilium inveſtigatoribus gratiam benigne retulit. Sola

enim hæc Naturæ placuiſſe remedia cenſebantur, utpote non difficilia inventu, parata vulgò, citraque vitæ diſpendium quærenda. Inculpata magis omnia fuerunt, cum nondum per fraudes hominum, ingeniorumque capturas, venalis valetudo eſſet: nondum compoſitiones, atque inexplicabiles miſturæ decantarentur, ulcerique parvo ex Indiis, aut Mari Rubro medicina imputaretur, ut ſeriò conqueritur rerum Naturæ graviſſimus ſcriptor.

Atque inventores quidem herbarum tales tantique fuerunt quid illuſtres, & ab omni ævo ſplendidiſſimos *plantarum inventarum* cultores ſilentio *involvam? Et, ne Alcinoum Adonidemque* reges *è fabulis* accerſeam, in veris hiſtoriis Cyrum legimus, imperatorem celebratiſſimum, plantaria manu ſua inſtituiſſe, atque hoc ipſum apud Lyſandrum Lacedæmonum legatum in aliqua gloriæ ſuæ parte collocaſſe. Attalum ſane Pergami dynaſtam, non pretioſiſſimæ ſupellectilis fulgor, non ſecundantis fortunæ blandimenta detinebant, quin, omiſſa regni adminiſtratione, hortorum ſtudio, plantarumque ſatu, defeſſum aut aberrantem animum recolligeret. Semiramidis penſile viridarium, admirata fuit antiquitas, & Africa celebrem novumque Maſaniſſæ cultum. Apud Romanos adeò vetus reperitur hæc propenſio, ut reges imperii *fundatores*, poſitis aliis curis, hac potiſſimùm fuerint in cura. Tarquinium cognomento Superbum palàm eſt, decuſſis in horto, papaverum capitibus, ſævum illum, ut loquitur Plinius, & ſanguinarium nuntium filio remiſiſſe. Scipio Carthaginis terror, Hannibalis, atque Antiochi victor, Linterni, horto ſubigendo, triumphalem manum exercebat: adeòque ſuavem experiebatur hortenſem operam Diocletianus Cæſar, ut lactucas ad Salonam, & olera, diademati, imperiis, ſceptriſque cunctis præferret.

Quanquam palmam florei hujus cultus præripuiſſe omninò videantur priſcis, hodierni proceres, induſtria dicam, an ſeculi potius felicitate ſingulari, à quo tempore ad ortum, occaſumquè ſolis patefactis Indiis, Europa univerſa, non minus pretioſiſſimis mercibus locupletata, quàm utiliſſimis plantis venuſtiſ-

nuſtiſque floribus exornata fuit. Quis fama non accepit Elyſia illa hortenſia, quæ Ludovicus Decimus tertius, feliciſſimus pariter, ac juſtiſſimus Gallorum monarcha, regio ſumptu non ita pridem excitavit? In quibus non ſolùm ampliſſimi regni delicias, & avita lilia; ſed utriuſque Indiæ florea miracula, æmulo terrarum ſitu peritè diſpoſita, vigere juſſit. Atque ut propinqua tantum delibem: Ex Romanis illis, religionis, Sapientiæque purpureo ſplendore eminentiſſimis patribus, cognitum habetis Franciſcum Cardinalem Barberinum? Igitur & ſupra Tantali, Heſperidumque ſive pretium, ſive operam conſtitutos, ornatiſſimos ejuſdem hortos, in quos, tanquam divini nectaris fœcundis apibus floſculi honorem impetratura Chloris, prodiga manu congeſſit quicquid horum eximium habet, noſter, aut alter orbis. Te verò quem memorem,

—— *ò quà ſol habitabiles*
Illuſtrat oras optime principum,

Ferdinande Secunde, magnorum Hetruriæ ducum, qui, veluti cum imperii ſolio ſcientiarum virtutumque ſceptrum obtines, ſic in cultiſſimo Piſarum viridario ſplendidè inſtruendo, tum è quæſitiſſimis floribus temporaneam; tum in poſteritatis memoria coronam conſecutus es ſempiternam. Effloreſcit doctiſſimi Petri Caſtelli auſpiciis, in Mamertini gymnaſii uſum, hortus Meſſanenſis Siculus. Non favillis atque uſtilagine flammas eructantis Ætnæ decolor; ſed Floræ nitidioris ſuaveolentibus deliciis eximiè decorus. Lugdunum illud Brtavorum, clariſſimas Belgii Athenas, haud minus eruditiſſimorum profeſſorum celebritas commendat; quàm adjunctus ſplendidæ Academiæ cultiſſimus hortus: in quo, præſide Adolpho Vorſtio, altero hujus ævi Theophraſto, præpotentium Ordinum confœderatorum nutu, non ebur, aromata, gemmas; ſed flores ſuos inter Europæas hoſpitari plantas Indi mirantur. Vigent in Germaniæ ſinu Altorfinæ Tempe, induſtria Ludovici Jungermanni, incomparabilis Botanici, in medicarum virtutum compendium redactæ amœniſſimum. Ac ne vegeta magis cœli temperie felices terras, his floriferis hortorum ſpatiis gaudere tantum credatis, illas ad extremum ſiderum ambitum, gelida-

que Aquilonis conceptacula porrectas regiones, hac parte à rerum natura damnatos non eſſe, oſtendit Regius apud Danos Hafnienſis Academiæ paradiſus, Othonis Sperlingii, viri præſtantiſſimi, ſtudio, Europæis, Americaniſque plantis ornatiſſimus. At quid auguſtiſſimæ Reipublicæ Venetæ munificentia dignius erat, quàm ut in hoc nobiliſſimum bonarum artium Aſylum, bonæ valetudinis præſidia reciperentur? ut in Muſarum cœtu Phœbus ſurgeret, Phœboque ſubjectæ plantæ plantarumque vires agnoſcerentur. Immò prima omnium Veneta prudentia, utiliſſimi inſtituti metam aſſecuta fuit. Nam ut rebuspublicis per orbem reliquis, laudatiſſimi regiminis, civiliſque tranquillitatis normam præbuit, ita publicis liberalium diſciplinarum Gymnaſiis, quid ad rei Medicæ perfectionem conduceret, exemplis ſuis docuit, ſplendidè conſtructo, non ligneo tantum illo, in quo Valetudinis fundamenta diſſectio cadaverum patefaceret; ſed etiam lapideo hoc plantarum amphitheatro, in quo tum incolumis Hygieæ munimenta, tum ejuſdem afflictæ præſidia locarentur, ac recenſerentur validiſſima.

Quæ nunc obvia vobis, Auditores, & in ſtudiorum veſtrorum emolumentum comparata curioſé perluſtretis. Quod ſi enim ad ſanitatis amiſſæ recuperationem neceſſarium ducitis, mirabilem corporis humani contextum viſcerumque ſingulorum temperamenta rimari: quidni pariter neceſſarium exiſtimetis, ſedula obſervatione ea præcipere, quibus ſacrum illud opificium ſartum tectumque ſervandum, quibus labefactata morbo viſcera ad temperiem priſtinam revocanda ſunt? Et obſervanda quidem eò religioſius, quo calamitoſior ex præſidiorum inopia eventus, & ex inexplorato remedii uſu damnum gravius redundat. Ducem utique belli non immeritò vituperetis, qui hoſtem irruentem aggreſſurus, ignorat, militem ſub ſignis habeat validum, an viribus fractum, armatum, an inermem: Druſiano gladio, an plumbeis telis inſtructum. Non diſſimilis fuerit Medici, imprudentia dicam, an temeritas? ſi graviſſimarum ægritudinum agmen profligaturus, incognitum habeat, quæ medicamenti natura, quis habitus: robore integrum

grum ſit, an vetuſtate obſoletum: blandè opus expetitum abſolvat, an concuſſione quadam valli, partiumve perturbatione: vix à priſcis illis empiricis diſcrepaturi, qui per capitalem inſcitiam ex periculis ægrorum diſcebant, atque experimenta agebant per mortes.' Veneremini ergo in tanta remediorum ubertate cæleſtem benignitatem, & plantarum eximios ſive inventores, ſive cultores pleno gradu ſequamini. Vos quoque dignos exhibituri, ſi quæ celſiſſimi Senatus provida cura communi utilitati largiri voluit, iis, qua par eſt gratitudine, modeſtiaque perfruamini.

EX

PLANTARUM CULTU UTILITAS.

DEgebant olim in Phaliſcorum agris, inclytæ, & per omnium ora vulgatæ Hirporum familiæ, quæ ſacrificium ad montem Soractis Apollini ſolemniter facturæ religioſis geſticulationibus operabantur, & impune ardentium lignorum ſtruibus inſultabant, flammis (ut loquitur Solinus) in honorem rei divinæ parcentibus. Myſterium hujus devotionis, munificentia Senatus Romani, proſecuta fuit, Hirpiſque, perpetuo decreto, munerum omnium vacationem conceſſit. Quibus verò non dignos honoribus arbitremur, Auditores, genuinos Apollinis myſtas,' qui non vanis geſticulationibus, & doloſo per

ignes

ignes ſaltu; ſed inventorum Apollinis ſedulo cultu, herbarumque potentia benignè poſteris tradita, nominis celebritatem adepti, rerum ipſius Naturæ munificentiam tantum non ſuperaſſe videntur,

Dii illorum umbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum Ver!

Jurè cum ſatyrico exclamem. Nullum eloquentiæ flumen, nulla ſermonis ubertas ſuppetit, qua vel extollere ſatis beneficii magnitudinem libeat, vel utilitatem digerere, quæ ex fonte hoc in ſalutem humani generis, & commodum redundat.

Summum antiquitùs Deorum munus homini datum, ſylvæ arboreſque intelligebantur. Ex his utique templa primùm dicata, & ſimulacra ante exſculpta fuerunt, quam excogitato beluini cadaveris pretio, probatoque pietatis nomine luxuriæ jure, ex eodem ebore Deorum ora ſpectarentur, ac menſarum pedes. Imò numen ipſum arboribus ineſſe, denſa mentis caligine circumfuſi mortales ſibi perſuadebant, ad eas victimæ immolari ſolitæ, atque ex hominis ſanguine factæ luſtrationes. Hinc illa apud Lucanum nemora,

—— lucique vetuſta
Religione truces, & robora numinis inſtar
Barbarici ——
—— tum humanis luſtrata cruoribus arbor.

Neque id feciſſe videntur, quod magnitudinem tantum arborum ſuſpicerent, aut ſub frondibus earum, excluſa luce, opácam quietem, & ſilentia adorarent; ſed quod eximium in pleriſque uſum agnoſcerent, ſine quo vitam penitus vivere non potuerunt. Herbarum foliis mollior ipſis ſpecus erat: cumque jam è rudi, & ſolivaga vita ſocietatem inire, domoſque ſtruere cæpiſſent, non montes cedebant in marmora; ſed è ramis ſtirpium tuguriola ſua caſaſque conſtituebant. Etiamnum gentes ita degunt, & per vaſtos Indiarum tractus, non operoſa lapidum congerie; ſed ramis palmarum, cannarumque facili contextu, ædiculæ ſurgunt. Aliis non deſunt ingentis magnitudinis arbores, è quarum integro trunco domicilia excavent, atque è cortice unico lintres, mari fluminibuſque trajiciendis, homi-

hominum quinquaginta capaces. Ut mirari jam deſinamus celebratam in Lycia platanum, quæ laxo ſpecu Mucianum conſulem cum duodevigeſimo comite haud incommodè excepit. Alterum item in Veliterno rure, quæ latis ramorum trabibus, & tabulato amplo, Cajo principi, cum quindecim convivis epulanti, ſimulque miniſterio triclinium præbuit. Nec domus tantum è ſtirpibus; ſed corporum etiam tegumenta, in nuditatis remedium, è plantis quærebant. E ſparto calceamenta parabant paſtores, & veſtem. Herodotus è Phleo herba operimenta Indos geſtaſſe prodit, quàm è flumine demeſſam, & contuſam, atque ſportæ in modum contextam, veluti thoracem pectori aptabant. Porrò cum uſus, & excitatum rebus egenis ingenium, varias artes extunderet, ex Acanthii lanugine demptis ſpinis veſtes effecerunt: potiſſimùm autem ex fruticum & arborum lanis, quas Xylon diſtinctiùs, & goſſipium veteres appellarunt. Illarum uberrimo apud Indos, Arabeſque proventu, non indigenis tantum; ſed Europæis quoque populis in veſtimentorum apparatum proſpicitur. Lanas ſanè pecudum, tanquam ſegniſſimi corporis excrementum, rebus divinis operanti minime purum amictum præbere, ex Orphei, & Pythagoræ monitis credebatur. Arborum autem inter optimas terræ fruges exortam lanam, tam ſacerdotibus Aegyptiis veſtiendis, quàm rebus ſacris operiendis ſingulariter uſurpatam fuiſſe confirmat Apulejus. Quid linum referam? vilem & ſine cura paſſim obrepentem herbam: cujus tamen inter confeſſa vitæ commoda, vix par eſt aliarum, quas impenſo ſtudio colimus, auctoritas. Eo multipliciter paſſo contuſoque, & in mollitiem lanæ coacto, poſt tot lucri cupidorum ingeniorum inventa, ne nunc quidem inter indumenta carere poſſumus. Byſſum quoque noverunt veteres, cujus Elæorum agrum feracem fuiſſe ſcribit Pauſanias, è qua pretiotiſſimum, & in mulierum potiſſimùm delicias expetitum lini genus colligebant.

Patebat etiam mortalium oculis olim Oceanus, &, tanquam vinculum orbis terrarumque ſimplex cuſtodia foret, diu humanæ experientiæ intentatum fuit: donec è ſcirpo primùm, & compactis arundinibus ſcaphæ, ex arborum trunco lintres, è

P ſparto

ſparto funes invenirentur, tandemque ex alno pinoque navigia majora, tum è lino velorum diſpares ſinus, ventum procellaſque recipientes, quo longo maris intervallo ſejunctis populis, & extra ſiderum utramque metam poſitis, ſalutaris commercii viam aperuiſſet. Memoriam ipſam antiquitatis, & omnes hiſtoriæ theſauros perdidiſſemus, *niſi à claris ingeniis*, è corticibus arborum tenuioribus, libri comparati fuiſſent, quibus inſcriberent, atque caudicibus earundem in tabellas æquatis codices: tum lintea ceris obducta, quæ ſtylo exarata literas ſervarent. Quin & foliis plantarum non oracula tantum mandarunt; ſed etiam prolixiores doctrinæ tractatus. Illaque de ignibus aeriis ſuaviſſimi Poëtæ carmina,

Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello.

Seculis deinde provectis è Biblo ſeu Papyro circa ripas Nili creſcente, chartæ paratæ ſunt, quum in prætenues, ſed latiſſimas philuras acu dividi cœpiſſet: quibus Pergamorum principes membranarum uſum adjecerunt.

Et libros tantum loquor, veſtimenta, domos, templa: ne vivere quidem ſine plantarum ſubſidio priſci mortales potuerunt. Ferarum atque animantium cæde, victus neceſſitatem eos expleviſſe, cur exiſtimem, Auditores, cauſam habeo nullam. Etenim inter vetuſtiſſimos Syros, Aegyptios, Perſas, Indos, quotquot aut religioſo Deorum cultu, aut continentiæ laude cæteris præſtabant, à carnium eſu abſtinebant; ſive animantibus tanquam rebus ſacris parcerent, animæ nobilioris indolem venerantes, ſive partium nobiſcum ſimilitudinem ſuſpicerent, ſpeciemque ſanguinis communem. His igitur, ut Homerus teſtis eſt,

—— καρπὸν ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη ——
—— *fructum dedit optima tellus*
Sponte ſua ——

Ex arboribus primò gentibus cibum fuiſſe refert Plinius, ſic inductas cœlum ſpectare, ſic paſci. Tandem, ut cecinit Maro,

—— *cum glandes atque arbuta ſacræ*
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret,

au-

auctis hominum cœtibus, frumentis quoque labor additus fuit, inventique fruge blandiores ſucci hominem mitigarunt. Ex his membra recreans olei liquor, vireſque reſtaurans vini potus, tot denique ſapores annui ſponte provenientes, & menſæ etiamnum ſecundæ: quamvis ciborum cauſa cum feris depugnetur, & paſti naufragorum corporibus piſces expetantur. Imò conſiderate vel in ſingulis, quæ retuliſſe videor de multis. Naſcitur in Mexicanis oris Magneii dicta incolis planta, aloës genus, firmo in extremis foliis aculeo ſpinoſum. Hujus truncus ligni uſum præbet, folia tegularum, aut imbricum. Ex iiſdem lini cannabiſque modo variè paſſis fila, calceamenta, cingula, chlamydes, ſtoreas, & funes concinnant. Spina ſubulæ, vel acus vicem ſuſtinet, tum collectus in excavata radice ſuccus, mel, ſaccharum, & acetum exhibet. Nec palmam huic plantæ concedit Palma, quæ & ipſa lignum ad ædificiorum trabes ſuppeditat, ramis ejus parietum latera ſtipantur, & inſtrumenta parantur ad uſus privatos plurima. Foliis palmæ, ut auctor eſt Plinius, ſcriptitatum fuit, eadem ad futilium nexus, & levia capitis umbracula findebantur. Hodie ſportulas præbent, & ad æſtum aëris temperandum flabella. Cortice caudicis funes plectuntur: medulla ramis ſubjecta, & dactylorum vel in unica palma proventus inſignis, alimentum præbet ſuaviſſimum, & ex iis arte elicitus liquor Vinum,

Quod lene tormentum ingeniis admovet
Plerunque duris ——
Quod ſpem reducit mentibus anxiis
Vireſque ——

Sed, ô vocem egregiam!

Non eſt vivere; ſed valere vita.

Cur in mortalium numero nos poſitos gaudeamus, ut cibos potioneſque, percolemus, ut corpus hoc fluidum, & infirmum ne cadat ſubinde farciamus? Verèque natura non materna benignitate, ſed novercæ odio genus humanum proſecuta diceretur, niſi præter victum, è vegetabilibus ea quoque ſubminiſtraſſet, quibus valetudinem fulcire, morborum impetum retundere, dolorum atrocitatem lenire queamus. Quid enim eſt,

quod amiſſa corporis ſanitate felicitatem hominis *ſtabiliat?* an regiæ Perſarum Gazæ? an Arabum intacti theſauri? an univerſum quod ſignandum aviditas dedit aurum? næ illa præ ſano corpore ludibria ſunt, ac vitioſæ nuces! Nemo tam demens, qui Indis imperare amet, affectus Elephantiaſi, diadema geſtare capite ſiderato; manibus ſceptrum geſtare, chiragra implicitus. Sola valetudine propitia, etiam in triſti felle dulcedinem, adverſâ eadem etiam in mero melle ſummam amaritudinem experimur. Κρεῖσσον θάνατος ὑπὲρ ἀρρώστημα ἔμμονον, inquit Panaretes, Tolerabilior *mors eſt pertinaci* ægritudine.

Tanti autem *tamque* exoptati boni curam, & tutelam, in plantis *iſtis*, herbarumque facultatibus præcipuè collocavit, prodigus utilitatum omnium conditor. Harum quàm plurimis calorem indidit, quo noxium partibus internis frigus expelleremus, cruditates, phlegmatumque proventum impediremus. Atque ex illarum ordine, quædam ſingulari temperamenti blandimento, frigore concreta laxant, & remolliunt, æmuloque naturæ miniſterio indigeſta concoquunt, dolorum cruciatus leniunt, ad ſobolis generationem ſemen parentum augent, ad generatæ ſobolis nutritionem, lactis abundantiam matribus ſuppeditant. Quorundam acrior calor eſt, & altius penetrando, laxatiſque ſpiramentis obſtructa viſcera expediunt, tumores diſcutiunt, hærentem in uteri venis ſanguinem ſpiſſum fluxilem reddunt, aquarum ſtagnantium copiam imminuunt, partem earum ad ureterum canales deducendo, partem rivulis ſudoris excitatis per tenuiſſimos meatus eliquando; vermium item importunos fœtus, atque ante obitum corpus humanum funerantes interimunt. In quibuſdam plantis igneus vigor eſt, quorum exceſſus, quamvis uſu interno tutus non ſit; attamen dum excitato forinſecus ardore, & dolore, ex alto vitioſos ſuccos attrahunt, atque inductis veſiculis revellunt, & derivant: excreſcentia ſupra Naturæ modum abſumunt, moleſtiore quidem ſenſu, ſed eventu felici, graviſſimas ægritudines frequenter domant. Contrario proſunt opere plantæ, quæ frigore ſuo fervorem æſtuantium viſcerum temperant, tenues humo-

res,

res, & cum periculo ruentes intercipiunt, ſiſtunt, repellunt, dolores maximos immiſſo partibus ſtupore ſopiunt. Evidens pariter auxilium afferunt illæ, quæ vulnerum hiatus claudunt, & in ulceribus vel carne replendis, vel cicatrice velandis Naturæ adflictæ ſuppetias ferunt, aliiſque morbis ſuperandis ſtrenuè militant. Atque hæc omnia tantum manifeſto qualitatum robore præſtare videntur: quid mira deinde, neque explicabili ſatis formarum proprietate? qua vitioſos corporis ſuccos ut expurgari poſſint, ad ſeſe pelliciunt; quemadmodum cervum è latebris attrahere ſerpentes ſcribunt rerum naturalium inveſtigatores. Addite vim ſingularem, qua languidis vitæ præſidiis robur aſpirant, teterrima venena hoſtili veluti odio perſequuntur, & profligant. O favorem numinis & cœleſtis benignitatis fontem limpidiſſimum! Quid dubitemus an vera ſit Plinii ſententia, Mithridatis commentaria, quibus vires plantarum, & effectus complexus fuerat, non minus communi vitæ profuiſſe; quàm regna potentiſſimi illius principis, & provinciæ imperii Romani limitibus à Pompejo Magno adjectæ.

Harum itaque diligens, & curioſa inveſtigatio, non ad alios magis ſpectat, quàm ad vos, ornatiſſimi Juvenes, quibus humanæ valetudinis commoda ſervanda, incommoda ſalutari manu, & conſilio avertenda fuerint. Utique ſi bene medendi gratiſſimum finem ſanitatem agnoſcitis: hæc autem ſive conſervanda ſit, alimenta: ſive à morborum tyrannide vindicanda ſit, medicamenta, tanquam media expoſcat, quibus proficiat: in confeſſo planè judicetis, ad vos pertinere cognitionem mediorum, ad quos acquiſitio hujus exoptati finis. Quod ſi tamen omnibus hic ſcopus propoſitus non eſt; rem tamen indignam arbitremini, animantia bruta, quæ ipſis ſalutaria ſunt noſſe; hominem autem ea ſine quibus vivere, ſine quibus valere non poteſt, ignorare.

EX PLANTARUM CULTU JUCUNDITAS.

Conſulebat oraculum Delphicum Gyges, rex olim terrarum ampliſſimus, ecquis in communi hominum cœtu præ cæteris felix eſſet. Reſponſum tulit, Aglaum Pſophidium, inter mortales feliciorem à Diis judicari. Hic verò ætate jam ſenex, in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo prædium colebat, parvum quidem, ſed annuis victibus largiter ſufficiens, è quo nunquam fuerat egreſſus. Iniqua ſanè ſplendido regi videbatur ſententia, ignobilem pariter, atque ignotum ſenem, haud imperii majeſtate formidabilem; ſed hortuli privati cultura penè deſpiciendum, feliciorem habitum iis, in quos propitia Fortuna bonorum omnium cumulos prodiga manu congeſſit. Beatam adeò vitam non eſſe, ut recenſet Poëta,

Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut teſtudineo jacere lecto,
Aut pluma latus abdidiſſe molli,
Aut auro bibere, aut cubare cocco,
Regales dapibus gravare menſas,
Et quicquid Lybico ſecatur arvo,
Non una poſitum tenere cella,

Nihil enim horum in hominem conveniebat, qui ad raſtrum, & bipalia relegatus, vitæ mollioris lubentias vix primoribus, ut ajunt, digitis attigerat. Agere tamen Pſophidii cauſam princeps voluit Lyricorum Horatius, & beatum aſſeruit eum, qui ceu priſca mortalium gens, procul amotis negotiorum turbis, pater-

paterno in rure, vitæ, victuique neceſſaria quærit. Nam, inquit,

Neque excitatur claſſico miles truci,
Neque horret iratum mare.
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine,
Altas maritat populos.
Inutileſque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit.
Hinc quum decorum mitibus pomis caput,
Autumnus arvis extulit.
Ut gaudet! inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ.

Mihi, humaniſſimi auditores, in re propoſita, nec editum divinitùs oraculum ſpernendum eſt, nec à poetica tamen levitate pondus conquirendum, ut oſtendam, non aliam, inter externa & fortuita, ingenuam magis, homineque dignam voluptatem eſſe, quàm quæ ex ſtirpium plantarumque cultu in eundem redundat. Quòd mihi quidem ut evincam facilè fuerit, ſi benevolentia veſtra, veluti zephyro blanditer aſpirante, vela mentis meæ, conatuſque promovebitis.

Nam, ut inde ordiar, haud facilè delectationem aliam reperiatis, in quam ab omni ævo tam cupidè conſenſerit humanum genus: arcanâ quadam, eademque congenita vi, tam civiles, quàm barbaros animos ad hortorum ſtudium ſuaviter, nec minus efficaciter impellente. Sacras luſtretis, ac profanas hiſtorias, & liquidè conſtabit, ſimul cum orbe nato, natos eſſe hortos, eorumque ſepimentis libenter ſe clauſiſſe, non illuſtria tantum capita, atque inter illa philoſophos & egregii publici moderatores; ſed humile pariter vulgus, & quotquot ſimpliciores, nec ambitione mala faſcinatæ mentes fuere. Quid enim ſingulari cura non proſequerentur ea, quæ non in cibos tantum; ſed etiam ciborum ſuave condimentum cedebant. Non recenſebo pretioſas Indorum merces, piper, caryophyllos, macem, cinnamomum, ſine quibus opiparè vix degitur, aliaque exoti-

ca

ca ſtirpium munera: cum illa ipſa quæ nobis viliora ſunt, cepas, & allia, ex omnibus Europæ radicibus, tanquam ſuaviora gulæ ſcitamenta, languidoque ventriculo robur conciliantia, Indiarum incolæ ſeligant, ut auctor eſt Joſephus à Coſta. Mel, quod dulce nectar, & cœleſte donum haud vanè cecinit Virgilius, è plantis floribuſque delibant ſedulæ, operumque ſuorum ſtudioſæ apiculæ, quotieſcunque.

Crura thymo plenæ, paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.

Non cedit melli dulciſſimus ſuccus, quem arundinibus expreſſum, olim Indi bibebant. Ex eodem artificioſa condenſatione concreto, ſaccharum paratur hodiernum, quo nihil, tum ad edulia condienda, tum ad corrigendam medicamentorum amaritiem, uſu receptius habemus. Addite mannam, qua vix aliud inter alvum lenientia ſuavius exiſtit. Hæc autem roſcidus humor eſt, ex vapore, ſubtilibus pinguibuſque plantarum exhalationibus permiſto, productus, quem per ſerenas æſtatis noctes moderatum frigus condenſat. Jam fructuum illam, è ſtirpibus tam ſpecie, quam ſapore diverſis miram varietatem, nulla ſatis explicet facundia. Verèque apud Plinium Pomona, plurimum, inquit, homini ex me voluptatis eſt. Ego ſuccum vini, liquorem olei gigno, ego palmas, & pyra. Tellus omnia labore quærenda concedit. At ex me parata pleraque, nec cura elaboranda; ſed porrigentia ſeſe ultro, &, ſi pigeat attingere, etiam cadentia. Certavit in his igitur natura ipſa ſecum, & ambiguum reliquit, plus utilitatis ſtudio mortales ſibi devinctos voluerit, an voluptatis.

Jam odores illos, halituſque ſuaviſſimi eximiam in floſculis hiſce gratiam, quiſquis integro narium ſenſu percipit, eum fateri neceſſum eſt, fruſtra alibi quæri delinificam hanc vim, & neſcio quam ab alto infuſam æthériæ ſubſtantiæ partem. Non enim animantium membra ulla, non abſtruſæ metallorum copiae, quicquam fragrantiæ illius poſſident, quam puriori myrrhæ, olibano, ſtyraci, ladando, electro, balſami lacrymis, cinnamomo; imò paſſim obviis roſis, caryophyllis, violis, jaſmino,

mino, liliis, ſimilibuſque naturæ munificentia contulit. Imò tanti æſtimati ſemper fuerunt, ſuaveolentes plantarum ſucci, tanquam cœleſtem in homine merſamque auræ divinæ particulam exhiberent, ut non niſi Deo placando, & precibus, votiſque mortalium, adeoque ſacris officiis abſumerentur. Hinc receptum uſu paſſim fuit, ut cum Marone loquar,

Verbenas pingues adolere, & maſcula thura.

Meritòque reprehendit intemperiem ſuorum phyſiologus Romanus, quod acervatim honori cadaverum congererent, quæ Diis per ſingulas micas dabantur. Neronemque principem tantum odorum concremaſſe, noviſſimo Poppææ ſuæ die, quantum annuo proventu non ferebat Arabia univerſa. Nec deeſt huic odoræ ſuavitati eximius uſus, ſive bonam Valetudinem, ſive adverſam ſpectemus, utpote quæ ſpiritus hominis recreat, & inſpirato purioris conditionis halitu, vitæ flammulam blandè excitat. Atque hæc potiſſimùm cauſa eſt, ut tradit Juſtus Lipſius, quod veteres illi ſapientes in hortis habitarunt. Eruditi hodiè, doctique viri delectantur hortis, & in iis divina illa pleraque ſcripta procuſa, quæ miramur, quæque nulla temporum ſeries, aut ſenectus abolebit. Viridi Lyceo tot diſſertationes debemus de natura: umbriferæ Academiæ de moribus, & ex hortorum ſpaciis diffuſi uberes illi ſapientiæ rivi, quos bibimus, & qui fœcunda diluvie orbem terrarum inundarunt. Ex odorum miſtura antiquitas unguentorum compoſitiones invenit, quarum præcipuis à myrrha, coſto, amomo, croco, nardo, amaricoque nomen faciebat, non cute tantum, capilliſque delibutis; ſed iiſdem luxuriæ vitio, in potus etiam additis.

Auget hortenſia oblectamenta, colorum quæ in floribus dominatur, gratiſſima òculis ſpectantium varietas. Enimverò ut cœlum, ait Lipſius, & æternos illos ignes, nemini aſpicere fas eſt, ſine occulto quodam horrore, & religione; non item Floræ ſacras opes, & hunc inferioris mundi mundum, ſine tacita quadam gaudii titillatione, jucundoque ſenſu. Mirum adeò, non oculis tantum hic pabulum eſt, dum in caducis foliolis aurum, ebur, ſanguinem, flammas, nivemque contuentur; ſed etiam menti, quam nulla res ſuavius afficit, quàm artificis na-

Q turæ,

turæ, vel in uno florum genere colorando ſolertiam, ſive cultum ſpectaverit partium, ſive formam, faciemque, mille modis parem, modiſque mille diſparem. Pictores longa intentione hebetatam luminum aciem, ad ſpecula quædam, & virores recolligunt: ita feſſus gravioribus curis animus reperit in his areolis, pulvilliſque micantium plantarum, quo ſe recreët, & iterum excitet. Celebratur priſcorum Glycera Stephanoplocos, ſive coronaria dicta, quæ verſicolori florum miſtura, Pauſiam egregium artificem, ad certamen naturæ ingeniosè provocabat. Hodiernum vulgus *compoſitis florum faſciculis*, oculorum pariter ac *narium voluptatem accendit*, atque à *feneſtris* penſili *hortorum imagine*, quotidiana ſuſpicientibus rura objicit. Aliorum major induſtria, qui comminutis, conciſiſque floribus, clariſſimorum hominum, tum inſignia, tum facinora, ſedula Muſivi operis imitatione effingere conantur. Nec verò ſenſuum tantum oblectamentum in floribus; ſed etiam formæ, decoriſque ſtudium; ad numeroſa ex iiſdem experimenta humanum ingenium deduxit. *Illinebant herbarum ſuccis faciem* barbarorum fœminæ, teſte Plinio. Mares olim apud Dacos, & Sarmatas, corpora quoque ſua inſcripſerunt. Britannorum conjuges, nuruſque toto corpore glaſto quibuſdam in ſacris oblitæ, colorem Æthiopum imitabantur. Quid referam *in coccifera ilice* Tyrii conchylii æmula grana, quibus imperatorum paludamenta tingebantur, atque etiamnum procerum indumenta refulgent.

Imò, factum magno gentium omnium conſenſu, ut ab his quantumvis caducis, viliburſque plantis, ſummi honoris, & æſtimationis immenſæ, ſi non pretia, certè argumenta peterentur. Antiquitùs ex herbis obviis corona, non niſi Deo dabatur: ob id Homerum cœlo tantum eam, & prælio univerſo tribuiſſe, ſcribit Plinius, viritim, & in certamine nulli. Feruntque primùm omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti. Floſculis herbarum manes venerabantur, animaſque defunctorum. Inde Anchiſes apud Maronem, obvia Marcelli umbra,

—— manibus, inquit, date lilia plenis.
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis,
His tantum accumulem donis ——

Au-

Auguſtus Cæſar, auctore Strabone, cum in Aegypto Alexandri Magni corpus, cedri liquore, myrrha, balſami lacryma, ſimilibuſque plantarum ſuccis, à putredinis injuria præſervatum, adeòque ὅλῃ τοῦ σώματος περιόψει ἀπαράλλακτον, conſpiceret, aurea quidem coronâ; ſed & ſparſis floribus veneratus fuit. Sumpſerunt ex herbis coronam Deorum honori ſacrificantes, victimis ſimul, & aris, templorumque liminibus, feſta fronde exornatis. Romulo imperii ampliſſimi fundatori, ab Acca Laurentia ſpicea corona pro religioſiſſimo inſigni data. Noviſſimè, & in ſacris certaminibus, Olympiis, Iſthmiis, Pythiis, ex oleaſtro, apio, lauruque uſurpata corona fuit. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferretur; ſed in templo mox dedicanda. Corona tamen nulla fuit graminea nobilior, quam exercitus totus imperatori, non imperator militibus ſingulis dedit, adeoque aureis, gemmatiſque omnibus dignior. Quod ſi civicæ honor, uno aliquo humilimo cive ſervato, præclarus, ſacerque habebatur: quid exiſtimari debuit, unius virtute ſervatus exercitus univerſus. Dabatur hæc ex viridi gramine, decerpto, indè, ubi aliquis obſeſſos ſervaſſet. Summumque diu victoriæ ſignum fuit, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra, & ipſa altrice humo cedere.

Atque utcunque hæc omnia non ſint, quæ parvi ſanè facienda non ſunt. Quod majus eſſe poteſt humani ingenii oblectamentum, quàm in partibus plantarum pro arbitratu mutandis, rerum naturæ leges tranſcendere, eamque non ut dominam imperantem revereri; ſed ut famulam, ad nutus heriles ſe componentem, variis operibus occupare. Præbent exemplum ſteriles quædam, aut parum fœcundæ ſtirpes. Hæ enim è macra tellure, in pinguiorem tranſlatæ, proprii cineris vegeto fertilique ſale conſperſæ, tepentibus aquis crebriùs irrigatæ, gravidæ fiunt, aut numeroſo partu ſaltem mitiores. Ampliorem quiſquis deſiderat florem, foliorumque luxu ſpectabiliorem, is amputato ramorum inutilium onere, in paucos alimenti ubertatem transferat, quæ multis ſuppeditata, tenuiorem victus penſum exhibebat. Diſplicet in quibuſdam moles, & incrementum partium vaſtius. Igitur & nutrimentum parciore manu ſuf-

ſundatis, & intra vaſorum anguſtias compingatis radices, validæ magnarum ſtirpium fundamenta jacturas. Quod ſi vel in uſum veſtrum, vel delicias maturandas tempeſtivè non apparent flores, proventum eorum accelerabitis, quotieſcunque inſitum plantis calorem pinguibus, acribuſque fomentis excitabitis, externas frigoris injurias abarcebitis, ſedula item irrigatione ſqualorem prohibebitis. Retardare licet, importunè ad vota cultoris properantem florem, fruticis germinantis tranſpoſitione, vel germinum in calyculos extuberantium decuſſione, & ſolem, omnia ad exortum invitantem, abarcendo. Colorum etiam conſueta in floſculis ornamenta, quiſquis varietatis avidus mutare volet, colorante ſucco, aut pulvere, terra & radicibus imbutis, aquas inſuper ex petito pigmento infectas irrigando, ingenuum naturæ vultum fucata pulchritudine ludificabit. Sunt in quibus odor elegantiæ formæ non reſpondet, manifeſto narium oculorumque diſſidio. Itaque, vel odorato pulvere medicatâ terrâ, vel ſuaveolenti aromate radicibus infixo, vel fragrantibus aquis macerato ſemine, quodque portento ſimile, fœtidis plantis juxta adſitis, ingratum halitum, jucundiore anima flores commutabunt. Colores autem odoreſque tantum? imò temperamentum ipſum, adeòque facultates plantarum, agendique vires, in beneficium humanæ valetudinis in melius convertimus, artificioſa hac cura.

Vincit tamen oblectamenta reliqua, perita plantarum inſitio, qua fœcundum germen alienis vitalibus inoleſcens, non ſolùm agreſtem exuit habitum; ſed fructus etiam, cum magnitudine, tum bonitate magis commendatos producit. Et cui non ſuave ſit ſpectaculum, creſcentem in quercu roſam, in oleæ vitem, in braſſicæ caule perſicum intueri, atque ut dudum cecinit Poëta Latinus,

Quod ſteriles platani malos geſſere valentes,
Caſtaneæ fagos, ornuſque incanuit albo
Flore pyri, glandemque ſues fregere ſub ulmis.

Agite ergo, humaniſſimi auditores, & obviam hanc ſtirpium plantarumque ſeriem ſtudioſè cognoſcite; quippe quæ non utilitate ſolùm, qua præcipuè pollet, cultores ſuos juvare poteſt;

teſt; ſed etiam honeſta, quam exhibet, voluptate plurimùm recreare.

EX PLANTIS VENENATIS EMOLUMENTUM.

SÆpe animos hominum anceps turbavit judicium, temerè ac fortuito impetu contextus hic univerſi coiverit, an provido aliquo rerum parente, & cuſtode. Sæpe, inquit Claudianus,

—— mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

Equidem dubitandi cauſa alia aliis fuit. Illud plurimis rectæ rationis clavum extorſit, quod plantæ hæ, quas ſummum Deorum munus intelligi Plinius contendit, & ex quibus vel præcipua, vel prima homini alimenta ſunt, tot pravis, noxiis, imò lethiferis permiſtas deprehendamus, ut minima colligendi, maxima verò ſeligendi ſecernendique cura nos exerceat. A providentia ſi hæc procederent, adeoque ſummo & æterno bono, quidni bona forent ſingula, & communem ad utilitatem providè directa. Nunc homo per tot noxias herbas frequenti periculo involvitur, abripitur, nobiliſſimus creatorum, & cujus cauſa plæclaram hanc mundi naturam paraſſe Deum credimus: dum pars ingenti viſcerum incendio vitæ nectar abſorbet, pars earum penetrabili frigore flammulam ejuſdem extinguit; pars

cæco infeſta veneno ſpiritum anhelantis elidit. Neque cavere eas ſatis poteſt humana ſagacitas, etiam cum cavet. Latet ſub lætiſſimo virore virus: nec foliis ſolum; ſed etiam floribus venuſtæ plantæ, ſæpius ſub blando vere ſuo, hyemem mortiferum occultant: ſub amabili ſpecie, crudele toxicum velant. Atque utinam per Aconis tantum agrum noxia illa Aconita ſpargerentur, jam abundat omnis regio, interque nitentia culta, ut Maro loquitur,

Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

Mihi verò propoſitum non eſt, Auditores, Numinis æterni cauſam agere, non apud vos, quibus ſolidæ pietatis, & religionis lux adfulſit clariſſima. Hoc mihi benevolentia veſtra indulſerit, ut oſtendam, nec malas eſſe ex ſeſe, quæ noxiæ homini ſunt plantas, nec eidem omninò inutiles.

Nam providentia divina univerſum hoc adminiſtrari, ſupervacuum eſt multis oſtendere. Exquis enim adeò contra ſenſum omnem obbrutuit, contra vocem ipſius naturæ obſurduit, cui ambiguum videatur, hunc tam certum ſiderum diſcurſum, & inoffenſam clariſſimorum luminum velocitatem, ab æternæ providæque mentis imperio procedere: terrarum ingens pondus, ſine artificis manu immotum pendere, cœlique circa ſe properantis fugam ſpectare; cum ne illa quidem, quæ confuſa videntur, & incerta, pluvias dico, nubeſque, & eliſorum fulminum jactus, & incendia ruptis montium verticibus effuſa, tremores labantis ſoli, & alia quæ tumultuoſa rerum pars circa terras movet, quamvis ſubita ſint, abſque ratione contingant; ſed cauſas ſuas habeant, quamvis mira effectuum varietate, certiſſimas. Nullius rei tam liquida, tam obvia veritas, quam à Deo eſſe machinam hanc univerſi, ab eo ſeriem hanc cauſarum naturalium conſervari. Hic verò cum non ſummum ſolummodò bonum ipſe ſit; ſed bonorum omnium fons, caput, auctor, origine utique bona fuerint, illa ipſa, quæ damnoſa nobis interno uſu, quæque venenatæ ſunt. A Deo autem tantum abeſt, ut malum aliquod ſit, quantum ut malus ipſe ſit. Beneficus tantum, & ſalutaris eſt, qui lædere æque ſpernit ac lædi, & cui una ſummaque potentia eſt, prodeſſe. Itaque

etiam priſci illi, cum ſuperum illud Numen mente conciperent, rectè a juvando Jovem dixere. Errat quiſquis Deum æſtuare ira cenſet, & hæc quæ noxia nobis ſunt, tanquam tela ſpargere, fulminante manu excuſſa: quoniam ira, vindicta; ultio, humanæ fragilitatis argumenta ſunt, & nata ex imbecillitate, cadunt tantum in imbecillos. Optimè Seneca, & verè Chriſtiano ſenſu. Diis cauſam benefaciendi eſſe naturam: falli hominem, ſi quis putet eos nocere velle, aut poſſe, nec accipere illas injuriam nec facere. Subjungit idem, primum Deorum cultum eſſe, eoſdem credere, deinde illis majeſtatem ſuam reddere, reddere bonitatem, ſine qua majeſtas nulla eſt. Sciendum illos eſſe, qui mundo præſident, qui univerſa veluti ſua temperant, qui generis humani tutelam gerunt, curioſos etiam ſingulorum. Hos verò nec dare mala, nec habere. Ut mihi quidem minus peccaſſe cum Lucretio videantur antiquì illi, qui numina ſua exiſtimabant,

Semota à noſtris rebus, ſeiunctaque longè,
Et privata dolore omni, privata periclis,

quàm qui ſcelerum malorumque auctores ſomniabant.

Origine itaque bonæ ſunt, quæcunque damnum & perniciem homini afferunt plantæ: addo bonas eſſe etiam fine, qui ab optimo illo rerum parente, non niſi optimus conſtitui poteſt. Is verò, quamvis apud Deum certiſſimus ſit; ignotior tamen nobis eſt, & remotior, quàm ut intellectus humani veſtigium firmiter eum premat. Illud confidenter aſſeverem, quandoquidemque ille opifex rerum ſapienter omnia condidit, & diſpoſuit; ita condidit, ut ſingula certo pondere, augmento, numeroque definiret, nec modum eum, generi cuique excedere, aut minuere fas erat, ſine inclinatione omnium aut ruina. Igitur quemadmodum in Muſico concentu, voces acutæ, graves, longæ, breves, τὸ διαπασῶν, διάπεντε, διατέσσαρον, intra communem revocantur concordiam, & harmoniam; ſic in mirabili hoc rerum ſyſtemate, dum humidis arida, gelidis flammea, velocibus pigra, directa obliquis amico fœdere ſociavit: dum non temperata ſolum conſtituit; ſed qualitatum etiam exceſſu incitata, acria, horrida frigore, ca-

lore

lore fervida, ut ex omnigenorum corporum concurſu productum hoc univerſi monumentum, rerum omnium collecta perfectio, perfectaque collectio foret. Imò κόσμον, ideſt ornatum ſuum, & mundum non habebat mundus, ſine diſtincta corporum naturalium varietate, & viciſſitudine. Solem illum pulcherrimum fatemur: ſed gratiorem eum facit roriflua nox & veluti palla tenebrarum abducta terris. Æſtatem amœniſſimam agnoſcimus; eam tamen magis nobis commendat præcedens hyems,

Cærulea glacie concreta atque imbribus atris.

Quæ ſi quis abeſſe mundo velit, revera ſenſum, gaudiumque intimum abeſſe volet, ſive caloris, ſive lucis. Ne in hac ipſa quidem terra, una nos rerum facies delectat; ſed plana videre capimur, & montes, valles & rupes, culta & arenas, ſylvas & prata: ſemperque faſtidium & ſatietas comites ſunt paritatis. Itaque & in hoc florido plantarum cœtu, non eadem nobis habitus placeat, & vultus; ſed meo quoque judicio grata illa, & dulcia, acria diſtinguant, & amara, nec ſine valetudinis, & vitæ diſcrimine uſurpanda, niſi cautius adhibeantur; meritoque inter priſcos philoſophos Empedocles, rerum naturalium præcipuas poteſtates φιλίαντε ϗ νεῖκος, amicitiam pariter ac diſcordiam conſtituerit: ut fruſtra quis, ne dicam impiè, cœleſtem providentiam culpet, quod plantas produxerit, quæ robur virium noſtrarum ſolvunt, cum eas univerſi hujus tum perfectio, tum pulchritudo poſtulaverit. At clarior omnium finis eluceſcit, ſi propius ſingula, & æquius examinemus. Certiſſimum enim eſt, plantis homini noxiis, animantia alia ſuaviter veſci. Sturnos, & Capras cicuta pingueſcere ſcribit Lucretius. Sues hyoſcyamo paſcuntur, coturnices elleboro, totque in pratis, & montibus degentes beſtiæ colchico, ranunculis, ſimilibuſque nobis infeſtis nutriuntur. Horum igitur animantium conſervationi ſi invigilare debuit rerum auctor, etiam alimenta ſuppeditare debuit eorum naturæ convenientia.

At malignè cum homine, & novercæ magis, quàm matris affectu egiſſe objiciunt naturam, quod herbis damnum & exitium

tium afferentibus, pulchras quibus induuntur perſonas haud detraxerit, larvas non appoſuerit hominem abſterrentes; aut loquendi ſaltem facultatem non indiderit, ut quales eſſent, eidem expromerent, ut in fabulis olim vovebat Euripides.

Fateor habuiſſe hominem de quo conquereretur, ſi mentis conſiliique inopem produxiſſet divinus Conditor. Nunc rationem ipſi comitem dedit, qua nec majus homini, nec melius quicquam concedi potuit. Quid enim aliud ea eſt, quam radius primi illius & puriſſimi ignis, atque ut de Deo loquebantur ipſo Stoici antiqui, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον, artifex ignis via certa progrediens. Ratione itaque præeunte, ſenſuumque miniſterio, ſapores plantarum, & odores ſcrutamur, indices temperamentorum fideliſſimos: reconditas item, & ſenſuum ſagacitatem fugientes proprietates, variis cautiſque experimentis deprehendimus. Atque hæc quidem per aſpera illa, & nocentia ſalutaribus permiſta, ad diligentiorem ſelectionem & cultum magis excitatur. Optimè Seneca, Jacet, inquit, ſine adverſario virtus. Tunc apparet quantum valeat, polleatque, cum quanta ſit, & quid poſſit, patientia oſtendit. Nec de plantarum noxiarum à ſalutaribus ſelectione aliter ſentiendum, excitari magis ingenium, quo plus difficultatum, malorumque objicitur, vincere item adverſa pleraque, & noxia vertere in humanæ valetudinis emolumentum. Atque ut concedamus plurimas eſſe ex obviis herbis inſalubres; vix tamen ullæ ſunt, quæ ſumma priſcorum diligentia non verterit ad aliquem deſideratum uſum. Plinius, ut modis omnibus utilitatem rerum conditarum afferat, naturam noſtri miſertam, venena inſtituiſſe, credendum eſſe ſcribit, ne in tædio vitæ, vel dira fames lenta morte conſumeret, ne lacerum corpus abrupta diſpergerent, ne in aquarum profundo ſepultura pabulo fieret: adeòque naturam genuiſſe cujus facillimo hauſtu, illibato corpore, nullo labore, ſitientibus ſimiles, toto cum ſanguine extingueremur. Hæc verò tam incauta Plinii ſententia, non patrocinium naturæ parat; ſed aliena potius crimina eidem impingit. Nuſpiam enim compertum eſt, eam operum ſuorum interitum intendere, quibus tam vehemens ſui conſervandi, imò &

perennandi deſiderium indidit. Quantò juſtiore ejuſdem auctoris querela, non naturam ſed hominem inveniſſe venena: cavere & fugere ſatis animantibus eſſe; quæ licet arbore a-cuant, limentque dentium ſuorum ſicas, atque ad nocendum ſeſe præparare conſpiciantur; nullum tamen eorum tela ſua veneno tingere. Hominem, & *ſagittas* ungere, & ferro nocentius aliquid dare. Hominem, & *flumina* inficere, & rerum naturæ elementa. Ipſum quoque, ſine quo ſpiritum non ducit, aërem, in perniciem vertere: hunc ſolum alieno pugnare veneno, neque abominati ſpiritus præmium noviſſe aliud, quàm odiſſe omnia.

At recta ratio, adeoque rectum judicium & ſenſus, non abuſum rerum naturalium nobis inculcat; ſed uſum genuinum. Quemadmodum igitur inter ſimplicia corpora ex igne, aqua, terra, ſi quidem rectè indigentiæ noſtræ aptentur, maximum homini redundat emolumentum, & verſa vice, ſi pravè, & immodeſtè adhibeantur, præſens acquiritur nocumentum, & damnum. Sic etiam res habet in corporibus, quæ ex elementis conflata, compoſita nuncupamus. Atque inter metalla quidem notiſſima ſunt, Stibium, & Hydrargyrum ſeu argentum vivum, quorum alterum vim infert naturæ maximam, humoreſque cum ſpiritu, ſurſum, deorſum, violenter & periculosè compellit: alterum adverſiſſimum nativo animantium calori, non immeritò Plinio dictum eſt rerum omnium venenum. Ex utroque tamen, quam efficacia quàmque ſalutaria medicamenta, & tantum non panaceas nobis ſuppeditat ſalutaris Iatrice! cum legitimo Stibii uſu, febres diuturnæ, melancholiæ, maniæ, ſimileſque graviſſimi affectus, feliciſſimè ſuperentur: argento vivo ab impura Venere contracta lues, totque externæ corporis fœditates efficaciter profligentur. Similia de plantis venenatis cogitanda ſunt, è quibus ut pauca ſaltem, eaque notiora attingam; illa quæ (ut cum Ovidio loquar)

—— quia naſcuntur dura vivacia cote
Agreſtes aconita vocant ——

Plinius venenorum omnium ocyſſima ſcribit, exque ſpuma Cer-

beri ipſius nata: comperta ſunt antiquis Scorpionum ictibus adverſari: innoxièque homini exhiberi, ſi invenerint, quæ in homine perimant: ut mirum ſit, exitialia per ſe venena pugna inter ſe colluctari, & utrumque in homine devinci, ut homo ſuperſit. Torpent Scorpiones aconiti tactu, ſtupentque pallentes, & ſuperari ſe confitentur. Oculorum quoque medicamentis aconitum miſceri ſaluberrimè, prodiderunt majores, aperta profeſſione, malum quidem nullum eſſe ſine conjugio aliquo boni. Ranunculi, & quotcunque aliis ab igneo fervore, & exulcerandi facultate flammularum nomen impoſitum eſt, ſi contuſa roſaceo infundantur oleo, medicamentum præbent, partibus convulſis, & paralyſi torpentibus utiliſſimum. In malignis, peſtilentibuſque febribus admotæ flammulæ ſeu ranunculi, iiſdem locis quibus anthraces, aut bubones ſeſe protulerunt, attracto intra veſiculam diro veneno, plurimis ſalutem attulerunt. Febres quartanas, ſi carpo manuum ante paroxyſmum admoveantur, frequenter ſuſtulerunt. Siccata ranunculi radix pulverem exhibet, qui attracto ſpiritu raptus intra nares, excitato pituitæ profluvio, capitis graviſſimum dolorem, Hemicraniam dictum, imminuit, imò tollit. Vertici capitis admoto ex contuſis ranunculis emplaſtro acres oculorum defluxiones intercipiuntur: eodem emplaſtro coxarum articulo impoſito, vix aliis præſidiis expugnabiles Iſchiatici dolores, attractis è profundo acribus excrementis, ſublati tandem fuerunt. Ut taceam vires, quas delendis ſcabris unguibus, ſtigmatis, & verrucis, iiſdem tribuit Dioſcorides. Ita Capſicum Indorum, quod fervidiſſimo ſemine inflammatis faucibus, brevi lethale diſcrimen accelerat; levi tamen operâ decenter præparatum, & condimentum ſuppeditat ciborum, piperis vice gratiſſimum, & medicamentum in frigidis affectibus quàm plurimis certiſſimum. Nam per os aſſumpto ſiccati ſeminis pulvere, anhelandi gravior difficultas, ſtomachi cruditates, excitata flatibus coercitis inteſtinorum tormina, renum calculi, tum diuturnæ uteri obſtructiones, exoptato ſucceſſu profligatæ fuerunt. Etiam exterius corpori admota planta, ſimilem cum ranunculis operam præſtitit.

 Jam

Jam contrarium illud venenorum agmen, & cujus non calorem; ſed noxium frigus extimeſcimus. Mandragora, Hyoſcyamus, Solanum, & infamis Socratica morte Cicuta, atque ex papavere ſilveſtri collectum Opium, quæ non ſublevandis mortalium miſeriis commoda attulerunt?

Equidem Mandragoræ radicibus vino incoctis jamdudum veteres uſi in diuturnis vigiliis, doloribuſque mitigandis; conciliando præcipuè ſomno, quotieſcunque aliquid gangræna corruptis membris,

Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Hyoſcyami ſemine per os exhibito, vix præſtantius remedium inventum fuit, in pertinaci ſanguinis, per uterum, è pulmonibus, & naribus profluvio: folia ipſa contuſa doloribus partium externarum mitigandis accommodatiſſima ſunt. Pollent iiſdem viribus Solanum, & Cicuta. Solani radix vim obtinet ſoporiferam, ſuccus oculorum hebetudinem corrigit: ſemen vehementer citatis urinis, tum calculoſis, tum hydropicis auxilium affert evidentiſſimum. Cicutæ ſuccus ulcera quæ ſerpunt, igneſque ſacros illitu compeſcit: idem ſpiſſatus, multi in medendo uſus eſt, miſceturque collyriis, quæ doloris levandi gratia temperantur. Quid Opium tandem, cujus malignum frigus adeò reformidamus? ſummum profectò medicamentum, ac verè divina manus, ſi ritè præparetur, dextrè item adhibeatur. Somnum commendat Tragœdus, appellatque laborum domitorem, animi requiem, partem humanæ vitæ nobiliorem; utpote qui foveat, leniatque feſſos, &

Pavidum lethi genus humanum,
Cogat longam diſcere mortem:

Idem rectius huic præſtantiſſimo remedio tribuamus, quod verum legitimumque Nepenthes eſt, in quo oblivio curarum & dolorum: quod ſæpe fugientem cum humoribus ſpiritum revocat, ſæpe fato ipſi moram aliquam blandè nectit. Addo vix ſupereſſe ex pernitioſis plantis, cujus antidotum experientia non detexerit, cœleſti utique beneficio, quamvis humani operis inventio ſit. Noſtrum fuerit, humaniſſimi Auditores, in hac amœna plantarum variaque ſerie, potentiam

Nu-

Numinis & bonitatem gratis animis agnoſcere, quæ ſalutaria ſunt, valetudini conſervandæ impendere: quæ noxia prudenter ſeligere, atque in uſum etiam ſi non internum, ſaltem externum, afflictæ ſanitatis vindicare.

DE NATURÆ PROVIDENTIA IN CONSERVANDIS PLANTIS.

QUod antiquitùs in Deorum operibus carpendis auſus fuit Momus, idem hac tempeſtate conantur iniqui rerum naturæ cenſores, qui cùm alia nobis obvia, tum præcipuè plantas, utilia ejuſdem, atque amœna pariter munera, tam abjectas cenſent, ut pro levi, imò vili ipſis ſit, quicquid ſervandis illis excolendiſque laboris, & curæ impenditur. Quid enim plantis magis caducum, inquiunt, & ab æternorum conſortio magis remotum? quas non ſingulas tantum perire natura voluit; ſed tollere etiam, atque ipſarum abolere ſpecies. Ubi enim Latace, deſideratiſſima omnium planta? quam Plinius ſcribit Perſarum imperatores nationum exterarum legatis dediſſe, ut quocunque veniſſent, rerum deſideratarum copia perfruerentur. Ubi Æthiopis herba, veteribus expetita, quæ in aquas conjecta, amnes &

ſtagna ſiccabat, ſoloque contactu ruptis portarum clauſtris, aditum homini ad abdita cuncta patefaciebat. Baharas à Joſepho auctore graviſſimo ſcriptis prodita planta, vix nomen amplius, famamque retinet, quæ per nocturnas tenebras lumine coruſca proprio, manibus tamen inſectantium ſe veloci motu ſubtrahebat, maris tempeſtates ſedabat, & poſſeſſorem ſuum ad humanæ felicitatis culmen provehebat. Balſamum uni terrarum Palæſtinæ conceſſum, & ipſum mortalium commodis ademptum eſt, nobiliſſima ſtirpium, & lacrymæ ſuæ virtute pretioque nulli ſecunda. Sæviiſſe in eam *Judæos* tanquam in vitam ſuam, refert *Plinius*, contra *defendentibus Romanis*, diuque dimicatum pro frutice fuiſſe: hodie ambitiosè in *Hierichuntis* valle quæritur, nec invenitur. Atque ut penitiùs nobis perſuadeant, deleri poſſe fragilium plantarum ſpecies, ipſum objiciunt univerſi hujus contextum, quem periturum totum aſſerunt, quia minuitur, & perire videtur per partes. Terram nos intueri jubent, quam immobilem, & quod vi ſua ſtet Veſtam appellarunt veteres, illic ſpiritu intra penetralia coercito concuti, & intremiſcere, alibi ſubitâ maris innundatione minui, aut abſorberi. Nec particulas tantum in hanc labem trahi terrarum; ſed magnas pariter inſulas cum oppidis, & viris. Oceanum, ingentem & arcanam mundi partem, non habere quo conſiſtat, quotieſcunque

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Una Eurusquè, Notusquè ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.

Atque ut ea non ſint; vacillare tamen videri quotidiè, dum aquarum acceſſu, & receſſu, nunc lambit aut abradit littora, nunc eadem deſerit; verèque dixiſſe Ariſtotelem, ὀυδὲ τὸν Τάναιν ὀυδὲ τὸν Νεῖλον ἀεὶ ῥεῖν, neque Tanain perpetuò fluxiſſe, neque Nilum. Aërem terris finitimum mutari indies, & in ventos abire, denſari nubilo, diſſipari iterum frangique turbinibus, & fulminum ictu. Nec perſuaderi ſibi patiuntur a philoſopho cœlum illud extra mutationis & ſenectutis diſcrimen poſitum. Sol enim, inquiunt, ſiderum princeps, non raro deficit, laborat, tabeſcitque Luna, amicum tenebrarum, quamcumvis debile

bile remedium. Stellas ipſas cadere, & labi, utcunque id excuſare, & velare conetur mentis humanæ conjectura. Sidera hoc ſeculo exorta eſſe, quorum incrementum, & decrementum peritiſſimis viris clarè obſervatum, docuiſſe mortales, in cœlo quoque oriri aliquid poſſe, atque aboriri. Quæ omnia eò tendunt, ut obtineant, cum interitum mutationemque non effugiant eximia illa corpora, & ſenſu quidem hominis æterna; quanto in hoc diſpendio magis verſatur caducum illud herbularum genus, nulla ſpecie, nulloque ordine ſatis firmum. Hanc tamen ſententiam ſi a vero alienam, ſi præclaris ingeniis indignam paucis oſtendero, humanitati veſtræ, & benevolæ attentioni (Auditores) acceptum referam.

Atque ut indè exordiar, perire ſyſtema hoc rerum, minuique per partes, rectæ rationi abſurdum, & fide ſenſuum penitùs deſtitutum eſt. Nam ſi quid horum unquam certò contigiſſet, aut principiorum vitio factum, aut ἀδυναμίᾳ ſive impotentia cauſæ, hæc omnia conſervantis. Non vitio principii, ex quo, & per quod mundus & varietas hæc partium ejus exſurgit. Materia enim veluti non generatur; ita non corrumpitur, commune corporum naturalium ſubjectum, expers contrarietatis, adeòque propria conditione mutationibus haud obnoxia. Forma perfectio eſt materiæ, & ab ea tanquam bonum & divinum quid expetita, ſi nobilis hoſpitii incola fuerit, perſeverat: ſi pro domicilio carcerem nacta, ſolutis quibus impeditur vinculis, in libertatem ſuam ſe vindicat, alia locum ejus viceſque ſubeunte. Boëtius,

—— genitum nil emoritur, inquit,
Sed tranſpoſitum ultro, citroque,
Formam priorem alterat.

Non patitur quicquam cauſæ efficientis defectu mundus, utpote qui non fortuitum ac tumultuarium opus ſed ſupremum illum cuſtodem omnium, atque auctorem Deum habet, quem piè Ariſtoles τὸ πρῶτον κινῦν, ἕν, ἀΐδιον, ἀκίνητον, πάσης ἐκτὸς μεταβολῆς, καὶ ἁπλῶς καὶ κατὰ συμβεβηκός: primum movens, unicum, æternum, immobile, penitùs immutabile. Quod ſine

prin-

principio principium, abſque fine finis, cui præteritum non abit, haud ſubit futurum: cujus velle potentia, cui opus voluntas. Ab eo itaque ſi rebus humanis, τὸ εἶναι τε καὶ ζῆν, & eſſe, & vivere, neminem arbitror in tam ſpiſſa caligine verſari, qui non clarè perſpiciat, ſub tam provida mente, ſub tam benigno vigilique conditore, ornatum hunc rerum incolumem ſtare poſſe, & quam diu viſum ipſi fuerit perennare. Optimè libri de mundo aureus ſcriptor, Phidiam refert ſtatuarium, Minervæ clypeo imaginem ſuam expreſſiſſe, latente quidem oculo artificio; ſolertia tamen tanta, ut eximere & delere eam nemo poſſet, niſi totum penitùs ſimulacrum diſſolveret. Ita parentem illum rerum, indidiſſe ſingulis indelebilem ſui characterem, συνέχοντα τῶν ὅλων ἁρμονίαν τε καὶ σωτηρίαν complexum univerſorum concentum pariter ac ſalutem. Non delaſſat eum, & diſtinet tantæ molis aut magnitudo, aut ambitus: ἄπονος γὰρ ὄντως κινεῖ. ſine labore enim ullo & fatigatione ſic movet, inquit philoſophus. Spargit æterna illa lux quaquaverſum ſuos radios, & uno eodemque ictu ſinus omnes & abyſſos penetrat, cœli, terræ, maris. Nec præeſt ſolùm cunctis à ſe conditis; ſed intereſt, imò ineſt. Jam cœlum, divinæ gloriæ templum dicam; an theatrum, quid ní verè ille Sapientiæ humanæ promus, ἀγήρατον, ἀναλλοίωτον, καὶ ἀπαθὴς, ſenectutis, mutationis, & paſſionis expers pronunciaverit? Hoc, veluti generatum non eſt; ita corruptionis diſcrimen haud incurrit: cui ſicut nihil unquam partium acceſſit; ita temporum decurſu nihil deceſſit. Quod illo denique motu citatur, qui terminorum oppoſitione carens, duravit ab omni ævo inconcuſſus, & ſi Deo liberrimo motori placitum eſt, durabit in omne ævum.

Deficit, fateor, Sol, non ſibi tamen, non cælo; ſed nobis, quos radiorum, & ætheriæ lucis interceptio, horrore protinus ac tenebris involvit. Laborare videtur Luna, & tabeſcere; ſed homini tantum, qui ſalutari ejuſdem influxu privatus, ſeriò laborat, & contabeſcit. Cadunt ſub cœlo, & labuntur, non ſtellæ, quibus & locus ſuus, & magnitudo ſalva ſemper exiſtit; ſed diffuſi per aërem pingues halitus, mutuati luminis ſplen-

ſplendore ſtellas æmulantes. Obſervarunt aſtronomi rara quædam mundi ſpectacula, ſiderumque novorum incrementa, & decrementa; non tamen aſpectus è diſtantiſſimo, vel ortus, vel interitus ullum præbet argumentum. Non magis quam navigia, quæ portum ex alto accedentia paulatim majora conſpicimus; decedentia verò minora, quantumvis nihil vel addatur adventu, vel diſceſſu ſubtrahatur. Furor eſt, in anguſtum compellere cæleſtia, & limitem ponere ſideribus quorum ſemitas nunquam preſſimus. Aërem illum quod nubes cogunt, venti reciproci aperiunt, nimbi vehementes rumpunt, grandines præcipites verberant; id verò nullo cum detrimento ejus conjunctum eſt, cui ſimplicitas, ſerenitaſque ſua reddi non poteſt, niſi heterogeneis quibus oneratur, fortiter ſubindè excuſſis, & dejectis depuretur. Agitant Oceanum præliantes venti, & ab ipſo ſubvertunt fundo validæ procellæ, nullo tamen illius vel minimo damno. Quin potius motu iſto reciprocante quo littora ſua lambit, incolumitatem partium tuetur, quam torpida quies ipſi denegatura. Concutit terram coercitus occultis anfractibus ſpiritus, & ſæpè convellit: nec mirum tamen ullum eſt, pondera fulcimentis languidis innixa vibrare, ferrique deorſum, & loca ſpecubus magnis concava, luxatis fornicibus derepente concidere, quoniam naturali motu ſic ducuntur. Abſorpſit alibi inſulas mare, alibi rurſum evomuit. Eademque neceſſitas, quæ ut cecinit Virgilius,

—— *Italia Siculum latus abſcidit*,

Pharum continenti Aegypti adjunxit. Quæ curſum hic perennibus fluviis interceperunt cauſæ, alibi aperuere iterum, viamque ſtravere. Conſtat itaque mundo & præcipuis ejus partibus inviolata juventus: conſtat etiam caducis his, & mollibus plantis ſpecierum ſuarum integritas, quicquid minetur

—— *aut innumerabilis*
Annorum ſeries, aut fuga temporis.

Veriſſimè philoſophus, δεῖ ἐν τοῖς φύσει τὸ βέλτιον ὑπάρχειν μᾶλλον, oportet, inquit, in naturalibus id quod melius eſt, magis exiſtere. Præſtabilius autem ſit eſſe, quàm non eſſe, &

S ſem-

ſemper eſſe, quam aliquando: cùm prius horum aſſequi natura nequeat in iis, quorum perfectio corporis ὁμοιομερείαν, ſive ſimplicitatem excludebat, ſi ſpectentur ſingula; conſequitur tamen, obtinetque perennitate ſpecierum. Modum ipſum diſertè ac divinè expreſſit Ariſtoteles, quem pauca vulgus arbitratur agnoviſſe de rebus divinis, συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ Θεὸς, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν, Implevit, inquit, univerſum Deus, perpetuam, continuamve efficiens generationem. Cecinit eadem, utcunque pluribus, Poeta vetus,

Ipſa venas, inquit, atque mentem permeante ſpiritu,
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum,
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.

Quid igitur eſt, quod deſit plantis? quo minus inſita generandi facultate ſpecies ſuas familiaſque propagent. Circumagitur etiamnum irrequieto ambitu cœlum. Fertur intrà ſuos tropicos Sol, temporum vices, annumque ſemper renaſcentem ex uſu vegetabilium temperans. Excipit ea gremio ſuo tellus, non hodiè minus, quàm olim benigna, mitis, indulgens, & indigentiæ mortalium ſemper ancilla. Generat adhuc coacta, ait Plinius, quæ ſponte fundit, tot ſapores, odores, ſuccos, optimaque fide ab agricolis creditum ſibi fœnus ſolvit. Nec deficiunt iiſdem educandis tempeſtivi imbres,

Aurarumque leves animæ, tepidique vapores.

Atque ut certius cognoſcatis, nihil a mille aliquot annis ſtirpium indoli, & vigori quicquam deceſſiſſe, exhibent eundem temperamenti modum, eaſdemque agendi vires, ſive ſecundæ Valetudini mortalium conſervandæ, ſive adverſæ redintegrandæ operam aliquam conferant.

Et de remotis tantum loquor plantarum cauſis: cum in proximis ſingularum ſpecierum elementis perpetuandis, incredibile ſit, quantum cœleſtis Providentia ſe diffundat! Neque enim ut in animantibus fieri præſtabat, ſemini tantum

tum producto vim illam genitabilem includere voluit; ſed per varias ſtirpium partes diſpergere. Sunt igitur quæ toto caudice, & materie ſolidiore facilè ſobolem extrudant. Hederam videatis, & reptantia gramina, quæque florem ſuum in nodum colligit verbenam, quamvis attingere tantum altricem terram obſerventur, per caules ſuos hinc inde porrectis radicibus, cœtum ſuum augere. Magna pars, à radicibus ipſis & circum radices ſtolonem proferunt, ſtirpium novellarum principia, quæque ſponte ad juſtam parentum magnitudinem excreſcunt. Quarundam radices annaſcentibus denuò radiculis multiplicantur, totidemque fœtibus diſtinguuntur, quot nodulis, ac veluti ſpicis extuberant. Ita Narciſſorum, Hyacinthorum, ſimiliumque formoſa progenies, è modico cœtu, non magno temporis intervallo in centurias, & myriades abit. Non paucis anni vernantis munificentia gemmulæ adnaſcuntur, novarum ſtirpium exilia quidem, attamen certa, generique ſervando ſufficientia fundamenta. Sunt quibus in ſpem ſobolis extremi proficiunt rami,

—— ſummumque putator,
Haud dubitat, terræ referens, mandare cacumen.

In Opuntiis ſive ficubus Indicis, etiam folium decerptum, ſolo, ſolique commiſſum, ſatis ad excitandam plantam facit, ut taceam, a Theophraſto proditum eſſe, fœcundis aliquot lacrymis genitabilis humidi ubertate fluentibus, plantas nonnullas ortum ſuum debere. Nec ſuſpicienda tamen magis hæc in plantis naſcendi varietas, quàm robur ipſum generatricis, & adverſus temporis & fortuitorum injurias conſtantia. Oleæ dudum exſiccatæ lignum radicem truſiſſe novam à vetuſtis ſcriptoribus notatum accipimus. Ut jam portento ſimile non ſit, quod fide digni retulerunt auctores, clavam Herculis, quæ ex oleaſtro fuit, ſobolem protuliſſe. Romuli haſtam, quæ ex orno maſcula erat deprompta, actis iterum radicibus germen excitaſſe, ſcripſit in Romuli vita Plutarchus, ut Ovidio accinente, non jam ſiccum eſſet telum,

—— ſed lenti viminis arbor,
Non expectatas daret admirantibus umbras,

Ariſtoteles ipſe lectum ligneum terra defoſſum, germinare potuiſſe, non abnuit: & quidni potuerit, quam diu perſeverantem in lenta materie genitalem humorem, inſitumque humori calorem & naturam, externa vis penitùs haud excuſſerat.

Imò corruptas penitùs ſenſuque noſtro planè deſtructas plantas, non deſtituere protinus ſeminalem vim, ſæpè docuit illarum inopinata regerminatio. Sonchum, præ reliquis herbis familiare ſuibus alimentum, ex eorum excrementis per campos ſparſis, iterum naſci agricolis innotuit. Neque aliud opinor eſt, quod vegetabilis naturæ perſeverantiam magis aſſerat, quàm artificium virorum praxi Hermetica celebrium, quo diſſoluta roſarum compage, combuſtiſque cum ſtirpe ramis, dum elicitum ſpiritum, & è cineribus collectum ſalem, humido terreoque elemento peritè jungunt, non ſine ſpectantium plauſu, ejuſdem naturæ ac ſpeciei roſas, veluti ex Orco in lucem revocaverunt.

—— caret Phænice ſecunda
Mundus, & haud ullum fovit Cunina renatum,

inquit doctiſſimus Satyricus. In animantia id quidem, & hominem conveniat; non convenit in plantas, quibus veluti multiplicem naſcendi viam ſternere voluit cœleſtis indulgentia; ſic internum generationis principium, activum, atque ut cum Ariſtotele loquar κυριωτέραν αἰτίαν, cauſam principem, arctioribus vinculis ſubjecto ſive materiæ alligare placuit.

Jam ſemina ipſa plantarum, quamvis rudia vulgo videantur, & contemta naturæ opera: propius tamen & æquis ponderibus examinata, maxima ſunt, atque optima ejuſdem opificia, quæque, Theophraſto cenſore, ab eadem niſi viribus omnibus confirmata, produci nequeant. Continent enim ſemina quæ maturitatem adepta, non tantum quæ ad plantæ novellæ conſtitutionem neceſſaria ſunt; ſed etiam ejuſdem conſtitutæ conſervationem. Atque hæc ea ſunt, quæ Ariſtoteles

teles κυήματα, conceptus nominat, quales in animantium ſerie, edita volucribus ova. Igitur ut in illis, ſic in plantarum ſeminibus plantæ novæ ſyſtema & fundamentum adeſt, adeóque pars princeps, Dioſcoridi τὸ ἐγκάρδιον dicta, id quod cordis rationem obtinet, tum in ea facultas ipſa vegetabilis, non jam potentiâ, ſed ὑπ' ἐνεργείᾳ ſive actu præſens. Imò nata ante in fœcundo ſemine plantula eſt, quàm conſpicimus natam, falsòque terræ partum exiſtimamus, qui ſeminis, cum illa nutricis potius, & obſtetricis, quàm nomen maternæ venerationis hic mereatur. Produxit autem juxta cum novelli fœtus rudimento, ſimilem eidem humiditatem, ſive carnis eam, ſive pulpæ nomine in ſeminibus capiamus. Ariſtoteles τὸ πρῶτον γαλακτῶδες, primum lacteum vocat, & diſertiùs Theophraſtus τροφὴν τῇ ἀρχῇ συναπότικτον, nutrimentum principio congenitum, cujus beneficio conceptum ſuum ſuſtentat. Idque adeò copioſum floriferis quibuſdam bulbis eſt, ut extra terram non fovere tantum embryonem ſuum queant; ſed educare etiam, foliiſque, & floſculis ornare: ſicut in ſcylla, ſimilibuſque vulgo conſpicuum eſt. Vix credibile, ſcio, videri minutiſſima tot ſtirpium ſemina, & oculorum aciem exilitate ſua fugientia, plantulam continere, & neceſſarium eidem tuendæ nutrimentum. Cogitandum hic tamen cum Plinio, non minus hæc conſideratione digna eſſe, quàm turrigeros Elephantium humeros, taurorum valida colla, & truces in ſublime jactus, tigrium rapinas leonumque jubas, cum natura nuſquam magis quàm in minimis tota ſit. Ut incluſa ſeminibus plantarum principia, ab injuriis fortuitorum defenderet, ſpectabili rurſum artificio, tot velamentorum ſinubus omnia circumdedit. E quibus nonnulla mollia eſſe placuit, & membranæ cuticulæque leni ambitu mitia: ſolidiora quædam, & lignea duritie rigentia. Quid ſpinæ porrò & horridum acculeorum agmen? quod non paucis ſeminum additum obſervamus involucris. Non aliud hercules, quàm externum ſervandis iiſdem præſidium, quibus vel animantium aviditas, vel hominis procacitas, & negligentia damnum inferre poterat. Adjecit natura quibuſdam humani vultus effigiem, canum, leonum, & ſerpentium ora: thecas

aliorum, & capſulas varie contorſit, flexus cochlearum, & labyrinthi gyros imitata. Non aliam arbitror ob cauſam, quam ut impedimenta quædam, & remoras objiceret, quibus vim inferre parantes occuparet. Inſtruxit quædam floccis, & laneis papporum veluti plumis, ut tunc maximè de ſeminum tutela ſolicitam eam exiſtimemus, cum id minimè videtur, cum alas iis addit, quibus ex oculis noſtris faceſſant, &, ut cum Marone loquar,

— *volitent ludibria ventis.*

Utique perdurationem & incolumitatem ſeminum *inſignem*, in plurimis plantarum dudum peritiſſimi *cultores notarunt*; iis præcipuè quorum operimenta validiora, inſitumque fœtui alimentum ſolidum magis, ſtipatumque deprehenditur. Nec tamen etiam in languidioribus ſtirpium ſeminibus, per externas injurias facilè expugnabilis vivacitas. Laſerpitium ſpontaneo ortu natum referunt auctores Græciæ clariſſimi, imbre piceo repente madefacta tellure: eamque vim per quatuor mille Africæ ſtadia valuiſſe confirmat Plinius. Ita pluviis & aquarum inundationibus ſilvas, ubi prius non erant, ſurrexiſſe, Theophraſto credimus. Nec dubium eſt, utrumque contigiſſe, quod corpuſcula ſeminalia, vento imbribuſque abrepta, quia inſitam facultatem haud perdiderunt, alieno quidem, ſed benè præparato in ſolo, feliciter hoſpitari potuiſſe.

Degunt in ſaxis ſcopuliſque marinis androſace, & coralliorum ingens varietas. Vivunt in murorum compage, turriumque altiſſimarum minis helxine, cymbularia, hederæ, ficus; ut jure, & veluti excitatus Seneca ſcribat, conſideremus, quàm ingentem vim per occultum agant parvula admodùm ſemina: &, quorum exilitas in commiſſura lapidum vix locum obtineat, in tantum convaleſcunt, ut ingentia ſaxa diſtrahant, & monumenta diſſolvant. Naſcuntur ſub aquis plantæ non temperamenti ſolùm frigore aquæ ſimiles; ſed etiam calidæ, ut ſium, hydropiper, ſiſymbrium, dracontium. Florent ſummo hyemis rigore ellebori nigri, & ſub montium altiſſimorum nivibus incolumes perſiſtit, ciſtorum, ledorum, ſimiliumque fruticoſarum ſtirpium ingens varietas. Mirati veteres, in fronte

fronte cervi natam hederam, auctore Theophraſto. Pauculi anni ſunt cum ex lapſu defixa, & relicta in humano corpore ſpina, longo tempore germina proferret, aſſerente rem, & ſcriptis vulgante Fortunio Liceto Philoſopho clariſſimo.

Confirmat hunc vegetum in plantis vigorem, quod ſingulari naturarum propenſione invicem ſuſcipiant, & jungant, alienoſque fœtus non ſecus educent ac ſuos. Inde enim eximium emanat inſitionum artificium, quo non tantum quæ generis, ac ſpeciei communione ſibi devincta ſunt, coaleſcunt; ſed etiam utraque ratione diverſa. Non aſpernatur generis diſcrepantiam vitis in juglandem arborem ſuſcepta; roſa in quercum, in ficum ruta, quodque ætas hæc primùm agnovit, perſicus in braſſicam. Vitalium item munerum participationi non obſtare ſpecierum diſſimilitudinem oſtendit pyri in malum, vitis in oleam, Jaſmini in roſam, braſſicæ in rapum adoptatio. Quid igitur hæſitemus, Auditores, an ſervare natura ſtirpium queat ſpecies? quarum principia tanta ſolicitudine tuetur, quarum generationem, tot mediis incitare voluit.

At inquiunt, ſi ſpecies aliquot plantarum perditæ non ſunt, quid eſt, quod hoc ſeculo Æthiopidem herbam non reperimus? quæ tactu clauſa omnia aperiat, quæ ſtagna? amneſque ſiccet: quod Achæmenide caremus? quæ in aciem hoſtium conjecta trepidare agmina faciat, & vertere terga: quod Latace deſtituimur? quæ rerum omnium copia nos beaeret, & ſimilibus aliis? Ego veteribus tantum non tribuo, ut omnia ipſis vel dicta vel ſcripta ſimpliciſſimæ Veritatis ad normam exacta mihi perſuadeam, & herbas illas vel fuiſſe unquam credam, vel ſi fuere, viribus tam portentoſis præditas fuiſſe. Ridet has, nec immeritò, Plinius, & tanquam ſtultæ opinionis, Magicæque vanitatis ludicra proſcribit. Ubi iſta fuere, inquit, cum Cimbri, Teutoneſque terribili Marte ulularent: cum Lucullus tot reges Magorum cum paucis legionibus ſterneret? Cur Romani duces, primam ſemper in bellis commeatuum habuere curam? Cæſariſque miles ad Pharſaliam famen ſenſit, ſi abundantia omnis unius herbæ felicitate potuit

fuit contingere? Nonne ſatius fuit Æmilianum Scipionem Chartaginis portas herba patefacere, quàm machinis per tot annos clauſtra quatere. Cauſam autem harum traditionum peritè ſubjungit idem rerum naturæ ſcriptor, &, mirum ait eſſet, huc provectam antiquorum credulitatem, ſaluberrimis initiis ortam; *ſi modum humana ingenia noviſſent.* Nunc omni in re, *ea animorum conditio eſt, ut â neceſſariis orta* primùm, cuncta pervenerint ad nimium. Galenus, inter veteres rei herbariæ doctus pariter atque æquus arbiter, Andræam mendacii arguit. Præcipuè Pamphilum, *quem ſcriptum* de ſtirpibus tractatum, *nugacibus transformationibus*, incantamentis, anilibuſque fabulis impleviſſe refert: præſtigiatorem fuiſſe, & cui unicum hoc ſtudium erat, ut portentoſa ſcribendo vulgus imperitum in ſui admirationem converteret. Neque aliam exiſtimo cauſam, quod Rufus Epheſius, Heraclides Tarentinus, Cratævas, aliique nobiliſſimi auctores, prodigia illa herbarum *ſilentio præterierint:* neque Æthiopidi aliud attribuat Dioſcorides, quam quibus pectoris morbis auxilium afferat, quodque Iſchii dolorem mitiget.

De Balſamo tamen perdito quod afferunt, majore fide, rationumque momentis oſtendere conantur. Nam cum in Palæſtina duobus tantum regiis *in hortis,* magno ſtudio excoleretur, neque ullibi ſylveſtris extaret planta, regione tota ab Ælio Adriano peſſimis exemplis devaſtata, & incurſu Perſarum, Turcarumque iterum maximis cladibus attrita, juxta cum hortis plantas pariter Balſami deletas fuiſſe neceſſarium arbitrantur. Contigiſſe idem Ægypto, cum Tomumbejum, ultimum hujus provinciæ regem, Selim, imperator Turcarum, inſigni facinore tolleret. Cofirmarunt hæc eadem, inter viros ſcriptis celebriores, Hieronymus Cardanus, ab Augerio regis Hiſpaniarum legato ſic perſuaſus: tum Nicolaus Manardes, mercium Indicarum cognitione clarus. At neque hæc tanti roboris ſunt, ut balſamicæ plantæ ſpeciem è rerum natura ſublatam evincant. Nam quis rei herbariæ optimè peritus, vallem Paleſtinæ, cujus longitudo triginta, latitudo quindecim milliaribus terminatur, datâ huic rei ſingulari opera,

ra, ſic perveſtigavit, ut nullam in eo Balſami ſtirpem ſuperſtitem certò conſtitutum habuerit. Atque ut largiamur hoc publicæ famæ, deeſſe nunc Palæſtinæ tam nobile germen; minimè tamen concedemus, eandem fuiſſe patriam Balſami tellurem. Cum enim, auctore Theophraſto, Sylveſtrem illius plantam nullam aluerit; ſed duobus tantum, ut dixi, regiis paradiſis, ſingulari cura, & aſſiduis irrigationibus educaverit, manifeſtum evadit, non indigenam, ſed peregrinam ſtirpem fuiſſe, cui ſervandæ tantum laboris ſtudiique impendendum erat. Expreſſit autem natalem Balſami terram Joſephus, antiquitatum Judaicarum ſcriptor diligentiſſimus, cum Balſamum Salomoni, ſapientiſſimo dynaſtæ â Regina Sabæorum dono datum commemoret. Erant autem Sabæi inter Arabiæ Felicis populos, cum auri, metallis, tum, odorata ſylvarum fertilitate ditiſſimi. Nacta itaque Palæſtina tam eximiam plantam ex Arabia, in cujus non maritimis tantum, ut à Strabone proditum eſt, ſed etiam mediterraneis locis, & circa Badruniam oppidum, in montibus collibuſque feliciter ſurgit. Tranſlatum è Palæſtina Balſamum in Ægyptum creditur Cleopatræ libidine. Seculis deinde ſequentibus per Califfam, & proreges, quotieſcunque in horto Matahariæ cuſtodum negligentia peſſum ivit, ex Arabia propinqua frequenter repetitum fuiſſe, cum incolis abundè notum eſt, tum Illuſtriſſimis viris cognitum, qui pro Sereniſſima Republica Veneta conſulari munere in Ægypto perfuncti; & quotquot ſubditum ejus jam à tot annis Cahirum inhabitarunt. Apud quos, & mihi degenti, odorati balſami fructus, & ramuli, fragranteſque eximia ſuavitate lacrymæ multoties conſpectæ. Has verò genuinum illud antiquorum Opobalſamum eſſe, tam plantæ genetricis habitus, quàm liquoris ſubſtantia, qualitates, & facultates penitiſſimè convincunt. Cardano dudum ſe oppoſuit Julius Cæſar Scaliger, Manardo Carolus Cluſius, ille ingenio atque eruditione princeps; hic in ſtirpium rariorum cognitione ſummus. Senſerunt idem mecum Petrus Bellonius, Andreas Cæſalpinus, Honorius Bellus, Joannes Coſtæus, atque ex anteceſſoribus meis, Melchior Guilandinus,

T Jac.

Jac. Antonius Cortuſius, Proſper Alpinus, Adrianus Spigelius, Joannes Prevotius, viri ad famam, & nominis immortalitatem nati. Mittamus igitur, humaniſſimi Auditores, de perditis plantarum ſpeciebus, vanam pariter atque ingratam opinionem, & perennare eas cœleſti beneficio cum mundo arbitremur, quam diu perennat mundus, quarum ad bonæ Valetudinis emolumentum, ea nobis varietas divinitùs ſuppetit, ut non tam quærendi, quàm ſeligendi difficultate laboremus.

JOANNIS VESLINGII MINDANI,

EQUITIS,

ET IN PATAVINO GYMNASIO

Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſoris primarii,

DE

PLANTIS ÆGYPTIIS

OBSERVATIONES ET NOTÆ

AD

PROSPERUM ALPINUM.

Cum additamento aliarum ejuſdem regionis.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. NICOLAO CONTARENO

HIERON. FILIO,

PATRITIO VENETO,

JOANNES VESLINGIUS MINDANUS.

F. P.

Sceletum æneum, artificioſam oſſium corporis humani compagem, Apollini Delphico conferebat Hippocrates, ſi fidem Celſus meretur, omnis Medicinæ parens. Sugillabat factum hoc vulgi livor, quod vir tantus, non exornatas nobilibus gemmis pateras, non ex auro ſolido tripodes; ſed vile ſatis, & injucundum ſpectantium oculis anathema Numini ſibi propitio dicaret. Rectius tamen ſentientium punctis laudatus fuit prudentiſſimus Senex, utpote qui Medicinæ inventori monumentum ſtatuiſſet, in quo cùm ſalubrium actionum perfectio, tum artis inventæ dignitas clariùs quàm in auro gem-

mis-

miſque refulgebat. Imitari id mihi videor, illuſtriſs. Vir, & per veſtigia illa repere magni Præceptoris, dum non ſelectum quidem, ſed per æſtiva ſtudiorum laxamenta concinnatum hoc opuſculum, exoticæ Floræ qualemcumque corollam, in Gratiæ tuæ Templo dedico; qui ſeculi hujus Apollo alter, non ſolùm generoſo, perque tot *ἰσοθέους ἄνδρας*, Diis ſimiles Heroes deducto ſtemmate ſplendidiſſimus es; ſed herbarum quoque ſubjecta tibi potentia, per tractus omnes Chriſtiani orbis celeberrimus. Ecquid enim eſt in hoc amœno plantarum genere, quod ad utrumque ſolis terminum porrectæ Indiæ, Ægyptus, Syria, Thracia, Creta, Cyprus, Europa deinde reliqua, vel raritate ſuſpiciendum, vel odora floreaque voluptate delinificum, vel medendi viribus admirandum, curioſis unquam oculis admovit, quod non in cultiſſimi horti tui pulvillis areoliſque decentiùs, quàm in penſili Semiramidis viridario, aut etiamnum vernet, aut olim hoſpitatum fuerit? Munificentia ſanè tua, tanquam diffuſo quaquaverſum vegeto calore, Proſperi Alpini exoticæ plantæ tenebris & oblivioni ſubductæ, non deſperant cum auguſto feliciqve nomine tuo viam terere poſſe æternitatis. Et hæc pariter quæ devotus exhibeo cultor, irradiante benignitate tua pervenerunt ad frugem, qui conſilio tuo in Orientales provincias profectus ſum, tuoque hortatu ad Patavinum hoc Athenæum iter relegi: ut non minùs ea Tibi deberi profitear, quàm Cereri ſpicæ, & olea Minervæ. Quamvis in amorem Tui ultrò conceſſerim, ſimul atque inundatum ingenti Sapientiæ flumine pectus tuum cominus venerari; & ab illo reconditæ Doctrinæ torrente avidum animum ſatiare licuit. Hærent plerique in veſtibulo Philoſophiæ ſalebris

ar-

argutiarum malè detenti, & inſtrumentum vitæ, teſte Seneca, maximè ſerium in ludum quendam convertunt nugarum. Te ardentiſſimus Veritatis amor, & eximio ſubnixus ingenio pertinax labor, in interius illius Divæ ſacrarium facilè admiſit, ut verè Lucretianum illud tibi vindices,

> —— —— *juvat integros accedere fonteis*
> *Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,*
> *Inſignemque tuo capiti petere inde coronam,*
> *Unde priùs nulli velarunt tempora Muſæ.*

Taceo humanitatem tuam, quà me nil tale merentem conſtanter ſuaviterque complecteris. Taceo reliqua tot Virtutum tuarum ornamenta, quæ prolixo verborum ambitu digerere, nec Modeſtia tua concedit, nec mea permittit infantia, qui ſocco magis idoneus ſum, quàm cothurno. Sume igitur, Vir Maxime, tenuem hunc libellum, nec ab ingenio ſatis excultum, nec qua decuit elaboratum induſtria. Patere quæſo, ut à clariſſimo nomine Tuo fœnerata luce, tantiſper in Famæ delubro pendeat: non ut munus, cùm nihil quidem à me proficiſci queat, quod non ex officio, imo ex debito tuum ſit; ſed veluti animi æternùm benevolentiæ tuæ vadati Sponſoria tabella. Cæterum, Providentiam veneror Cœleſtem, ut Illuſtriſſ. Ampl. Tuæ honorum omnium optabilem proventum interminus annorum recurſus inſtauret.

Patavii 1. Kal. Januarii. Anno M. D. C. XXXVIII.

In Obſervationes Ægyptias

V. C.

JO. VESLINGII

Equitis.

Niliacos *ALPINUS* Opi detexit odores:
  Neglectis Hermes jam tulit alter opem.
Romanos latices miratur barbara Memphis,
  VESLINGI genium quando Serapis habet.
Oceano pronus tangit dum brachia Cancri,
  Non alio Phæbus nectare potus erit.

Obſervantiæ monumentum

S.

Jo. Rhodius.

Quintus Olympiacam jam reddidit annus olivam,
  Implevit ſpicis horrea quinta Ceres,
Cum ſic pingebas parvi miracula mundi,
  Ut ſtupeant circi pegmata docta tui.
At nunc affectas apicem majoribus alis,
  Cum magnus prodit mundus ab arte tua,
Quem per Niliacæ luſtras quinquennia Memphis,
  Dum Pharii tradis germina rara ſoli.
Coſmographum plaudens te verum credit Apollo,
  Cujus ad Ingenium Mundus uterque patet.

Paulus Marquart Slegel,
Hamburgenſis.

ΩΣ ΑΠΟ

ΒΙΒΛΙΟΥ.

Ὄρχατος ἄρ' Ἀλκινόου λέγος ἔπλετο· οὐ Βαβυλῶνα
    Τὴν προτέρην κήπων ἠερίων ἄγαμαι.
Ἀλπίνου παράδεισος ἔχω πλέον ἔν μοι ὀδῖτα
    Δήεις ἐκ καλύκων ἄνθεα φαιδροτέρων.
Καὶ φυτὰ, καὶ καλάμους, τοὺς εὐρυπόρου γ' ἀπὸ Νείλου
    Ἠλγάϊσεν μέσσῃ Πρόσπερος Αὐσονίῃ.
Ἔρχεο θαρσαλέως, οὐ τίς σε Πρίηπος ἀπείργει
    Καρποφύλαξ, σταχύων ἐκκεραΐζομένων.
Ἄλλος γὰρ προθύροισιν ἐφίσταται, ἤπιος ἄλλος,
    Δράγματα αὐτομάτην πάντα χαριζόμενος.
Μινδανὸς γένος ἐστι, καὶ ἡμετέρων ἀπὸ κόλπων
    Ἀλδαίνει πινυτὴν τῇ δε φυτηπαυίην.
Ἀκτῖσιν τε νόου θάλπει, κατὰ δ' αὔλακας ἕλκων
    Ἀρδεύει νυμφῶν νάμασι Κασταλίδων
Τηλίκον ἡμετέραις πρασιαῖς περὶ κόσμον ἔθηκε,
    Δῶκε δ' ἀεὶ χλωραῖς ἀνθοκομεῖν βοτάναις·
Οὔτε γὰρ αὐχμηροῖο θέρους ἐνὶ καύματι καῦμα,
    Οὔτ' ὥρης κρυμὸν δείοτα χειμερίης·
Τοῖος τοι φυτόεργος ἀεὶ ζώουσι στεφέσθω
    Ἄνθεσιν ἐν ζωοῖς, ἄνθεσιν ἐν φθιμένοις·

Juſtus Ryckewaert.

Fertur odoriferis ſerpens Epidaurius herbis
Hippolyti laceros compoſuiſſe ſinus.
Quis potuit vitæ leges præſcribere plantis?
Ut foliis redeat forma virorque ſuus.
Solus in exemplo eſt VESLINGIUS; audet utrumque
Quod docuit Phariæ torrida Zona plagæ.
Sicca papyrifero diluta novalia Nilo
Oblitum, Meroæ ſemen opeſque ferunt:
Ignotas calamo dum Ægypti diluis herbas,
Non Peluſiacæ nomen habebis aquæ?
Non ſitiet ſanctam Crocodilus peſtifer undam,
Progenies Coæ ſed generoſa Scholæ,
Nemo bibat raptim, ſed labrum proluat altum;
Et licet invideat, diſcat amare canis.

Martinus Witting.

JO.

JO. VESLINGII OBSERVATIONES

IN LIB. PROSPERI ALPINI

CAPUT I.

De Plantis Ægypti.

Egyptus ut animantium fœcunditate, ſic plantarum quoque lætiſſimo proventu, non Græciæ olim, non Hetruriæ, agroque Latino, quicquam ceſſit. Quamvis enim Jovi Pluvio nunquam ſupplicet; habet tamen in privatis bonis abundè quod cælo imputet. Solem, qui vegetabilia firmat, auras, quæ ſuaviter demulcent, Nilum qui liberaliter educat, nobiliſſimum amnem & quem verè dixerim, non Trimalchionis, ſed Ægypti τὰ πάντα. Nam quòd Sole adulto, ac ferventiùs radiante non fatiſcit, quòd inſuetæ cœleſtibus aquis per annuas ſiccitates humor ſufficitur, à Nilo eſt: quòd veteribus non urbis; ſed orbis horreum diceretur, & imperii Romani magnitudinem, tum frugibus, tum opibus conſervaret, à Nilo fuit. Quod per hæc

quoque tempora, vicinis Arabiæ deſertæ incolis, Paleſtinæ, Syriæ, Byzantio, copiis ſuis proſpicit, & Europæ reliquæ Saccharum, Caſſiam, Senam, Gummi, indigenas ſcilicet merces non invidet, ab eodem eſt. Sed herbarum præcipuè gloriam multis retro ſeculis Ægyptus poſſedit, & diſertè eam aſſerit Homerus, primus ille doctrinarum & antiquitatis eruditæ parens.

> *Ἐσθλὰ τὰ οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις,*
> *Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα*
> *Φάρμακα.*

Nimirum de Helena ſua loquitur *ſapientiſſimus Poetarum*, cui Polydamna, *Thonis* Regis conjunx, remedia dederat plurima, quæ fertili ſolo profert Ægyptus. Inter quæ Nepenthes illud referunt, celebre pharmacum, in quo oblivio quædam fuit à doloribus, & curis. Plinius non aliam ob cauſam Ægyptum unguentis accommodatiſſimam ſcripſit, quæque defunctorum corpora ævis incorrupta facilè conſervaret. Imò, cùm his incunabulis humanæ valetudinis præſidem artem ſublimis ille Hermes, & Triſmegiſti hujus diſcipulus Æſculapius primitùs excoluerint, factum deinde, ut vetuſtiſſimi auctores (Pythagoras ſcilicet, & Democritus) qui vires herbarum voluminibus ſuis complexi ſunt, regionem hanc ſedulò peragraverint, quarum induſtria ſalutaris hæc profeſſio nobis plurimùm increvit. Quamvis autem plantas omnes hujus fœcundiſſimæ Provinciæ ſeſe deſcripturum polliceatur Proſper Alpinus, ad eas tamen reſpexit, quæ vel non obviæ in Europæo tractu, vel certè rariores. Eæ, excepto Balſamo, circa Memphim, Alexandriam, Peluſium item, & Heracleam oppida, in villis aliquot naſcuntur. Difficilè ſanè exteris, in amœniores ſeceſſus pedem penetrare. Quamvis enim hic quoque verè,

> *Aurum per medios ire ſatellites,*
> *Et perrumpere amet ſaxa,*

Odium tamen religionis, hominem Chriſtianum vulgo inviſum reddit, quod atros Europæorum pileos non minùs execratur, quàm

quàm priſci illi lemures, & fuſcas aves. Antiquitùs, quia cultus rerum omnium diligentior, herbarum pariter copia major fuit, cùm Scythico dominatu nondum premeretur Ægyptus: quo jam veluti diluvie omnia ſubruente, bonæ artes in exilium compulſæ & cum gente ipſa, tum ſermo, tum ingenia deleta videntur. Qui nunc Ægyptum incolunt populi, præter indigenas Chriſtianos, potiſſimùm Arabes ſunt, utrique non tam ſubditi, quàm mancipia, & ab avaris Turcis peſſimis exemplis habentur. Quorum animis avidis, atque inſatietatibus, quia modum ſtatuere nullum poſſint, ea tantum in prædiis hortisque colunt, quæ cum minimo impendio quæſtuoſiſſima norunt. Illud etiam opere ſummo caventes, ne ſive deliciis, ſive elegantiis hortorum, noxios invidorum oculos perſtringant. Hinc palmeta quaquaverſum videas, enormesque ſycomoròn truncos, tum arbores medicum aureumque malum ferentes, denſiore ſylva invicem implexas, & jaſminorum fuſiùs intricata germina. Cætera rus merum, & inculta arenarum vaſtitas occupat.

CAPUT II.

De Caſſia.

Arbores præcipuè feliciter educat Ægyptus, ut auctor eſt Ereſius ille ſcriptor ſuaviſſimus, affertque rei cauſam, τὴν πολυϋδρίαν, aquarum copiam, τοῦ ἀέρος μαλακότητα, ſtatum aeris placidum ſive mollitiem, καὶ τὸ μηδὲν ἀντικόπτειν τῶν ἔξωθεν, quodque nihil externorum vim afferat. At hæc ſuaviter magis, quàm verè ſcripta eſſe contendes, cùm vix horum in Ægyptum aliquid conveniat. Etenim arbores cæteræque plantæ, quæ prædiorum ſeptis comprehenſæ, quotidiè quidem ſuffuſam è ciſternis aquam bibunt: at quæ extra hæc, quarum major ſanè pars eſt, a Januario menſe ad Auguſti finem, quibus intra ripas ſuas decurrit Nilus, de ſuo ſibi ſucco parciſſimè vivunt, quia in mediterraneis Ægypti pluviis imbribusque nullis rigantur. Aërem verò quis mollem dixerit, qui continuata ferè

rè ſiccitate ſquallidus, æſtuoſus, quemque numquam non acriùs & rectiùs feriunt illa, ut cum Lucretio loquar, radiantia tela diei; quæ, cum externæ alias injuriæ nullæ accedunt, teneris arbuſculis ſatis noxarum accelerant, utpote quæ infirmæ &, Theophraſti quoque confeſſione, οἷον τιθηνήσεως δέονται tutelam, & nutricis officium deſiderant. Veruntamen quiſquis nobiliſſimæ provinciæ genio pauculis menſibus litatum iverit, lubens hic mellito ſcriptori punctum omne detulerit. Arbores enim quæ non longè nimis vel a Nilo, vel a ductibus ejus, per quos ruptis aggeribus in arva mittitur, aquarum ſufficienti copia fruuntur, & in *circumfuſo calentium arenarum æquore* non ſolùm læto perpetim virore oculis ſeſe commendant: ſed etiam ad craſſitiem, altitudinemque inſignem promoventur. Ex his Sycomori potiſſimùm, & fructibus ſuis amabiliores Palmæ. Quamvis enim eas flumen ipſum non alluat, actis tamen in profundum altis radicibus, ſatis humoris alliciunt, qui in penitiores illos terræ tractus mirè ſeſe inſinuans, veluti in ſpongiam bibulam laté recipitur, & impellente trahentium ſiti rapitur. Hinc eſt, quòd etiam puteorum aquæ juxta cum Nilo creſcant & decreſcant: cùm primis verò celebris illiùs, qui in arce Memphis, qua parte regiorum militum ſtatio, vulgus puteum Joſephi nominat, in quo pariter atque in Sienis puteo, de quo ſcribit Heliodorus, incrementa amnis & decrementa diſtinctiùs metiri licet: ut mirum nullum ſit quemadmodum ex Porphyrio refert Proclus, antiquiſſimam Ægyptiorum ſententiam fuiſſe κάτωθεν ἀναβλυςάνειν τὸ ὕδωρ, ab infernis partibus aquam ſurſum ſcaturire, ac terræ veluti ſudorem exiſtere. Jam verò mollitiem aëris, partim climatis parit diſpoſitio, quod à menſe Decembri ad Martium usque jucundis Zephyri auris mitiſſimum, omnes anni vernantis indulgentias pleno ſinu diffundit: partim a ſtatis producitur ventis. Nam circa ſolſtitium æſtivum, cùm fervido Sole impenſiùs alioquin aer incaleſcat, non minùs tamen a Borea mare mediterraneum perflante indies refrigerante ſpiritu, quàm rorifluis noctibus ſqualorem exuit. Denique nihil eſt hiſce locis, quæ quidem à mari longulè divertant, quod tenellis arborum fœtibus rigorem expectoret.

Vix

Vix toto quinquennio circa Memphim, bis terve pluvias ceci-diſſe obſervavi, nec illas ingentes, quæque ſata diluerent: nunquam imbrem turbine citatum, aut pernitioſos ignium cœleſtium afflatus, aut glomeratum fœda tempeſtate grandinem, ſimilesque calamitates. Atque ut penetrabile & adurens frigus, cœlum ipſum naſcentibus illic plantulis defendit: ita calorem Solis inclementiorem, quælibet circa radicem diſpoſita teſtula excludit.

Ad Caſſiam venio arborum Ægyptiarum pulcherrimam. Arabes illam Sagiar el ſelichet vocant, tanquam nominis egeſtate arborem *ſiliquæ exprimant.* Turcæ prædiorum Ægypti hodiè poſſeſſores Chaïar Xambar appellant, nigram ſcilicet Caſſiam innuentes. Actuarius ſanè primus inter Græcos recentiores Κασσίαν μέλαιναν, Caſſiam nigram indigitavit: quamvis Caſſiæ nomine vetuſtiſſimi auctores, nobile quoddam & cinnamomo cognatum aroma deſcripſerint. Qui eandem Ceroniam Theophraſti nominant, non obſervant, eam & foliorum caducitate, & florum tam flavedine, quàm ſuaveolentia, manifeſtiſſimo diſcrimine ſejungi. Quamvis igitur utrumque nomen huc propriè non ſpectet; nil obſtat tamen, quo minùs Caſſiæ fiſtulæ nomine fidenter utamur, quod conſuetudo, & diuturnus loquendi uſus rei Medicæ donavit. Arbor hæc in maritimis Ægypti locis frequentior eſt: quippe declivioribus, & aquarum copia magis irriguis. Nuci juglandi ut foliorum imitamento par eſt: ita ſtirpis magnitudine & robore cedit. Partibus tamen omnibus elegantior. Nam ſive floſculis foliorum proventum anticipantibus ſuaviter aurea ſit, ſive foliorum florumque grata congerie decentiùs locupletata, ſive floribus, foliis, fructu item veteri & novello pulchrè gravida, nihil eſt quod vel comparatione in juglandem conveniat. Crepitantes autem à concuſſu fiſtulas, optimas eſſe, Alpino noſtro vendaces quidam Ægyptii perſuaſerunt: cautiores tamen mercatores, & quos crepitacula illa à ſolidiore fructu accuratè ſecernere vidi, & ſi qua fiſtulæ parte ſe diſtinctiùs offerunt, ea tenus abrumpere. Arida enim intra ſeptum ſemina continent, & pulpamento melleo deſtituta, humore tenui quo redundabant diſcuſſo. Sed ut

X re-

rerum omnium eximiarum vix diuturnus tenor eſt : ita maturitati jam proximum Caſſiæ fructum ſæpiùs immitis caſus atterit. Inſtrepentibus enim paulò altius ventis, invicem conquaſſatæ ſiliquæ conſertim decidunt, ad uſum humanæ valetudinis deinceps ineptæ. Plures igitur ejuſdem rami fiſtulæ communi vinculo in arbore colligantur, ut vel ſic doceant, non prompte fortuitorum impetu diffringi, quicquid concordi fœdere privatam infirmitatem ſuſtentat. Accedunt inſidiæ à rapaciſſimis furibus, unde & ſolicitudo tuendarum major, &, ut cum Horatio loquar,

Cuſtodes pavidi, & vigilum canum
Triſtes excubiæ

pretium earum & impenſas adaugent. Flores Saccharo conditi, medicamentum exhibent renum ardori contemperando, tum lentis craſſiſque recrementis, quæ tubulos ureterum inſederunt, eliminandis utiliſſimum. Quod ſi ex aſſumpta Caſſiæ pulpa, vel intento calore, vel acrioris urinæ concitato impetu, renum ægritudines exacerbatæ fuerunt, ut obſervarunt Petrus Pigræus, & Fabritius Hildanus : id verò non integræ Caſſiæ tribuendum, de qua hic *Proſper Alpinus ſcribit*; *ſed* corruptæ, ac viribus obſoletæ. Neque hercules fieri poteſt, ut inviolatam ſervet indolem medicamentum, quod in tam longinquas regiones vehitur, vix in ipſo natali ſolo cum cura ſervandum.

Caput III.

De Caròb.

Siliquam dulcem nomine magis proprio κερωνίαν appellarunt vetuſtiores è Græcis Botanographi, quod fructum ferat cornuum rudimenta contortis membranis exprimentem. Arabes ab hac ſignificatione haud diverſi, arborem Kernab nominant, id eſt Cornuum parentem, recepto ipſis loquendi more,

p. 163.

ACACIÆ vera effigies.



re, qui & Papaver Ab el num, patrem ſomni, & Convolvulum ſeptifolium Om el heſſenet, matrem pulchritudinis dicunt, propter ornatum quem addit hortis. Mel ipſum, quod fructus ſuppeditat, Karòb nuncupant, ob craſſitudinis modum quo præditum eſt. Etenim Ka communis eſt, qua craſſitudinis ſimilitudinem exprimunt, particula: Rob verè ſuccum iis denotat calore denſatum. Hinc Rob' el ribes, Groſſulariæ ſuccus, qui ſaccharo per coctionem ſpiſſatus, quem hodiè ex Damaſco locisque finitimis in Ægyptum deferunt. Vulgus tamen ſusque deque habens quid loquatur, arborem, fructum integrum, & melleum ex eo ſuccum communi Karòb nomine compellat. Figura plantæ hic expreſſa rudiuſcula eſt: folia circa extremitates magis rotundata, ovalem propemodum ambitum deſignant; nonnunquam ſinuoſa & inæqualiter commiſſa: Fibræ craſſiores, atque ab his per trabeata intervalla nervulis aliis ad peripheriam deductis. Floſculos rubeſcenti thyrſo inſertos producit plurimos, lacteo candore perfuſos, quorum foliolis dilapſis flaveſcentes apices ſuperſtites remanent, & ipſi tandem decidui. In Ægypto paucas harum arborum vidi, frequentiores in Palæſtina, plurimas in Judææ montibus, & circa Sacram ibidem Urbem.

Caput IV.

De Acacia.

Arbor Acaciæ inter Ægyptias Spinas antiquiſſimis Scriptoribus nobilis, & ut in Sapientum Convivio refert Athenæus, injectis olim corollis quàm propriis ornamentis conſpectior fuit: quamvis & læto foliorum virore, & intermicante ſpiſſo floſculorum auro horridos aculeos inumbrans, per ſe oculis gratiſſima ſit. Caudicem ſpinis carentem non rarò ampliorem deprehendi, quam ut brachio meo circumdari potuerit. Non ὀρθοφυῆ, teſte Theophraſto, ſed à mediocri ſaltem altitudine, denſiore ſylva ramorum, in latus magis, quàm in rectitudinem ſe exporrigentem. Folia quam in propoſitæ ab

Alpino figuræ ramo duplò majora ſunt, nec circa petiolos, nec circa apicem in angulos acuminata, æquatis alarum veluti remigiis ramuli ſui latera ſtipant: ut ad Solem occidentem inter ſe commiſſa, ſic ad eundem orientem ſenſim repanda. Fructus ſiliqua concluditur, non rotunda, ut ex Democrito fertur; ſed complanata, atque ex intervallis compreſſa, nec niſi qua ſemen continet parte leviter liberata. Latitudine pollicem transverſum metitur, longitudine diſpar eſt. Nam ſiliquarum ejusdem arboris alias digiti, alias manus quoque, ſpithamæve menſuram ſuperaſſe vidi, non ternis tantùm, aut quaternis, ſed octonis etiam, denis, pluribusque ſeminibus inter arctatos lobulos invicem ſubornatis. Flores in arbore copioſi, in corollarum quoque contextum olim recepti, ſtaminum innumerabilium denſa phalange ceraſi minoris ambitum æquantes. Succum Acaciæ jam à viginti annis in Europam tranſmiſit vir optimus Cosmus de Nigris, Pharmacopæus Venetus. Is contuſis in mortario lapideo ſiliquis adhuc vireſcentibus, torculari ſuccum exprimit, expreſſum, non ut veteres olim in ſole denſat, ſed in vaſe, quod ſtanno inductum, calore furni eatenus ſenſim ſpiſſat, donec refrigerata guttula protinus concreſcat. Tunc effuſum ſupra linteum purum, ſimulac intepuit, veſicis bovillis includit. Atque hoc modo præparatus ſuccus, minimè exuſtus, modicè fulvus, non inſuaviter odorus, ad præſcriptos ab Alpino noſtro uſus utiliſſimus habetur.

CAPUT V.

De Nabca.

Nabcam Proſper Alpinus Spinoſam hic exprimit; & ſatis quidem rectè, quicquid cenſeant alii, qui nec ipſi Naturæ Veritatem iconum lineamentis accuratius aſſequuntur. Vidi & alteram in Ægypto, non ſpinoſam, cujus apud me ramum ſervo, quamvis ſimilis in reliquis utrique facies. Caudicis amplitudo, & craſſities inſignis obſervatur: nec id mirum in regione, quæ ad arborum, ut Ereſius loquitur, εὐβλα-

ςίαν ϗ εὐκαρπίαν, & fructuum bonitatem, & germinationis aſſiduitatem aptiſſima exiſtit. Equidem quam in urbis Cayri vico Veneto, Conſularis palatii limen inumbrare vidi Nabcam, trunco tam enormi aſſurgebat, ut eam homo quantumvis procerus amplexu cingere totam non ſuſtineret, ædes ipſas tertia ſui parte ſuperaſſet, ſi in rectum germen exiviſſet. Folia cordis figuram æmulantur, à quorum pediolo nervi tres craſſiuſculi in totam longitudinem porriguntur. Horum ille qui medius utrinque propagines minores ſubmittit, reliqui duo externo potiſſimum latere. Denſitas folii vix noſtrate pyro minor eſt. *Floſculi ad foliorum* exortus copioſi viſuntur, ex virore quodam albicantes. Fructus pomum exiguum tota habitudine quam exactiſſimè refert, juraresque per oculos tuos meſpilum te conſpicere, ſi videres; ſed meſpilum ἀνθηδόνα, vel Aroniam illum Dioſcoridis, ſolo nucleo, quem Nabca continet, gemellos hos diſcriminante. E ſpinoſa tamen Nabca poma vidi majora, quæque flavam maturitate corticem eleganti rubore purpurabant. Qui in putrida febri ægris ea indulgent, blandimentum ſanè certum afferunt, emolumentum nullum. Cæterùm Nabcam Connarum Athenæi credidit Proſper Alpinus; cui ſubſcribit Carolus Cluſius Botanicus eximius. Ambiguam tamen fidem faciunt, tam malè hærentes notæ, quum in Convivio illo ſapienti Democritus Connarum δενδρίον, arbuſculum nominet, τῷ φύλλῳ τέρεν ϗ περιφερὲς, cujus folium tenellum & rotundum, denique magnitudine, carnibus, & oſſiculo fructum oleæ phauliæ comparet. Sanè quæ inter Ægyptias arbores de Coccymelea ſcripſit Theophraſtus, & præcipuè quod fructum ferat magnitudine, & natura meſpilis proximum, niſi quod rotundum obtineat nucleum, non coactè huc deduci poſſunt. Plinius hanc Prunum Ægyptiam vocat.

CAPUT VI.

De Sycomoro.

Ægyptiam hanc ficum veteres συκάμινον, & diſtinctius συκόμορον nuncuparunt, Chriſtiani Indigenæ Tin el Pharaòn, ficum Pharaonis dicunt. *Dirimitur ferè ab humili*, ſed *lata ſtirpe*, in truncos binos ternosve peramplos, è quibus deindè ramorum confertim digeſtorum vaſta; & robuſta brachia, opaci frigoris gratiſſimam ſcenam latè *æſtuantibus obtendunt.* Folia magnitudine & *ſinuoſo illo ambitu*, *quem figura hic exhibet*, *prædita non ſunt.* Mori quidem foliis paria, niſi quod horum denſitas major, & aſperitas diſcrimen inveniat ut rectè ſubjunxit Proſper Alpinus. Addo quod Sycamori folia perennitate donata ſunt, quæ in Moro circa brumale ſolſtitium penitùs dilapſa vidi. Fructus cùm, ex caudice, tum ex ramis in craſſitudinem adultis, qua parte trunco propiora ſunt, enaſcuntur, non autem e ramis ſummis, quod ſcire licet rectè negaſſe Dioſcoridem. Fici ipſi in tam fecundo proventu mediocre tantùm corpus faciunt, nec ut noſtrates laxiùs ventricoſi. Parum extra natalem caudicem vulneratum colla proferunt: cavitate quoque intus præditi, quæ ſubluteo minutoque retrimento conſperſa, non rarò vermiculis ſuccreſcentibus hoſpitium præbet. Mattheoli ſententiam ut non immeritò reprehendit Proſper hic noſter: ita verè Plinius cum vetuſtiſſimis ſcripſit auctoribus, Sycomori lignum ſtagnis immerſum ſicceſſere, id eſt, ex raro fungoſoque denſum, magisque tractabile reddi, ſubducto quo prius ſcatebat lacteo ſucco. El Mataria hortus eſt circa Memphim Chriſtianorum cultu celebris, & a puritate ſive luſtratione quadam ſordeſcentis à peccato animi nomen traxit; quamvis ab impuro poſſeſſore indignis modis habeatur. In eo ingens illa Sycomorus, aggere humili ex aggeſtis ceſpitibus accedentium commodo ſuccincta, jam a mille quingentis annis religione Chriſtianorum nobilis, ob cauſam ab Alpino allatam. Vigent etiamnum ejus cacumina lætis frondibus, quamvis caudex circa radices fœdè mutilatus ſit, cum eidem illi qui arborem oſcu-

ſculis humectant, ejus particulam de ſolido frequenter abſcindant, animi intemperantis ſtulta curioſitate labefactantes, quòd affectu pio ſervare præſtabat. Cæterùm, quia Sycomorus arbores Ægyptias ſi non altitudine, certè craſſitie plurimum excedit, jure quæſiveris, an hæc arbor illa, quam veteres in ſylveſtri circa Memphin regione naſci prodiderunt, tantæ molis, ut eam homines vel terni circumplecti nequirent? Sycomoros ego ea craſſitie plures atque etiam ampliores circa Memphis villas prædiaque conſpexi: Veteres tamen Sycaminum a vaſtis illis evidenter ſejungunt, tribuuntque his ligni tum pulchritudinem, *tum* denſitatem ſingularem, quodque τῷ χρώματι λωτοειδῆ colore Celti ſimilis videantur. Inter has, & illa refertur, cujus folia peculiari (ut ait Plinius) miraculo, tactis ab homine ramulis protinus cadunt. Veriùs forſan Theophraſtus τά φύλλα ὥσπερ ἀφαναινόμενα συμπίπτειν φασίν, εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν καὶ θάλλειν: folia quaſi hebetata concidere inquiunt, poſt aliquod deinde tempus reviviſcere, rurſumque virere. Idem folia non πτεροῖς, id eſt, alis, ut legiſſe videtur Plinius; ſed πτέρυξιν παρόμοια, filicibus non abſimilia ſcripſit: a quibus non valdè recedunt, quæ de anonymâ in Malavar planta prodidit Garzias. Mihi nihil horum circa Memphin obſervabile ſeſe obtulit.

Caput VII.

De Palma.

Ægyptus, ut olim nobilium ſcientiarum cultu, & illo nunquam ſatis laudando τῆς ψυχῆς ἰατρείῳ, animæ ſcilicet medicinali, præ reliquis orbis populis palmas quas poſſidebat, jure merebatur: ita hoc ſeculo penitùs à barbarie obſeſſa, imò infeſſa, quas numeroſiſſimas alit Palmas, nullas meretur: utpote fœdiùs abjecta, quam ut agnoſcat ſaltem priſtinam omnem dignitatem. Cauſa tam fœcundi proventus in telluris habitudinem referenda eſt, arenoſam ſcilicet, & ſalſam, plantæ huic gratiſſimam. Vidi his locis, in palmarum veluti ſylvis, terram

co-

copioſiſſimi nitri calida nive latè conſperſam, vel aquis Nili, vel roſcida noctium humiditate fervidiore ſole peruſtis. Nec opus hic maritali cinere palmæ effæminatæ vigorem incitare. Flantibus enim ab auſtro per Æthiopiam, & ſteriles Arabiæ Deſertæ campos urentibus ventis, ingens nitroſi pulveris ſublata vis, abundè cacumina palmarum vegetat. Arbor ipſa quò magis aſſurgit, eò minus *ramorum abſciſſorum nodis* horret, annoſior nodos penitùs obliterat. Per tubera quædam inæqualia ſcanſilis, ſcabram tamen corticem ad extremum usque ſenium ſervat. Vero ſcilicet Virtutis ſimulacro, quam calloſas obtinere manus rectè pronunciavit ſapiens *Romanus*. *Fructus* palmæ Dactyli ſunt, unde & nomen Dachel Arabibus retentum. Uberrimus illorum quamvis à pauculis ramis exortus, meminique ſic onuſtum fuiſſe dactylis ſuis unicum racemum, ut eum attollere à terra præ pondere vix ſuſtinerem. Quod ramis ſubjicitur candidum tenerumque corpus, quidam medullam palmæ nuncupant, rectius Theophraſtus ἐγκέφαλον φοίνικος, Palmæ cerebrum appellat: rectiſſimè omnium Dioſcorides ἐγκάρδιον τοῦ πρέμνου, caudicis cor: ab eo enim inſertis ſibi ramis vitalis vigor ſuffunditur, & nutrimenti gerulæ fibræ in terram altricem deſcendunt. Hoc, arbore collapſa, exemptum, in cibis expetunt Aphrodiſii, Veneris ſuæ officium ſpiſſaturi, nec cephalalgiam exinde graviorem verentur. Nicander νεοῖς ἀσπαστὸν ἔδεσμα adoleſcentibus expetitum cibum cecinit. Dactylos colore tum flavos, tum obſcuriùs purpuraſcentes ferè conſpexi: rariſſimi nucleis carentes, quos ἀπυρήνους vocat Theophraſtus. Non inter majores ejusdem arboris veluti ἀσπέρμους & imperfectos; (quos agnoviſſe tantùm videtur Plinius) ſed probè maturos, & juxta cum reliquis in eadem arborè, ſuavitate eximia palato blandientes. Communibus tamen paulò minores, & colore flaveſcentes obſervavi: in quibus nuclei vicem folliculus cartilagineus ſuſtinebat, cavitate ſaltem inani circa medium relicta.

Caput VIII.

De Sebeſten.

Folia Sebeſten extremis ſuis ovalem magis rotunditatem, quàm anguloſum acumen præſeferunt, ſuperiore ambitu per ſpatia inæqualia variis inciſuris dentata, & nonnunquam ſegmento veluti ſubducto mutilata. Fructus brevi inſidet caliculo, rotundus, tenui ſpinoſoque umbilico leviter adſtrictus, maturaque jam ætate pellucidus, non inſuavi glaucedine incluſa ſemina manifeſtat. Succus huic expreſſus, excellens præbet remedium catarrhis ad fauces labentibus ſiſtendis. Minimam tamen ejus operam Ægyptii flagitant: inter quos albo corvo ſimilem dixeris, quem acriùs deſtillationes exercent. Cauſam agnoſcas, pro ratione Climatis, ſiccius cerebri temperamentum, & quod a vini illecebris (ſi militem excipias, & pauculos qui Chriſtianis addicti ſunt) ex religionis edicto vulgus abſtineat. Illius enim immoderatum uſum, ut verè cecinit Lucretius,

Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi.

Caput IX.

De Tamariſco.

Tamariſcus non Ægyptiis tantùm Italisque, ſed aliis etiam Europæ populis, ac Germanis, qui Rhenum & Danubium accolunt, ſatis nota eſt. Sed in Ægypto amplior arbor, & non raró denſiore ſylva prædia villasque circumplexa. Luem, impura Venere contractam, verè ſcripſit Alpinus, non ſecus Tamariſci, quam Gujaci decocto profligari. Non enim adeò gravia ſunt quæ hic infecti patiuntur. Excludit mali impetum

 pu-

purior corporum conſtitutio, tum illa ſudorum, & per continuum aëris æſtum, & balneorum frequentiſſimum uſum, conſueta profuſio. Vidi ſæpiùs peſſimè affectos, & in oſſa ipſa fœdè ſæviente morbo, cùm extrema omnia fruſtra alibi tentata fuiſſent; in hac regione citra magnam præſidiorum vim, noxiam luem evaſiſſe.

Caput X.

De Tamarindo.

Arborem hanc juxta cum ſiliqua ſua, Arabes Ægyptum ſæculo præſenti incolentes, Tamar hendi, id eſt fructum Indicum nuncupant, quòd ex Orientali India in Arabiam Felicem, vel ex Æthiopia, ut rectè Alpinus noſter, copioſiùs in Ægyptum Arabiamque finitimam deferatur. Æthiopiam autem Indiæ nomen apud veteres obtinuiſſe, ex Servio, aliiſque notius eſt, quam ut ambiguitatem ullam relinquat. Non igitur ex Arabia ad Indos, ut nonnulli ſcripſerunt: ſed ex India ad Arabes commeat nobilis hæc planta. Longiùs abeunt à vero qui à dactylis palmulisve nomen derivant. Non enim Tamar dactylum ſolùm denotat; ſed, ut notum eſt Arabicæ linguæ vel tenuiter peritis; fructum omnem; imo latiſſimo nominis ſignificatu, arborum animantiumque fœtus complectitur. Nàm ut ipſi quoque fatentur, Tamarindus ex Palmarum familia non eſt, utpote cum quibus nec ſtirpe, nec floribus, nec foliis ulla ipſi intercedit ſimilitudo. Addo quod nec fructu. Compara Tamarindi ſiliquas cum dactylis, & facilè tibi conſtabit, quàm diſtent æra lupinis. Qui Tamarindum ſiliquam vocant Arabicam, audaces nominum calatores, inveniant deinceps diſcrimen inter tot alias plantas, quæ ſiliquas inter Arabes producunt. Arborem amplam, foliorúmque perenni vigore conſpicuam, juxta caput aquæductus, qui ad arcem urbis Cayri contendit, obſervavi: ſed cujus folia ramuli ſui lateribus, intervallis inſident æqualibus, numero ſcilicet utrinque paria, nullum relinquentia in extremo ἄζυγον foliolum, ſecus quàm hic ad-

adumbravit pictor. Fructus Tamarindi Acaciæ quidem ſiliqua brevior; craſſior tamen & latior, grataque medullæ aciditate inter alvum ſolventia medicamenta præcipuè deſideratus: quamvis ſegniùs opus expediat, quoties vel immaturior abripitur, vel temporis diuturnitate ſiccior aſſumitur.

Caput XI.

De Agiahalid.

Jam quadrageſimus & ſextus annus exactus erat, ex quo Proſper Alpinus Ægypto diſceſſerat, quum vicinos Conſulum Venetorum palatio hortos in Cayro urbe curioſiùs luſtrarem, nec arborem tamen Agiahalid oculis uſurpare licuit. Exciſam igitur fuiſſe ratus ſum, aut quod, ad metam ætatis provecta, obſoleti jam vigoris, atque ornatu foliorum penitus exuta, horrida ſpinis facies, amœnis in locis amplius non placeret. Aut incuria neglectuque cultorum, aliorſum actis, vel obſtructis alluentis Nili rivulis, ut ſæpè contingit, exareſceret. Adeò verè dulciloquus Senex, *τὴν ἐμφανεστάτην εἰς τὸ χεῖρον μεταβολίας αἰτίαν εἶναι τὴν ἀγεωργησίαν*; manifeſtiſſimam in pejus mutationis cauſam eſſe operæ neglectum, ſcripſit: idque in aliis, quas per hæc tempora in Ægypto deſideramus plantis, obtinere, certiſſimum eſt.

Caput XII.

De Vzeg.

In urbis Cayri hortis, ædibus Conſulum Venetorum propiùs adſitis, non arborem à Proſpero Alpino deſcriptam; ſed fruticem vidi, in quatuor aut quinque cubitorum longitudinem adultum, & latiùs implexa ramorum ſerie ſeſe ſpargentem. Eum horti præfectus Agiahalid nominabat, & in curanda lue Venerea utilem ejuſdem operam commendabat. Suſpicari ſubiit,

biit, an à proximè deſignata Agiahalid, hæc ſuboles ſuperſtes remanſerit: ab illo gigante hæc coactæ brevitatis pumilionum familia, progeniem datura vitioſiorem. Revera tamen eximia planta eſt, quam propoſitæ Vzeg figura, *ſpinis, fructu, floribus, radicumque flexu ſatis evidenter exprimit. Folia tamen circa ſpinarum baſin non quaterna tantum; ſed plura diſpari magnitudine conſurgunt. *Olivæ foliis minora*, magisque tenella: nec in acumen anguſtata; ſed buxeorum inſtar rotunda. Flores ut minuti; ſic numeroſi exiſtunt, non ventricoſi, ſed à contractiore tubulo ſenſim ampliati, amabilem in riſum hiulca labella diducunt. Sinum intimum *flavedine tingunt, purpureis* aliquot punctis receſſu *foliorum* inſcripti: reliquo corpore Hyacinthi ferruginem violis permiſcent, utroque tamen dapſili halitus gratiſſimi exſpiratu longè ſuaviores. An ſuccus ex hoc frutice paretur, quèm Lycium Indicum vetuſtiſſimi auctores nominarunt; ex notis plantæ faciliùs divinare licet; quam ex Ægyptiorum ſermone colligere. Sanè qui ex vicinis Arabiæ atque Æthiopiæ locis huc in utribus affertur condenſatus ſuccus, ſaltem ritè paratus ſit, Lycii Indici indolem minimè obſcuris ſignis exhibet. Eum venditores Coulan appellant: circa Libanum montem ab accolis Zaroa nuncupari, & à Pſalte Regio in ſacris Odis Hadhad, in itineris Orientalis deſcriptione Ravolfius prodidit, quamvis & Arabes nomen uſurparint. Cæterùm hodiernum Cate Indicum, quod Lycium veterum exiſtimabat Garzias, quamvis viribus æmulum; ortu tamen diverſum, nec, ut priſcum illud, compoſitione ſincerum eſt. Nam ex Hachic arboris contuſis decoctisque ramis (quorum folia Ericæ vel Tamariſci ſpeciem præſeferunt) tum pulvere ſeminum Machani, & alteriùs ignoti ligni ſcobe compoſitum, atque in paſtillorum formam redactum, variis in locis divendi ſcripſit.

CAPUT XIII.

De El hanne.

Plantam hanc, Arabum in Ægypto vulgus El hanne, Medici Al canna, nemo (quod ſciam) Tamarendi nominat. Non enim Indiarum fructus eſt, aut quicquam poſſidet, quo in comparationem cum Tamar Indo veniat. Fruticis potiùs vegetioris, quam arboris proceritate adultam in villis paſſim compertam habui, confuſa ramorum ſylva cultorum negligentia latiùs implicitam. Rectiùs eam ex Dioſcoride Proſper Alpinus deſcripſit, quàm icone pictor expreſſit, qui nec foliorum lineamenta, nec florum parvulorum denſam collectionem penicillo aſſecutus eſt. Olivæ foliis non abſimilia el hanne producere vidi. Breviuſcula pleraque, ſed latiora, & ſubgrato virore magis tenella. Nec ternis tantùm, quaternisve ordinibus tanquam alis, ſed pro virgularum longitudine, denis, duodenis, pluribusque ramorum latera ſtipant: ſic tamen, ut inferiora folia ampliora, ab his ſuccedentia deinceps ad extremum usque rami, paulatim minora conſpiciantur, μονοφύλλῳ circa apicem vix ullo ſuperſtite. *Flores El hanne* Sambucique ſuppares globi, mulierum potiſſimum deliciæ ſunt, caniſtrisque plebis in balinea deferuntur, in quibus illæ lymphatæ dicam, an lymphaticæ totos dies inguini, cuticulæque perpoliendæ operam ludunt, Decocto foliorum crines defluentes firmant, & ingratum pediculorum ſodalitium excludunt. Eodem illo unguibus hemicycli forma, *diutinè hærentem notam appingunt*, atque ut olim conſcripti patres lunulatis calceis ordinem ſuum; ſic *illæ lunulatis unguibus*, neſcio quod, elegantiæ ſpecimen profitentur, aurantii mali colore conſpectiores.

CAPUT XIV.

De Balſamo.

Arbores ſalubri ploratu lachrymas pretioſas eliquantes, magnitudine formaque diſpares, in *Peruvianis* ac *Mexicanis* oris dudum obſervarunt, qui ad occidentem ſolem poſitas Indias perluſtrarunt. Omnibus tamen, veluti nomen commodat, ſic eximia ſuavitate præſtantior eſt, qui ex *vulnerato Balſami* cortice promanat *liquor nobiliſſimus.* Verè *Pauſanias* τῶν μύρων ἐυοσμότατον, odore præ cæteris unguentis jucundiſſimum ſcripſit, & dentis viperinæ noxium virus benigno ſucco temperare. Neque, Hercules, nugamentum eſt, quamvis Biſciolæ ſic videatur) quod ſubjungit Pauſanias, Arabes olim viperis circa Balſamum hoſpitantibus, vim omnem, tanquam ſacris, abſtinuiſſe. Plures enim eorum non, ut Pſylli, proſerpentes haſce beſtias odiſſe; ſed deprehenſas intra ædium quoque conſepta, ceu genios loci, veneratos fuiſſe, victumque ſuppeditaſſe obſervavi; quantumvis minor hodiè ſuperſtitio, quam priſcis illis ſeculis animos occupet. Cæterùm *plantæ Balſami* natale ſolum rectè *Alpinus* Arabiam aſſerit, vel hoc nomine cæteris provinciis celebriorem, ex qua ramorum, fructuum, & odorati illius ſucci copia ſatis ampla in Ægyptum defertur. Theophraſtus ἄγελον ὀυδὲν εἶναι τὸν βάλσαμον ὀυδαμοῦ. Sylveſtrem nullum eſſe balſamum ullibi famà acceperat: revera tamen in Arabiæ collibus, quamvis alia cura nulla accedat, felicibus ſylvis progeniem ſubmittit. Qui in Palæſtina atque Ægypto plantam hanc meliore cultura dignatus fuerit, neminem cognovi. Ita juxta cum bonarum artium ſtudio, rerum optimarum cura hiſce locis obſolevit. Inciſio ramorum, ſingulari olim ſollicitudine peracta fuit, ut ex Plinio accipimus, cumque proliciendus eſſet fragrantiſſimus liquor, artifici temperamento librata manus hoc præcipuè cavit, nequid ultra corticem violaret; tanquam, ferro læſis ejus vitalibus, protinus Balſamum emoriretur. Tacitus quoque plantam hanc ferrum expaveſcere, ade-

adeoque teſtæ lapidisve fragmento corticem dividendum fuiſſe tradidit. Sed hæc de tenella plantâ atque in alieno ſolo languidiùs adulta, habenda ſunt: non item de indigena illâ, quæque valida jam ſtirpe terram patriam complexa eſt. Hanc enim ferrum non reformidare, nec durius in compeſcendis ramis fluentibus imperium, abundè mihi confirmarunt Arabes, qui horum faſces integros Cayrum deferunt. Atque huc reſpexiſſe videtur Theophraſtus, qui ὄνυξι σιδηροῖς, unguibus ferreis inciſionem caudicis factam prodidit; quem ſequitur qui de ſimplicium Medicamentorum facultatibus ſcripſit medendi Præceptor. Non tamen exiſtimandum eſt, quod Memphim ex Arabia lagenulis utribusque plenis advehitur Balſamum, quantumvis odoris ſuavitate gratùm admodum ſit, ſincerioris concretionis lachrymam eſſe. Minimum equidem ejus ex plaga corticis deſtillat: maxima pars ligni frondiumque decoctione conflatur. Neque ipſa tamen ſatis illibatæ Naturæ; ſed Terebinthinæ Cypriæ adulterio plerumque vitiata eſt.

Ad idem Caput.

Mahometis ſepulchrum, cujus meminit Proſper Alpinus, alii ſub fornice templi à magnete pendulum, alii fulmine ad inferos adactum vulgo perſuaſerunt, forſan odio magis religionis, quam ſtudio veritatis. Contrarium tradit hominum quotannis ex Medina in Ægyptum redeuntium conſtantiſſimus ſermo, & recepta cum expreſſo monumento templi totius accuratior ichnographia. Extructum id juxta cum ſoceri, generique ſepulchris, ſimplici, ſed pretioſo lapide. Triplici deinde quadrati ambitus ſepto munitum eſt, quorum quod proximè conditoria cingit, humilioris ſtructuræ. Adamantem internâ muri facie inſertum continet; quem omnium quos ſol videt, magnitudine ſpecieque nobiliſſimum prædicant: dignum Scythico Monarcha anathema, replicatuque radiorum à Sole conceptorum, veluti cæleſti fulgore jacentis Mahometis arcam perſtringere. Intermedium ſeptum, auro gemmisque ſplendidum velum exornat. Id Byzantini Imperatores ſolemniter Medi-

dinam tranſmittunt, cumque per urbem Cayrum publico ſpectaculo defertur, Ægypti prorex & proceres, tum myriades aliquot populi; extra portas venerabundi proſequuntur. Extra hæc ſepulcri conſepta Fatimæ, Mahometis filiæ, monumentum, ſacrorumque librorum aliquot thecæ viſuntur. Sed hæc παρέργως. Ad Arabes venio, de quibus hic Proſper Alpinus, ſuntque ingentis *illius deſerti incolæ*, *verè ferociſſimi atque* audaciſſimi *homines*, adeò ad facinora omnia *prompta manus*, animique robur inter ſæviſſima tormenta invictum, ſive Marſyæ inſtar vivis detrahatur pellis, ſive adactis per vitalia ſudibus, *lenta* fœdaque morte conficiantur. Equi *ipſorum habitudine pulchri*, *curſus* velocitate *vel Cyllaro pares*, inedia & ſitis, cum pleriſque tam ſqualidæ regionis animalibus, patientiſſimi. Vidi exacto noctis ac diei integro ſpacio, ſub fervido ſole laxiùs alligatos equos, unam alteramve aquæ unciam ad refectionem ſatis habuiſſe. Equites ipſi toris lacertorum valentes, ſimplici tunica, & rejecto circa humeros è ſolocibus filis panno amicti, ſagittis haſtiſque formidabiles ſunt. Quæris, quo fomite magni adeò ſpiritus incrementum ſumant? Semicoctus ſub arenis, & ſordidus panis, lac preſſum, anguriæ ſimiliumque fructuum arroſus cortex, conſueta magis ſtomachi fulcimenta ſunt. Potum Nilus exhibet, limo turbidiſſimus, aut é *ciſternis fontibusve* petita purior, & carior aqua. Exclames cum Zenone Romano, ſi hæc videas, Quantulum eſt, quod naturæ ſatis eſt! Quam non multa poſcit, quæ tam parvo dimittitur! Europæis nobis, haud ventris noſtri fames magno conſtat; ſed conſuetudo; ſed ambitio.

Serif princeps in expeditione, quam in Jamin ante ſeptennium Turcæ moliebantur, aſtu blanditiiſque circumventus, ab exercitus duce ſtrangulabatur, quod cum *rebellibus populis* ſenſiſſe traderetur. Ea res Arabum in Turcas odium vehementiùs concitabat, factùmque deinceps, ut non ſagittis; ſed ſclopetorum inopinato ſulmine rejecti a montium *aditu* milites, hærentem circa littus Erythræum Ducem ſuum, commeatu deficiente, ingloriosa manu obtruncarent.

Byſſum duplicem agnoverunt veteres, maritimam, & terre-

reſtrem; quam hic linis Indicis non inſcitè comparat Alpinus. Singularis enim harum mollities eſt, & ſubtilitas, qualis vix aliis major. Xylina tamen pleraque obſervavi, priſcis Romanis ſatis cognita, nec inter Indos tantùm; ſed Arabes etiam felicioris provinciæ, atque Ægyptios elaborata, cùm graviori jugo nondum premerentur, tam eximio ferè candore, & tenuitate perſpicua, ut ventum textilem, nebulamve lineam oculis uſurpaſſe tibi videaris. Attamen antiqui Byſſum asbeſtino lino, ex quo funebres Regum tunicas texebant, æſtimatione ac raritate proximam conſtituebant; auroque non minus fulvi coloris nitore, quam pretio par fuit. Ex arboribus illam apud Indos legi Philoſtratus & Apollonius tradiderunt, qui nec à ſerico ſatis diſtinxiſſe videntur. Inter lina ſanè Byſſum recenſuit Plinius, eamque juxta cum Pauſania, circa Elin in Achaja genitam, monumentis ſuis prodidit. An etiamnum reperiatar iisdem locis, compertum non habeo. Lipſius noſter, Muſarum ocellus, in Comm. ad Tacitum, per hæc ſecula perditis annumerat.

Ad idem Caput.

Balſami ſuccus, ut craſſitudine; ſic viribus quoque plurimùm differt: igneis aëriisque partibus cum ſuaviſſimo halitu ſenſim faceſſentibus. Quum ſenilem ſpiſſitudinem nondum contraxit, per os exhibitus, viſceribus putredinem & corruptionis labem emaculat: adeoque jecore ac potiſſimùm renibus fœdo abſceſſu laborantibus, inter præſtantiora auxilia præcipuam operam contuliſſe, dudum experimentis innotuit. Profecit itidem in pulmonibus, quos ulcera infeſtant, ſive in bolos redactus deglutiretur, ſive linctu crebro aſperæ arteriæ inſinuaretur, admixtis, cum id febrilis ardor expoſceret, quæ calorem ſucci contemperant. Vulnera omnia quàm citiſſimè conſolidat Opobalſamum; ſed hactenus, ut ſimplicia ſint, & quorum oræ invicem adduci poſſint: quæ enim ſecus habent, quæ cava, contuſaque ſunt, oſſium item ac nervorum noxis implici-

ta, tardiùs ſaneſcere certum eſt. Ubique tamen quâ putredinem abarcendo, quâ colorem inſitum refocillando, τῆς φύσεως ἐνεργούσης Naturæ adminiculantis conatus ſtrenué promovet An condiendis defunctorum corporibus adhibitæ olim fuerint ſuaviſſimæ Balſami lachrymæ, Judæorum magis vulgique ſermone percrebuit, quam vetuſtiorum auctorum ſcriptis. Quid Ægyptii fecerint, & quidem cùm diligentiſſimè condirent, accuratè ab Herodoto traditum eſt, qui σμύρνης ἀκηράτου, κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων περιτετριμμένων πλὴν λιβανωτοῦ, myrrha pura, caſia, aliiſque contritis odoribus, excepto thure, interanea repleviſſe ſcripſit. Cum ſumptuum compendio ſtudebant, cedri tantùm ſucco infuſo, & quæ per nitrum facta ſalitione, corpora ævis incorrupta ſervabant. Subſequentibus tamen ſeculis, in externà regiorum cadaverum κομμώσει, cum aliis aromatis balſami quoque fragrantiam placuiſſe, conſtat ex Corippi Aphricani verſibus, de Juſtino principe funus patrium curante.

Thura Sabæa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

C a a u t. XV.

De Calaf.

Inter exoticas Salices, floris tum ſuavitate, tum eximiis viribus præpollet hæc, quam Calèb & Calaf vulgus Ægyptium appellat. Folia longitudine indicem digitum, latitudine verò eundem etiam geminatum adæquant, cùm adulta jam ætate planta robur ſuum collegit. Inter Syros, vicinoſque alios populos anguſtioribus foliis contracta planta conſpicitur. Eam tamen nulla inſidet lanugo: nec à medio nervo productæ fibræ ambitum foliorum diviſuris interſtinguunt. Ad foliorum exortus folliculi emergunt ſinguli, rubro leviter colorati, Cordiſque diaſtole ſeſe ſtringentis figuram exprimunt; unde & nominis

nis & virtutum ratio primitùs deducta videtur. Calèb enim ſive Calub Arabibus Cor denotat. Dehiſcens tandem folliculus floreum dicam, an laneum partum, excludit, interfuſâ candori flavedine pictum, quem in rectum exiens incluſus ſemineus ſcapus fulcit. Aqua per variolas deturpatis infantulis cum Bezoar aliquot granis utiliſſimè exhibetur.

Caput XVI.

De Bon.

In viridariis Ægypti, quæ quidem accedere licuit, arborem hanc non ampliùs conſpexi. Fructu equidem ipſo nihil in vulgus receptius, qui ex Jamin ſeu Arabia feliciore delatus, inter publicas merces certo fœnore quàm plurimos ditat, eumque Buncho Avicennæ arbitrantur. Potus ex hujus decoctione paratus, aliquot mille tabernis in urbe Memphi divenditur, quem adhuc calentem ingens hominum multitudo pitiſſando ſorbillat, ſive otii ſui oblectamentum, ſive bonæ valetudini firmamentum quærat: præcipuè quum cor, aut ventriculum languor occupat,

— — *Stomachoque tumultum*
Lenta parit pituita.

Nec deſunt qui ſaccharo potionis amaritudinem diluant, nucleumque fructus integrum ſaccharo incruſtatum, inter bellaria ſua debellent. Neque id in Ægypto tantùm, ſed finitimis etiam vaſti illius imperii provinciis uſu frequentiſſimum exiſtit: quæ res, & pretii magnitudinem inducit, & inter Europæos utiliſſimi alioquin medicamenti raritatem efficit. Qualitatum, quas manifeſtas vocant, harmonia in hoc fructu diſpar eſt. Cortex enim frigidi particeps, cum exſuperante tamen ſiccitate; nucleus verò moderatè calidus. Ille levi quadam aciditate; hic evidenti amaritudine linguæ ſenſum haud inclementer afficit. Itaque nec ſtomacho nauſeam infert, quantumvis largiùs decoctum hauriatur, nec intenſiore caloris gradu eidem infeſtum eſt; ſaltem modicè torrefiat, atque in marmore piſtil-

ſtillo ligneo contuſum ſit. Corticis decoctum inter æſtivos ardores rectiùs febricitantibus exhibetur: rurſumque cùm frigidi & craſſi ſucci, viſcera communeſque corporis ductus noxio infarctu impediunt, alterum e toſto contuſoque nucleo præferendum eſt: haud neglecto tamen utriusque, cùm id uſus exigit, temperamento.

CAPUT XVII.

De Bahobàb.

Fructum hunc Cedromelum quiſpiam Æthiopicum dixerit, aliquo ſanè cum diſcrimine partium; nullo tamen aut perexiguo Virtutis. Cortice velatur denſo pariter ac firmo, qui coloris fuſcedine patrii ſoli ſqualorem non obſcuris indiciis patefacit. Circa pedium, cui ſubnixus, in rugas aliquot complicatur, ſenſim tamen in Cucurbitæ lævorem plus aut minùs explanatur. Altero extremorum, vel leve quoddam faſtigium profert, vel obliterato angulo in rotundum magis ſe componit. Diſſectus per medium, ut in Ægypto venditur, ſiccior jam fructus, plexum exhibet, per latera & in longitudinem diductis fibris expanſum. In eo oſſicula diſpàri magnitudine plurima locantur, coactâ preſſulaque rotunditate, hinc gibbis prominula, indè ſinubus excavata. His effractis ſemen excluditur, fuſco nigrore ſplendidum, cujus albicans pulpa non inſuavi ſapore guſtum afficit. Plexum Bahobab, atque inſertum plexui ſemen, copioſa ſtipat materies, levi rubedine colorata, quæ facilè digitorum attritu, fructuque concuſſo in pulverem diſſipatur, quoties aqueum humorem incluſus calor dudum reſolvit. Nec diverſi generis, fructum exiſtimo, Abovo dictum, quem Cluſio ſuo doctiſſimus Bellus deſcripſit; quamvis Proſper Alpinus Bahobab utrinque acuminatum exprimat, & pollinis aciditati Lemnii ſigilli ſtypticitatem tribuat. Jam enim dudum obſervarunt rerum naturæ ſtudioſiſſimi viri, ex ejusdem Bahobab ſeminibus propagatam ſobolem, & foliorum diſſimilitudine luſiſſe, & ſaporem quoque (ut de Citriis no-

tum

tum eſt) diverſitatem exhibuiſſe.

Caput XVIII.

De Goſſipio.

Xylum tam fruticis *humilitate*, quam arboris inſigni proceritate, ad aquæductum urbis Cayri conſpexi, Nec dubium mihi ullum, ex arboribus eam eſſe, quas ἐριοφόρους, laniferas Theophraſtus appellavit, foliiſque viti ſimiles ſcripſit. Plinius ſuperiore *Ægypti* parte, & in Arabiam vergente, fruticem gigni tradidit: diſertiùs Theophraſtus in Tylo Arabici ſinus inſula arborem frequentiùs aſſurgere, nec Arabibus ſolùm, ſed Indis quoque communem retulit. Folia ramulis inſident violaceo tinctis, quæ perfectiùs adulta, quinque veluti laciniis profundiùs diviſa reperiuntur; è quibus cum inferiores duæ, tum ſuperior & longior exiguo folii additamento auctiores habentur. Florem illum diluta flavedine pallidum, & circum oras, umbilicique ſinum eleganti rubore purpuraſcentem (qualis in vulgatiore Xylo notatur) in hoc vaſtiore Goſſipio videre non contigit; ſed glomum tantum laneum pomi magnitudine, intra vireſcentem membranam collectum; quâ denticulatis veluti ſegmentis hiſcente, Gallica nive candidior fœtus in auras eluctatur. Is interiore bombyce maturior, ſemina continet fuſco colore umbroſa: non uvarum congeſtu invicem contigua; ſed intervallis ſuis nonnihil dirempta. Ex lanis ingens illa pannorum multitudo elaboratur, atque ut Theophraſtus loquitur, σινδόνας ὑφαίνουσι τὰς μὲν εὐτελεῖς τὰς δὲ πολυτελεστάτας, ſindones texunt alias viliores, alias pretioſiſſimas. Ex his veſtes illæ ſacerdotibus olim Ægypti gratiſſimæ parabantur.

CAPUT XIX.

De Sambac.

Præter Myrtos vix habebant priſci illi Botanophili, quod odorati ſpiritus ſuavitate, inter Ægyptiæ Floræ delicias commendarent. Et τὴν μυῤῥίνην μὲν τῇ εὐοσμίᾳ θαυμαστὴν τὰ δ᾽ ἄλλα ἄοσμα ἢ ἀνάνθη. Myrtum quidem fragrantiâ mirabilem; alia verò omnia, cùm odoris, tum floris expertia, ſcribere auſus fuit a divina loquentia *nominatiſſimus ſenex*. Per hæc tempora, quam Europæis opponat Ægyptus, vix delinificâ halitus gratia nobiliorem plantam hoc ipſo Gelſimino poſſidet. Et vulgatioris quidem Jaſmini late diffuſo virgarum plexu, paſſim in hortis ſylvæ conſpiciuntur: non item excellentioris hujus; & majore cultu digniſſimi. Adoleſcit autem ſtipite robuſta, atque adverſus fortuitorum impetum firmiſſimâ, quæ ternis quaternisque cubitis in altum porrigitur. Rami flexus omnes facili obſequio admittunt, florem exhibentes lacteo candore nitidum, qui Catalonici jasmini, aureique mali floream ſuavitatem miſturâ jucundiſſima confertim naribus ingerit. Proſper Alpinus ſimplicem in flore foliorum ordinem exprimit: ego duplicem ſæpiùs agnovi; nec octo, ſed decem aut duodecim folia, roſeâ ſerie, breviore tubulo digeſta. Theophraſtum verò Ægyptiæ Floræ acerbiùs inſultantem, quid excuſet? quum provincia illa tota odoratiſſimis hortis, nihil vel Tantalo vel Heſperidibus invideat. Scio elegantiſſimum ſenem ad pumila quædam & molliora florum agmina reſpexiſſe, atque ut ipſus ſcripſit, ὑγρότερα τὴν φύσιν ὄντα; non ad ea quæ ſicciora, & quorum parentes lignea firmitudine compactiores, altioresque ſtaturâ deprehenduntur.

Caput XX.

De Lablab.

Phaſeolum hunc reptili ſublimitatis aviditate, cum ab utroque latere ædium noſtrarum ad cacumina evaſiſſet, feneſtrarumque cancellis non ingrata umbracula prætexiſſet, repentè exaruiſſe memini. Folia obſcuriùs vireſcentia ramulis inſident, ad nigrum tendente purpurâ coloratis. Nec diſſimilis florum *tinctura*, qui copioſi, ac ſpiceo veluti congeſtu, non circa ſummum tantùm caudicem; ſed ſparſim juxta foliorum exortus virgulâ ſuâ prodeunt. Alibi candido colore lacteſcente naſcuntur, cætera vix ab aliis phaſeolis ſpecie mutantes. Semina in ſiliquis rectè notavit Proſper Alpinus, alia nigricantia, ſubrubra alia; ſed maculis ferè nigris infuſcata, hiliſque candentibus inſigniuntur. Obſervavi frequenter à plebe in luſu uſurpata, & projectis ad proximum parietem aſſulis, è ſcrobibus alternatim fuiſſe promota: quemadmodum in alveo ad teſſeræ jactum orbiculi tranſponuntur. Laab autem apud Arabes luſum innuit, adeoque nominis ex eo derivatio non improbabilis.

Caput XXI.

De Abrus.

Ex Arabia Felici in Ægyptum delata hæc corallini ruboris piſa, rectiùs in puellarum cultum; quàm corporis alimentum cedunt. Ea cum Proſpero Alpino Phaſeolis omninò ſimilia ſcriberem, niſi tum exiguus ſupra Crobi craſſitiem habitus, & coactior in ovalem ambitum rotunditas diſcrimen aliquod inveniret. Tota verò coccineo colore decora non vidi; ſed quâ parte folliculo nectuntur, ſplendido atrore maculata. Folia virgulis ſuis æquatis inſident ordinibus, maximè quæ jam per-

perfectiùs adulta ſunt, omniaque cœleſtis caloris promum condum mirà converſione proſequuntur. Equidem ut noctu mediâ terram; ſic in meridie culminante ſole ἱερανόσκοποι, ſublatis alarum extremis cœlum ſpectant. Magno equidem argumento, perfectiora eſſe, quæ ſuperiora: nec hominem ipſum ἄνθρωπον eſſe, niſi, cùm ἀνάῤῥοπος & ſupra humana ſeſe erexerit, res alioquin (*ut Seneca confitetur*) *contemptiſſima*. Cæterùm *cauſas illius converſionis foliorum* dudum *propoſuit ſapiens* Ereſius, & nocturnæ quidem foliorum converſionis, ξυνίον, ἢ οἷον πηγνυμένον τὸ ὑγρὸν, coactum, & veluti concretum (à frigido) humidum: quo rurſum a calore *digeſto atque expanſo*, paulatim dilatatio ſuccedit. *Diurnam autem foliorum inclinationem*, in ἀφαίρεσιν τοῦ ὑγροῦ, humoris detractionem refert. Eodem enim, inquit, convertuntur, quo humor radiante Sole provocatur.

Caput XXII.

De Mauz.

Mauzam hanc in pluribus Indiarum provinciis ſuaviter hoſpitari, ſatis recentiorum navigationibus detectum eſt. Quòd Palæ arboris nomine antiquitùs quoque cognita fuerit, cujus fructum Arienam appellari, plurimumque in Sydracis produci ſcripſit Plinius, facilè juxta cum Cluſio perſuadeor: haud ignarus, regionum diverſitatem, in ejuſdem generis arboribus, cum fructus ſapore, tum foliorum lineamentis inſignem parere diverſitatem. Folia tenella ſtatim in longum & excelſum emicant, cannarumque Indicarum more priùs convoluta, paulatim deinceps explicata ſolem admittunt. Eorum haud ſylvoſa multitudo eſt; gratiſſimus tamen viror. Latitudine communiter cubitum geometricum non ſuperant: longitudine vel quater excedunt, adeòque ſingula in aprico quieſcentium toti corpori tam umbram ſufficere; quam adverſus inſectorum moleſtias operimentum præbere queunt. Nervo in longitudinem excurrente ſatis robuſto ſuſtinentur, â latere tamen ventorum affla-

afflatu concuſſa facilè ſcinduntur. Florem obſervavi Lilionarciſſo majorem; ſed globoſum, & Meleagridis inſtar extrema foliorum ſubſtringentem coloreque ferrugineum. Hujus oſculo commodùm aperto, ſeminalem ſalivam depluere, vulgo quidem perſuaſum eſt: abundè tamen compertum habeo ex iis quas domeſticus hortulus alebat Muſis, etiamſi nondum ad florem perveniſſent, actis in tranſverſum radicibus ſobolem pullulaſſe. Fructui recenti non ea ſaporis gratia eſt, ut citra Laconicum exercitium, aut condimentum Socraticum Europæis valdè placeat: corticem tamen, qua parte pulpæ conjungitur, florea *Gelſimini* fragrantia commendat.

Caput. XXIII.

De Sesban.

Sesban plurimis in villis præterfluentis Nili ripas amœnâ viriditate prætexens, ex Memphi urbe Heracleam proficiſcentibus ſæpiùs conſpicitur. Rami diluto virore nonnihil ruſeſcentes, aſperitudine quadam ad contactum inæquales. In iis folia virgarum latera pari ferè numero ſtipantia, ſi maturior planta fuerit. Vidi truncum ipſum fruticis, raris brevibusque ſpinis aculeatum. Siliquæ ſeminibus incluſis prægnantes, pro illorum numero, exſtinctis veluti locellis coarctatæ ſunt.

Caput XXIV.

De Sofera.

Figuram hujus plantæ duplici nomine vitioſam aliqui arbitrantur, quòd non ſervatâ foliorum æquali ſerie, impar unum ſingulis ramorum apicibus folium inſerat, quodque ſeminum gerulas ſiliquas, nòn ſurrectas; ſed pronâ gravitate pendulas exprimat, eaque princeps inter Botanicos Honorius Bel-

lus notavit. Sed utriusque culpæ facilè & fidenter Proſperum *Alpinum* purgo. Quamvis enim frequentiùs paria ſint foliorum agmina; interdum tamen adjectum extremæ virgulæ privum folium: imò in eadem planta & parem foliorum ordinem, & imparem obſervavi. Ut habeas ſæpiùs ubi cum Marone canas,

amant alterna Camœnæ:

Sed & ubi ἀπειβχῖον hoc ſuccinas:

numero Deus impare gaudet.

Siliquæ cœlum ſanè ſpectant. At nec hoc perpetuum eſt, cum cœleſtis caloris inæqualis *diſpenſatio*, *humiditatumque* modò copia, modò *inopia*, poſitum illarum permutet. Planta binos in altitudinem cubitos adæquat, & non raro ſuperat; ſiquidem ſolem, ſolumque conveniens nacta ſit. Camerarius, Noribergæ ſuæ decus, Sopheram circa ramorum exortus rubentibus verruculis ſpectabilem in hortis aluit.

Caput XXV.

De Beid el Sſar.

Beid el Sſar peritioribus Arabum Medicis Oſſar ſimpliciter, & El Uſar dictum, fœcundis quaquaverſum radicibus actis numeroſâ ſobole terram hoſpitam occupans, plurimis jam Europæ locis ſatis vulgata planta eſt. Ejus hîc accuratiorem effigiem, cum fructu, qualem in temperatiore producit climate, ſubjungere placuit, Folia vides, ſtabili conjugio ex intervallis conſociata, atque à latiore baſi, in longum gracileſcente cono rotundata. Firma quidem illa ſunt, ad Aloës tamen craſſitudinem minimè deducta. Nec à tenerâ ſolum adoleſcentiâ ſenili canitie, & inſperſis veluti pruinis cum virore albicant; ſed etiam caule, ramis, nervuliſque cunctis, acre & amarum lac ubertim effundunt: quod concreſcens locis calidioribus, non ſaporis; ſed candoris quadam ſimilitudine Mann, & Saccar el Uſar appellatum fuit. Flores circa ſummos ramos glomeratim, non ſparſim producuntur, ſenſimque porrectis

BEID EL SSAR.



TA. LI.

columellis umbellæ ſpecie panduntur : quantumvis languente collo cernui terram reſpiciant. In his externa foliorum ſeries obſoletiusque colorata, verſus calycem reflectitur; reliquæ deinde rectiores, crocum ſuum vegetiori purpuræ miſcent, eductiſque ſinu roſeo ſtaminibus apices minutos appendunt. Omnes apum deliciæ ſunt, & odorantibus liberaliter inhalant, illa, ut cum Poeta loquar

aërei mellis cœleſtia dona.

Fructus rectiùs Beid el Oſſar, non tam ovum quàm teſtis Oſſar dicitur. Equidem fervidiore ſole maturatus amplior evadit, & cum ſocio ſuo camelorum teſtes pendulâ didymorum figurâ ſatis concinnè refert. Subtexta ſeminibus lanugo celeriter ignem rapit, ſericeæ mollitudinis. Externa fructus membrana, villis, & rariore veluti pube reſperſa videtur, quam El Scerà, & Sceràr Arabes nuncupant.

Caput XXVI.

De Achaovan abiat.

Non Agypti indigena; ſed reliquis mediterranei maris littoribus cognita eſt hæc, cinereo tomento nobilis planta, totoque in leviſſimos pappos abeunte florum auro, vanitatis humanæ lepidum, & verum ſimulacrum exiſtit. Proxima quidem flore Senecioni; major tamen, & in Ægypto fruticosâ potiſſimum altitudine conſpectior. Ramulis brachiata pluribus, ſatiſque firmis. Folia pariter ampliora, & profundioribus ſinuata diviſuris, vulgarem Artemiſiam, quâ craſſitudine, quâ viriditate ſuperant, cinere quoque ſuo cum reliquis partibus exalbida. Quâ naribus placeat, non ſpirat halitus ſuavioris auram ullam,

CAPUT XXVII.

De Bammia.

Bamnia obſitos paſſim agros circa Memphim urbem ſpectare licet. Adeò frequens ejus in cibis uſus eſt. Planta quaternis quiniſque cubitis erecta. Malvæ quidem cùm folia, tum flores æmulatur, ab utriſque tamen aliquo diſcrimine ſejuncta. Nam folia non ſylveſtris malvæ parvitatem, aut mollitiem præ ſe ferunt; ſed ad contactum aſpera, *nonnihilque villoſa*, tum longulè excurrente petiolo ſubnixa. Cucurbitini folii magnitudinem propemodum aſſequuntur. Flos amplior eſt quàm ſylveſtris malvæ, quinque foliorum conſeſſu productus, aureumque pallorem umbilici purpura diſtinguit. Fructus Cucumeri ſylveſtri non abſimilis, radiato inſidet calyci. Alibi decagonus; hic per quina tantùm latera obtuſiùs acuminatus eſt. Eum cum incluſis ſeminibus adhuc viridem juſculis incoquere vulgus conſuevit.

CAPUT XXVIII.

De Melochia.

Tantà Ægypto ciborum ex herbis abundantia eſt, ut frugibus, quarum fertiliſſima tellus, propè ſola carere poſſit. Inter vulgatiores herbas, & ſponte ſuâ naſcentes Corchorum quoque recenſet Plinius, non illum, cui Anagallidis nomen, ſed alterum, quem Alexandrinorum cibum, & præcordiis utilem refert. Hunc recentiores aliquot Botanographi Melochiam faciunt. Sed faciunt; non perficiunt. Antiquiores enim Corchorum Ocimo, vel convolutis foliis moro ſimilem tradunt; quorum non niſi languidè quicquam in Melochiam convenit. Præterea Corchoro ſaporis inſuavitas inſignis fuit, ut etiam Theophraſtus τὸν κόρχορον διὰ πικρότητα παροιμιάζεσθαι, Corchorum ob amaritudinem in proverbium abire ſcripſerit. Quam no-

p. 189.

ZATARHENDI *Origanum Indicum*.



TA. LII.

notam ab hoc Ægyptiorum olere ſeriò teſtor abeſſe; quos ne braſſicam quidem ob amaritudinem comediſſe, ſatis ex Plinio notum eſt. Cæterùm planta hæc ad cubiti altitudinem increſcit, caule tenuibus rariſque flagellis obſita. Folia circa laterum exortus corniculato quodam additamento recurvata ſunt, quorum extrema in purpureum cincinniſque contortum filamentum attenuantur. Fructus verè Ceratoides, ſubluteis ſtriis lineiſque diſtinctus eſt. Ferculum ex decocta Melochia paratum omninò plebeum ſapit, viſcidum, guſtui fatuum, niſi à multo (ut ſolet) limonum ſucco condimentum accedat.

CAPUT XXIX.

De Zatar hendi.

Zatarendi vel potiùs Zatar Hendi, Origanum Indicum apud Arabes denotat, non minùs odoram ob ſuavitatem, quàm virium præſtantiam cum Ægyptiis tum Syris plurimùm expetitum. Effigiem ejus genuinam Alpinianæ huic ſubjungere libet, ex horto Illuſtriſſimi Nicolai Contareni deprompta: quem virum ſi Reipublicæ Venetæ decus, ordinis ampliſſimi ſplendorem, generoſi ſtemmatis ornamentum, & exemplar priſcæ Virtutis dixerim, nihil incomparabili ejuſdem humanitati, perexiguum memoriæ poſteritatis, omnia veritati amorique largiturus ſum. Adoleſcit hæc eximia planta magnitudine pedali, caulibus rectis ſatiſque firmis: cujus folia Amaraci habitudine tenella, molliqùe veluti lanugine reſperſa tactui blandiuntur. Rotunda quidem illa ſunt, in conum tamèn leviter coarctata, & excurrentibus in longitudinem fibris cum virore pallidula. Floſculos producit quamplurimos, niveo candore lacteſcentes, qui per extrema caulium, inter numeroſa foliorum capitula prominuli, onitidis Origani umbellam glomerato ambitu propemodum expandunt. Jam Satar hendi hoc, linguam guſtantium aromaticâ nec injucundâ acrimoniâ perſtringens, Creticum Origanum odoris vehementiâ ſuperat. In ſonticis capitis affectibus, cum ſenſuum motuſque voluntarii nobiles

 fun-

functiones improbâ mucedine vel imminuuntur, vel penitùs obruuntur, eximiè opitulatur. Stomachi vigorem excitat, ſolutiſque tetro veneno vitæ præſidiis, gratum & efficax auxilium affert.

CAPUT XXX.

De Felſel tavil.

Felſel hoc tavil, ſive piper longum, à nonnullis *Ægyptiorum* Felſel rumi, id eſt, piper Romanum *appellari*, *miratus* utique priùs fui, quàm certior factus ſum, eos non à natali plantæ ſolo nominis rationem ducere; ſed quia commeantibus huc Græcis, temperamenti frigidioris hominibus, vel ut condimentum in cibis, vel ut medicamentum in morbis præcipuè placeat, quos illi Romanos adhuc nuncupant. Eſt autem in maritimis Africæ locis planta ſatis frequens, ad binos ternosve cubitos altitudine producta: cujus effigiem, ut in fictili obviam habui, cùm ex Ægypto in Italiam contenderem, lubens exhibeo. Naſcitur caulibus numeroſis rotundis, juncea ſanè ſpecie; non eâ tenuitate quâ pictor eam expreſſit, ſed craſſitie ferè digitali. Cùm nonnihil increvit, promiſſis è caulibus ramis ſylvoſior pariter atque elegantior evadit. Iis inciſis liquor emanat albidus, urenti piperis aut flammulæ acrimoniâ guſtantis linguam impenſiùs vexans. Folia promit, cùm temperatior anni conſtitutio, tenella, rara, vix menſtruam ætatem ferentia. Diceres cum Iliadis conditore,

Ζεφυρίη πνείουσα, τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει,

Imò ea res effecit, ut planta hæc à peritiſſimo Imperato, cùm ob ſucci conditionem inter Tithymalos referatur, tum ob foliorum tenuem rarumque proventum ἄφυλλος nominetur: quamvis non deſint qui eàm Xabrám aut Camarronum Rhaſis arbitrentur. Jam florem fructusque preſtolabar, cùm diutiùs in mari ſævientis hyemis injuriis victa planta ſuccubuit. Flores alias in ſummis caulibus albicantes producit, exſerto capitato tubulo inſignes, quibus dilapſis, incluſa membranoſo folli-

FELFEL TAVIL,
Piper longum Ægyptium.



TA. LIII.

liculo ſemina ſuperſunt. Caules ipſos jam arefactos, cùm opipare victurum, ferculis condiendis, Maurorum vulgus, adhibere conſuevit.

Caput XXXI.

De Abſus.

Exigua hæc, ſed elegans planta, non eodem floſculorum decore prodit: quos & nivei producit candoris, & dilutiore flavedine lacteſcentes. Nec circa ſummum tantùm caulem; ſed etiam inter foliorum exortum diſpoſitos. Semen atro colore ſplendidum parvis includit ſiliquis cicerum æmulis, & caulem ſuum raris brevibusque ſpinulis innocenter obarmat.

Caput XXXII.

De Seſamo.

E cerealibus quoque veterum celebre potiſſimùm Seſamum, & Ægyptiis tum in cibo, tum in medicamentis uſitatiſſimum eſt, quod cum reliquis frugibus, poſtquam arentes campos ſcatebris ſuis temperavit Nilus, celeri proventu ſurgens, ſiliquâ minimè fallaci cultorem ſuum locupletat. Folia caulem inferiùs circumdantia latiora ſunt, & profundioribus inciſuris ſerrata, ſuperiora vero integris oris anguſtiùs patentia. Florem educat magnitudine eximium, cujus folia reflexis labellis intus albida, exteriùs violæ colorem induta, tenuique reſperſa lanugine vigorem ætatulæ ſuæ produnt. Siliqua non quaternis tantùm, ſed quinis etiam ſenisque lateribus anguloſa, ſtellatum occupans calycem, oblongum illud, pingue, flaveſcensque ſemen incluſum cuſtodit. Cæterùm Seſamum, inquit Theophraſtus, veluti Eriſymum, οὐδὲν ἅπτεσθαι δοκεῖ ζῶον, nullum videtur animal tangere, ob tetram ſaporis amaritudinem. Sed hæc

hæc de vireſcente ſcripſit Seſamo nobiliſſimus ſenex: non item eâ, quæ cœleſtis caloris operâ maturitatem ſuam adepta fuit. Oleum ſeminibus expulſum, κατ' ἐξοχὴν Zeid taib, id eſt, oleum bonum Arabes nuncupant.

Caput XXXIII.

De Culcàs.

Colocaſiâ, quam Colcàs nominant Arabes, ut nihil apud Ægyptios notius, ita nihil inter Europæos βοτανοφιλοῦντας controverſiarum veluti ſenticeto aſperiùs obſeptum. Horum alii plantam hanc veterum Ægyptiorum fabam eſſe contendunt, cujus radicem Dioſcorides, Athenæus, Pliniusque, clariſſimi ſcriptores, Colocaſiam olim appellatam prodiderunt. Atque huic rei argumentum adſtruunt, foliorum in Ægyptia faba amplitudinem, quam Petaſo Dioſcorides, Plinius Perſonatæ foliis æquiparavit, Radicum item craſſitiem harundinaceis majorem, quam antiquitùs, ut hodierni Colcas radicem, καὶ ὠμὴν, καὶ ἑφθὴν, καὶ ὀπτὴν, & crudam, & elixam, & aſſam, incolæ comederunt. Similes adeo facultatum temperamento, ſimiles in paludoſis Agypti locis proventu ſunt. Alii Colcas hodiernum Ari ſpeciem conſtituunt, non promiſcuè quidem, ſed illius, quod folia Theophraſtus cava & cum latitudine Cucumeracea obtinere ſcripſit. Quod Plinius inter bulbi genera retulit, Scyllæ proximum, foliis lapathi amplitudine, cujus radicem ob mollitiem Naturæ vel crudam comedi teſtatus eſt. Et deſunt Hercules Colcas illi hodierno tot notæ, quas conſtanter veteres fabæ Ægyptiæ tribuerunt. Nimirum arundinea, aſpera, & ut Theophraſtus loquitur, ἐπακανθίζουσα, Spinis ſubhorrida radix. Flos quàm papaveris amplior, & roſeo colore ſaturatus, Caulis quaternis in longitudinem cubitis productus. Cum in hujus apice triginta veluti loculamenta in orbem diſpoſita veſparum orbiculari favo non diſſimilia, quæ prominentes leviter fabas complexa ſunt. At deceptos in his omnibus notis veteres fuiſſe non facilè mihi imponant recentiores.

p. 193.

COLOCASSIA Ægyptia florida.



TA. LIV.

tiores. Scio fæcem ſuam habere ſeculum illud priſcum; ſed & hoc noſtrum obtinere ſuam ſpumam. Non vidi toto quod in Ægypto exegi quinquennio, vel Florem, vel fructum, qui veterum Colocaſiam referret: ecquid propterea negem ullibi gentium reperiri? Paucis in villis juxta Memphin, Heracleam, Peluſium, Alexandriam, conſpectæ ſunt à Proſpero Alpino, & à me, quas hic exhibemus, ex Ægypto plantæ. Hodiernum quidem Agyptiorum Colcas, Arorum generi lubentiùs adſcripſerim, ſive plurium radicum concretione μακρόρριζον, & ampliatum; ſive ſimplicius ſit, & bulbacea rotunditate στρογγυλόρριζον appareat: potiſſimùm bulbaceum hoc, quod radice, folliculo, fructu Aro montano, foliorum item immaculato virore, Aro vulgari par eſt. Nec facultatum ulla hic contrarietas: languidior tantùm Ægyptio Colcas acrimonia, quam & montaneum illud Arum coctione deponet univerſam; nec tamen hoc qualitatem leve deliquium ſpecierum diverſitatem parit.

Ad Cap. 33. De Culcas florido.

Ægyptiis Colocaſiis hanc quoque ſubjungamus, quæ inopinato partu in Proſperi noſtri Alpini horto fæcunda, bulbaceo ventre prætumida, eximium cultorem ſobole rarâ, ſed caducâ pluſculum exhilaravit. Mirabantur illi Floræ candidati è ſterili nympha progerminantem caulem, aſparagi habitudine, teretem & in rectum emicantem, læto virore foliis circumpoſitis ſupparem. Apice in folliculum dilatabatur, à laxiore fundo ſenſim adſtrictum; qui bidui ſpatio in longum dehiſcens, inexpectatum curioſis oculis fructum expoſuit, non tam vulgaris Ari piſtillum, penicillumve, quam Ari Ægyptii minoris thyrſum, aut Ariſari progeniem caudato imitamento exprimentem. Longitudine digitum minorem vixdum excedebat, craſſitudine macropiperis modum acquirebat, candido pigmento decorus, & ſeminulis undique veluti rudimentis obſitus fuit. Cæterùm ut repentinus fuit exortus, ſic abortus. Jam enim triduum inter ſpectantium plauſus exegerat, quando lethali correptus marcore cum indumento ſuo periit, nihil cultori præ-


 ter

ter acre ſui deſiderium relicturus. Viſus & Neapoli, & Piſis hoſpes hic rariſſimus: ſed oſtendit ſe tantum terris, nec ultro eſſe potis. Cauſas, cur in Ægypto nec florem nec fructum det hæc velut iratâ Lucinâ producta planta, diligenter in Exoticis diſputat Proſper Alpinus; quem operæ eſt adire ipſum, ne aliena ſcrinia compilaſſe videar.

Ad idem Cap. De Culcas.

Arum hoc Ægyptium exiguum, & temperamenti harmonia, & partium omnium conformatione præcedenti Colocaſiæ cognatum, quidni huc inſeramus? quod in hortulo integerrimi viri Coſmi Nerii Venetorum Pharmacopæi cultum, ſæpiùs in urbe Cayro inſpexi. Radice fundatur bulbaceâ, nucis Ponticæ mediocris amplitudine, quæ fibris tenuibus, copioſis, in terram nutricem demiſſis, prompto germine ad vota coloni ſui properat. Caulem erigit altitudine ferè dodrantalem, albidum, crebris veluti lentiginibus maculoſum. Eum folia complectuntur bina numero, vix ab Ari habitu quicquam mutantia; non lacteis Ariſari venis inſignita nec lituris nigricantibus ſugillata; ſed ſimplici cum nervulis viriditate decora. Caulis tandem paulò erectior in vaginam panditur membraneam, Ari involucro ſimilem, quæ paribus in longitudinem intervallis albis luteisque radiis elaborata conſpicitur. Hac recluſâ fructus apparet, penicillo canino haud abſimilis, internè ventricoſus, ſenſim tamen verſùs apicem gracilior. Albo perfuſus eſt colore, ſed quem circumſparſa thyrſo ſeminea veluti inchoamenta non parum luteo ſuo obliterant. Qui fortè radices afferebat hortulanus, eas non minùs quàm Colocaſiarum edules, & acriùs etiam pervigilem Veneri ſuæ debentium opus promovere adſeverabat.

ARI Ægyptium minus.



TA. LV.

p.195. NYMPHAEA seu NUPHAR Ægyptium. T. LVI



Caput XXXIV.

De Nuſar.

Inter Iridis Oſiridiſque complexus natum ſpecioſum illud Nuphar, Ægyptia Nymphæa, celebris vetuſtiſſimorum auctorum ſcriptis, Nilotica Lotus eſt. Ejus hic effigiem, quæ compendioſo ambitu radicem, folia, florem, fructumque repræſentet, haud immerito exhibendam arbitratus ſum. Proſper Alpinus eandem facit cum Europæorum Nymphæa. Differt tamen cùm à lutea majore, quæ radices in longum porrigit, tum ab alba illa vulgatius cognitâ, foliorum paulò contractiore magnitudine, & quod oras habeat levibus illis quidem, ſed latis inciſuris excavatas. Nervulis item copioſioribus pertexta: tum ſemina capiti papaveraceo incluſa, quam vulgaris Nymphæa magnitudine conſpectiora poſſideat. Quæ res facilè priſcos excuſet Botanographos, qui Niliacam hanc à reliquis Nymphæis ſejuxerunt. Qui florem, folia, radicem (prout nativâ magnitudine exſurgunt) curioſo dignatur aſpectu, Proſperi Alpini exoticis manum & oculos admoveat. Olim Ægyptiaci hujus Loti flos, ut auctor eſt Heliodorus, triumphantium coronis intexebatur. Hodiè expreſſus floribus & capite contuſis ſuccus Sacchara miſcetur, quod Arabes Sarbet Nuphar appellant, inſigni tum refrigerandi tum humectandi vi præſtans. Sarbet autem à ſerab vel ſerob deductum, communi nominis ſignificatu quodcunque poculentum denotat: ab his quoque ſerapli & ſirupi vox, in uſum ſalutaris ſcientiæ, profecta. Paratur Sarbet ſaccharo in aqua diſſoluto, quod evaporante ſupra ignem liquore, cum ad eam ſpiſſitudinem redüt, ut concreſcere denuo frigefactum queat, remoto jam ab igne ſub concretionis initium ſenſim Nymphææ probè depuratus admiſcetur ſuccus: ea tamen moderatione adhibitâ, ut largiore humiditatis acceſſione coalitum non impediat. Eundem in modum ex limonum, citreorum, roſarum, & violarum ſucco cum ſaccharo Sarbet ſuum concinnant, cui lautio-

ris fortunæ homines, ſub hyemem, aromata ſuaviora, ambramque permiſcent.

CAPUT XXXV.


De Stratiote.

Jam ſexennium eſt, cùm ex Ægypto in Palæſtinam iter haberem adverſantibus navigationi ventis in Peluſiaco portu ſubſiſtens. Admiratus ex animo cultum amœnitatemque loci, omnia Nili ſui beneficio poſſidentis, quibus provocet, ut cum Marone loquar,

—— —— —— amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas.

conſpexi in ſtagnantibus circa proximas villas aquis plantam hanc, cujus Iconem Alpiniano Haij alem el maovi, id eſt, ſempervivo aquatico, ſubjicio. Eam quoque veterum Botanicorum Niliacam Stratiotem eſſe, abunde notis omnibus confirmamur: quamvis foliorum lineamenta diverſam præ ſe ferant figuram. Hæc Aizoo quidem, ſed majori illi, & arboreſcenti ſimilia diceres, ni majora multo forent, pariterque latiora. Surrecta pleraque videntur roſeoque conſeſſu ſtipata, & citra malæ ætatis diſpendium plicis in longitudinem rugisque non ineleganter criſpata. Circa exortum, ut ſolet, anguſtiora folia, paulatim deinceps dilatantur. Extremorum altero non in acumen exeuntia; ſed reflexis leviter oris pluſculum diducta ſunt: cætera dilutiùs vireſcentia verbaſci inſtar utrinque molliter hirſuta; quod in Icone pictor haud expreſſit. Flores, cùm Peluſium tranſirem (præceps enim jam menſis Julius erat) non obſervavi. Planta tota ſeſſili baſi Nilo incubat, &, ut loquitur Anazarbeus, ἐπινήχεται τοῖς ὕδασι χωρὶς ῥίζης, innatat aquis citra radicem: quamvis radicum vicem demiſſa terram verſus tenuiſſima fibrarum veluti filamenta ſuſtineant. At nomen ipſum Stratiotis, potiùs ab eximia ſanandorum vulnerum efficacia, quam naſcendi conditione ſortita fuit.

STRATIOTES
Ægyptia Dioſcorides.



CAPUT XXXVI.

De Papyro.

Imò hæc nobilis illa biblus, quæ vitæ humanitatem, ingenii præclara facinora, famoſosque mortalium labores, victuris chartis memoriæ quondam poſteritatis reſervabat, quæ ante repertas fruges Ægyptiis alimentum, ſtragulas, navium contextum, vaſorum utenſilia, florem ad coronandos Deos, & calceos horum ſacerdotibus præbebat. Hodiè ob ſtrenuam incolarum inertiam, aliunde advectis chartis, Ægypto natales tantùm ſuos, non æſtimationem debet. Aſſurgit ab arundineis fibroſisque radicibus circa Nili ſtagnantis ripas, caule numeroſo, triquetro, non raro ſeptem cubitorum menſuram ſpecioſâ proceritate cùm æquante, tum ſuperante. Folia circa utrumque ſcapi extremum, inferiùs ampliora, Sparganii, Cyperive inſtar repanda, ſupernè minora, quæ radiatum veluti calycem innaſcenti jubæ ſubjiciunt. Plinius caulem in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includere ſcripſit. Theophraſtus ipſi κόμην tribuit ἀχρεῖαν καὶ ἀσθενῆ, comam inutilem, debilemque, ſi reliquis cum partibus in comparationem deſcendat. Utrumque tamen obtinet. Nam & denſo tot ſtaminum ordine ſtipatum caulis faſtigium cæſariem exprimit, & circa ſummum hujus prominuli florei apices, quas pictor non adumbravit, obligatum circumplicatâ hedera thyrſum effingunt. Radix velut in uſum ligni olim cedebat, ſic tomentoſa caulium medulla, in niveum reducta gluten, philyrisque porrò tenuiſſimis compacta, chartam virginem ſcriptoribus exhibebat.

CAPUT XXXVII.

De Cypero.

Cyperi plures ſpecies, & antiquis cognitæ fuerunt, & recentiorum induſtriâ porrò indagatæ ſunt. Hinc præter radicum longitudinem & rotunditatem, foliorum latitudinem vel anguſtiam, ſaporis quoque tum amaritudo, tum dulcedo; odoris fragrantia, vel abſentia, radicum item in cibis aptitudo vel ineptitudo, diſcrimen aliquod invexit. Sed rotundior ille, ampliorque, de quo hic Proſper Alpinus, potiſſimum κυπείρου nomen univerſo generi tribuit: quem, ſi tam ſaporis acumen, quam odori halitus ſuavitas commendet, non dubitant Antidotis miſcere valetudinis humanæ providi tutores. Dioſcorides optimam Cyperi radicem innuit, quæ è Cilicia, Syria Cycladibusque petebatur: Plinius non ſine manifeſtâ intellectus confuſione Cypirum à Cypero diſtinguens, *Ægyptium hunc*, inter laudatos Cyperos infimæ claſſis eſſe ſcripſit: quod ipſum tamen eximiæ ejusdem vires, & in obviis ſenſui qualitatibus præſtantia facilè convellunt. Vidi his quoque locis cum Abdelavi ſeminibus ſæpiùs venum *circumferri Cyperi minoris* edules, & avellanæ magnitudine dulces radices; quas Arabes Hab el ſelim nominant. Plantam ipſam Ægyptiam Theophraſti Malinathallam, ſeu Anthalium Plinii arbitrantur; quamvis in amœno Veronenſium agro ſedem pariter natalem invenerit.

CAPUT XXXVIII.

De Chatè.

Vulgatius Abdelavi genus, & in cibis magis conſuetum, non rarò inſigni magnitudine adauctum in villis Ægyptiis deprehendi. Quâ parte ramo ſuo fructus adhæret, anguino flexu prius incurvatur, ſenſim deinde ventre gravido intumeſcens, versùs alterum extremorum denuò gracileſcit. Sulcis tenui-

bus

p. 199.

LUFFA Arabum.



TA. LVIII.

bus in longitudinem interdum exaratus eſt, cortice molli, tenui, maturoque jam fructu ruſeſcente; non eâ ſaporis gratiâ, ut lautiorum aliquis menſa ipſum dignetur. Liquor Batechæ el maovi ſenſim à maturitate colliquata intus medulla colligitur, quem perforato cortice effuſum, percolatum, ſaccharoque mixtum, æſtuantes avidè hauriunt, non ſine ventriculi, & jecoris evidenti noxa, ſi quis eum immodeſtiùs ingerat, ob refrigerandi, quâ pollet, vehementiam. Proſper Alpinus Herniam, id eſt, Hydrocelen, ſive aquoſum ſcroti teſtiumque tumorem producere, non ſine ratione ſcripſit. Frequentiſſimum aliàs hoc morbi genus Ægyptiæ plebi, ob Nili turbidioris uſitatum potum, cujus aquæ copioſo permixtæ nitro, quâ penetrando, quâ laxando, valetudinis hoc incommodùm accerſent. Sed & promptum eidem remedium eſt, adacto per membranas ſcroti & teſtium phlebotomo, aquas conceptas compreſſis hiſce partibus elidere, poſt temporis aliquot intervallum redituras: atque hæc paſſim in balneis publicis aguntur. Meliorem affectus curam per medicamenta inſtituunt Arabes, præmiſſâ tamen aduſtione per cylindrum lineum, circa cervicem & principium ſcroti adminiſtratâ. Sed hæc alibi explicatiùs perſequemur.

CAPUT XXXIX.

De Cucumere Ægyptio reticulato, ſeu Luffa Arabum.

Eſculento cucumeri, quem Chatè nomine deſcripſit Proſper Alpinus, alterum addo, cibis quidem inutilem, partium tamen omnium elegantiâ ſpectatiſſimum. Arabs, in cujus hortó propè Cairum urbem creſcebat, Luffam appellabat; mihi mirabilem ob plexum, quo ſemina incluſa circumdat, Cucumis Ægyptius reticulatus nuncupandus videbatur. Semina ad inclytum heroem Nicolaum Contarenum à me tranſmiſſa, in ejus non ruſticæ, ſed plus quàm urbanæ Floræ amœniſſimo pandocheo, plantam dederunt, quam hic expreſſam contueare. Foliis induitur hiſpidis, fuſcam viriditatem pallore hinc

inde

inde diluentibus: diviſuris inæqualibus profundiùs laciniata, Bryoniæ, vel Balſaminæ potius folia maſcula æmulantur. Florem educat amplum, ſpecie venuſtum, languidam flavedinem, ſtriatim inducto aureo pigmento, largiùs circum oras ſaturantem. Idem ſtamina capaci ſinu plurima ſubmittit, quibus appendices grandiuſculos flaventeſque connectit. Cæterùm inſtructa numeroſis capreolis planta, quaquaverſum reptabunda, proxima quæque cincinnis ſuis implicat: fructum promit ſemipedalem, ab anguſtò collo paulatim laxiùs tumente ventre gravidatum, ſuperficie modò lævior, modò tuberculis paſſim verrucóſior. Cortice velatur tenui, ex obſcuro virore pro maturitatis gradu plus minuſve flaveſcente. Eum vel nulli, vel tenues ſaltem excavant ſulci: in longitudinem tamen atris lineis eleganter inſcriptus, à colli principio ad umbilicum veluti centrum ſuum commeantibus. Cùm fructus benè maturus, cortice remoto, innumera in conſpectum veniunt albicantia filamenta, ſuccoſiore medullâ ſtipata: miro adeò ordine contexta omnia, ut planè fateri neceſſum ſit, non eſſe hoc rude, & tumultuarium opus; ſed quod egregius artifex cogitaverit priùs, quàm fecit. Idque evidentiſſimum evadit, cùm quis tabefactâ jam pulpâ ſimplicem plexum inſpicit. Sinum plexus hic triplicem efformat in longitudinem, in quo ſemina copioſa, candida, cortice nonnihil inæqualia, lacteſcente verò medullâ Melonum æmula junctim aſſervantur. Uſus hujus fructus barbaro poſſeſſori ſatis exploratus non erat. In balneis tamen publicis, dempto cum ſemine cortice, plexum filamentorum ſucco ſuo madidum tergendis corporibus adhiberi confirmabat; quorum cutem Morphæa fœdæque vitiligines inſederunt, malum Ægyptio vulgo familiare. Reticulum ipſum qui diligentiùs tractaverit, lini macerati nerveis veluti fibris præditum agnoſcet. An igitur, quemadmodum Æthiopes, & Indi, authore Theophraſto, è laniferis arborum pomis, aut Arabes (ut ſubjungit Plinius) cucurbitis in arboribus genitis, *lina* parabant; ita ex hac plexu decenter arefacto malleo *ſtupario* contuſo corticatoque ſimile fieri potuerit haud negaverim.

LUFFAE *Arabicæ*
Flos et Fructus.



TA. LIX.

Gramen Stellatum Ægyptium.



TA. LX.

CAPUT XL.

De Neiem el Salib.

GRamini crucis, ſtellatum hoc Ægyptium adjungo, non minùs elegantiâ, quam viribus, generiſque ſocietate eidem cognatum, quod circa Heracleam oppidum ſive Roſſetum primùm conſpexi. Aſſurgit altitudine pedali, culmo rotundo, geniculorum aliquot internodiis diſtincto, circa quæ anguſta ſatis, & in acumen attenuata folia producit. Fulcitur radice firmâ, candicante, & ipſâ geniculis aliquot, quæ pictor haud delineavit, nodoſa; ſubdulci quadam acrimoniâ guſtum perſtringit. Calami in quinas ſenaſque paniculas dirimuntur, longitudine diſpares, Iſchæmo gramine breviores quidem, ſed longè denſiores, Averſâ facie in longum excurrente validâ carinâ, & porrectis à latere ſtatuminibus muniuntur, quibus ſquamatim compactilis ſpicea florum congeries, virore flaveſcente renidens ſuperiùs inſtrata eſt. Congenera itaque hæc gramina ſunt. Nec mirum ullum, in ſtellas aliquid abire poſſe, quum crucem tulit. Uſum item medicum eundem obtinent: quamvis calculis intra veſicam duratis frangendis vires pares non poſſideant. Qui lapidoſum aliàs veſicæ ſynagma citra ſectionem eduxerit, ut alibi Proſper Alpinus ſcripſit, in magna Ægyptiorum Memphi, quamvis curioſè inquiſiverim, neminem deprehendi. Hominem tamen religioſum à monte Sinai, calculos extra veſicam in urethrâ ſubſiſtentes, compreſſâ ſuppoſito digito veſicâ, & meatu urinario per immiſſum anſerinæ pennæ tubulum validè inflato, eoſdem extrorſum propuliſſe, ab ægris ipſis acceptum ſatis & cognitum habeo.

De Scorſonera Orientali.

Selectioribus Orientalium plantis hanc etiam accenſeas licet raram nobilemque Scorſoneram, in Palæſtina ac finitimis

 Ægyp-

Ægypti naſcentem: cujus ſemina ad Illuſtriſſimum Nicolaum Contarenum à me curata, ſub tam ſplendido cultore dicam, an floreæ voluptatis promo, alteroque hujus ſeculi Alcinoo felici partu germen exoptatum excluſerunt. Radice ſuſtinetur, ut reliquæ Scorſoneræ ſolent, longa, ſimplici, quæ pollicis craſſitudine vix diductior, crebris rugis ſulcatum corticem atrore quodam obſuſcat. Candida tamen intus eſt, quumque recens, lacteâ ubertim alimoniâ diffluit. Exſurgit à radice caulis ſingularis cubitum altus, gracili quidem habitudine, ſed firmâ, quem circumſtant rara, oblonga, gratum virorem cærulo cœleſti permiſcentia. Horum inferiora latiora ſunt & ampliora, circum oras leviter ſinuoſa, tum quinis in longitudinem exeuntibus nervis diſtincta, ſuperiora magnitudine & æquatis ſenſim oris contractiora cernuntur. Cauli flos inſidet pulcherrimus, ſuaviter odorus, ſcutati nummi ambitu dilatatus ſaltem hyemem aſperiorem expertus non fuerit. In eo duplex foliorum ſeriès in ſtellam radioſve digeſtorum, quæ candorem ſuum purpuræ miſcent. Circa umbilicum ſaturatior purpuræ ſplendor eſt, è quo per longitudinem foliorum ad extrema leviter ſerrata, coloris ejuſdem crebræ lineolæ ducuntur. Erigitur ex umbilico floris tutulus purpurâ ſuâ decorus, à baſi verſus cacumen frequentibus plicis adſtrictus. Hunc circumſiſtunt ex intervallis duodena, vel etiam plura vallorum ſtatumina, ex cæruleo nigricantia, quorum extremum aureis capreolis utrinque retortis exornatur. Flori calix ſubjicitur oblongus ſquamatimque compactus, quo ſemina pariter oblonga molli potiùs copioſâque lanâ, quàm pappo involuta reconduntur. Cæterùm, plantam ipſam Europeis Scorſoneris alexipharmacâ virtute minimè ſecundam eſſe, crebris graviſſimorum hominum experimentis, abundè patefactum eſt.

De Datura Ægyptia.

Solani varias ſpecies paſſim in Ægypto obſervare datur: nimirum Somniferum illud vulgatius, quod à baccarum forma nonnullis στρύχνον μελανοκέρασον dicitur; tum alterum Fruti-

co-

SCORSONERA *Orientalis*.



TA. LXI.

DATURA Ægyptia.



TA. LX

coſum, quod Stychnodendrum, & Amomum Plinio nominatur: tertium item pomiferum, diligentiùs in hortis excultum, cujus fructus oblongus, durus, ob ſuavitatem inter cibos Ægyptiis receptiſſimus: quartum denique, de quo paucis hoc Capite Proſper Alpinus, cujus fructum ex communi ſententia, Nucem Methel, plantam ipſam verum Dioſcoridis Stramonium, pronunciat. Viri Clariſſimi, ad ſeminis vim deliram pariter ac ſtupefactoriam reſpicientes, Solanum maniacum Theophraſti, & Hippomanem Cratevæ nuncupant, ab Ægyptio vulgo Datura vel Tatura appellatur. Ramum ejus, quem in Exoticis jamdudum expreſſit Proſper Alpinus, hîc quoque ſubjiciemus. Eum ab Illuſtriſſimo Nicolao Contareno acceptum, tanti fecit vir humaniſſimus, ut plantam hanc tam eximii Mecænatis nomine Daturam Contarenam vocaverit; probè ſibi conſcius; eam decentiùs, quàm olim titulis Regum flores, hoc nobiliſſimo nomine inſcribi,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries.

Ut Lyrici verba ſeriò uſurpem. Fundatur itaque Datura longâ craſſaque radice, quæ ſubrubro perfuſa colore, odorantium capitibus gravedinoſum Meconii halitum inſpirat. Surgit ab ea caulis ſingularis; ſed amplus, ramiſque plurimis porrò diremptus. Vidi quaternis, quiniſque ferè cubitis adultum, totum rotundo ſchemate, violæ obſcurioris ornatu ſplendidè coloratum. Folia longis pediolis inſiſtentia, virorem ſuum nigredinis aliquâ miſturâ obſcurant: quorum inferiora producta ampliùs, magiſque dilatata, variis utrinque diviſuris inæqualiter exaſperantur. Florem producit, non vulgaris elegantiæ ſpecimen, unicum odoræ ſuavitatis in tota plantâ compendium. Hunc dentato calyce enixum, ab anguſtiore cervice, medioque turgidulo ventre, tubuli inſtar ſenſim diducit. Foliis conſtat modò ſimplici, duplici modò, imò & triplici: quamvis hoc alterius additamentum videatur. Externâ facie purpuræ decorem induunt, internâ lacteo candore largiùs perfuſi flores: omnibus hoc proprium eſt, ut reſupinatis labris in lacinias ali-

 quot

quot dirimantur, quæ retortis ſenſim oris collectæ, velut in caudas attenuantur. Fructum edit plus minuſve rotundum, ſpinoſo horrentem cortice, nonnunquam innoxiâ ſcabritie æquabilorem, qui ſemina copioſa, flava primùm, tandemque palleſcentia complectitur, quorum tantùm rudimenta dempto cortice pictor in icone repræſentavit.

De Hyoſcyamo albo.

Hyoſcyamus albus Ægyptius, quem vulgari diſſimilem planè figurâ tradidit Proſper Alpinus, ipſus idem èſt, cujus hîc effigiem ex ejuſdem Exoticis depromptam exhibemus. Naſcitur cum Hyoſcyamo luteo juxta Pyramides Ægyptias, non minores illas, (quarum plures viſuntur) ſed majores tres circa Memphin urbem conſpicuas, immenſi laboris opera, & quæ non vanè Plinius regiæ pecuniæ vanam & inutilem oſtentationem judicavit. Exoritur à radice plerumque ſimplici, per fibras tamen craſſiores variè diditam, caule ſæpius unico, nonnunquam geminis ſurrectis, gracilibus quidem, ſed firmis. Hi pluribus deinde ramulorum brachiis multiplicantur, quibus mollis inſperſa lanugò canitiem ante ſenium addit. Per caules hinc inde ſparſa ſunt folia oblonga, ex mediocri latitudine in acumen deſinentia, vulgaris Hyoſcyami foliis longè minora. His pariter ex denſata veluti lanugine albicans tomentum, à pictore vix exprimendum, inſtratum eſt, oræque crebris inciſuris, dentium æmulis, propè medium imumque caulis, ſerratæ videntur. Flores circa ſummos caules, è caliculis ſuis emergunt, paulatimque ab anguſta cervice latiores, quina labella blandum in riſum diducunt. Exteriùs ſimplici candore nitens, interiùs admixtâ rubro flavedinis portione variegati. Dilapſis floribus, calycis hæredes ſemina ſuperſunt, alba, & puſilla; ſed quæ humorum, ac potiſſimùm ſanguinis impetum per venas uteri, ventriculi, pulmonum, efficaciter coërcent: dolorem itêm meningum, pleuræ membranæ, tum coli inteſtini graviſſima tormenta, mitigant.

De



TA. LXIII.

p. 205. MYROBALANUS EL CHABUL Ægypti.



TA. LXIV.

De Myrobalano Chebulo.

Myrobalanos ſi non invenere primùm, ſaltem vetuſtioribus Græcis incognitos, primùm Europæis patefecerunt Arabes, ſive eos ipſi poſſiderent, ſive aliunde facto cum exteris commercio reciperent, atque in uſum artis Medicæ transferrent. Qui Ægyptum hodiè incolunt Arabes, cùm aliis mercibus per ſinum Perſicum & Erythræum advectos, ab Indis Orientalibus nanciſcuntur. Errant qui tot myrobalanorum genera unius arboris fructus arbitrantur. Quamvis enim tam arbores, quàm myrobalani ipſi habeant, quo prunis conferri poſſint; ingens tamen in foliis diſcrimen, cum alia lauro, perſico alia, alia ſalici, ſorboque comparentur. Sed major è myrobalanis Chebulorum æſtimatio, quos è Biſnagar, Camboja, Bengala navitæ frequentiùs advehunt. Horum arborem in Cayro urbe non procul à vico Veneto, in Beii cujuſdam Turci viridario ſæpiùs inſpexi, quem horti præfectus Dileg el chabul nominabat. Rami ab eo decerpti effigiem, accuratè ſatis delineatam, hîc contempleris. Adoleſcit autem arbor ſpecioſa magnitudine, pruno vulgari longè conſpectior, cortice lævi & pallidulo, materia verò caudicis albicante, nec inſuaviter odoratâ. Ramos exinde porrigit denſos, longitudine proceros, ad flexum ut obſequentes, ſic contra vim externorum contumaces; in latera potiùs ſparſos, quàm in directum exeuntes. Spinis armantur longis, peracutis, firmis, perennantibus, quorum horridum agmen adſita propiùs folia plurimùm obumbrant. Horum verò bina communi petiolo inſidentia conjunguntur, à preſſula rotunditate obtuſiùs acuminata, nihil Perſicæ foliis, (quæ vulgo chebulis tribuuntur) figuræ cognatione devincta. Craſſitudo illorum mediocris eſt, è quibus quæ ſitu inferiora, ſuperioribus ejuſdem rami majora ſunt, intactis oris, ſecus quàm in Prunis & Armeniacis obtinet, nullas inciſuras admittentia. Fructus Chebulis Indicis ſimillimus exiſtit, eximiâ magnitudine, à tenui cervice anguloſum in ventrem diductus, &

ex atrore quodam rubeus. Medium ejus nucleus obtinet oblongus, ſtriis & canaliculis elaboratus; cujus ſucculenta circumfuſa caro, non injucundo ſapore palatum afficit. Cæterùm ſaccharo conditos hoſce myrobalanos Byzantium mittebat poſſeſſor, quorum vires caput, & ventriculum, quâ purgandi, quâ corroborandi, non immeritis laudibus extollebat.

De Caſſab el darrir'.

Huc referre libet plantam Caſſab el darrir' dictam; quam Lib. 2. Cap. 7. Exoticorum, ſic deſcribit P. Alpinus. *Naſcitur hæc planta, ut relatione accepimus, in Ægypti locis humidis; etſi nos eo tempore, quo in ea provincia morati ſumus, planè latuerit: non minùs etiam in Judæa juxta lacum Geneſareticum vocatum, & in Syriæ multis locis. Semicubitalis, & amplior frutex eſt, ferens ab radice caulem longum geniculatum ferè, ex toto rotundum, cavum, intus habentem medullam albam, ut Sambucus, colore fulveſcentem, ex eoque ex oppoſito ramuli exeunt recti, geniculati, è quibus geniculis in cauliculo utrinque duo ramuli exeunt ſubtiles flores ferentes, magnitudine & figurâ florum in lutea Lyſimachia, à quibus ſuccedunt parvi folliculi, oblongi, in acutum deſinentes, nigri, ſemen nigrum & minutum continentes; folia verò bina in ſingulis caulium geniculis utrinque ex oppoſito poſita cernuntur, oblonga, lata, inferiùs in acutum deſinentia, ſine petiolis adhærentia, cernuntur Lyſimachia foliis ſimilia, ſed minora tamen. Radix eſt craſſa, longa, in acutum terminans. Hæc planta videtur ſimilis ex toto luteæ Lyſimachiæ. Caules iſtius plantæ craſſiores non ſuperant craſſitiem digiti minoris, intuſque cavitatem plenam habent medullâ, ut in Sambuco, quibus caulibus ſicceſcentibus medullà ipſorum plurimum ſiccatà, ut calami cavi evadunt, fulveſcunt colore, ſunt geniculati, facile franguntur, intuſque habent medullarem ſubſtantiam albam, quæ in ore agitata lenteſcit; inodori ſunt, vel exigui admodum, neque ingrati, præſertim radix: lignum cum aliquanta acrimonia eſt amarum. Quibus notis ex toto caules ii craſſiores cùm conveniant cum Calamo aromatico à Dioſcoride* [illegible]

ſcripto,

CASSAB EL DARRIR.



TA. LXV.

BAMMIA *Muſchata*.



TA. LXVI

ſcripto, haud injuriâ omnes Ægyptii, & Arabes iis caulibus, calamis ferè ex toto ſimilibus, pro calamo aromatico uſi ſunt, ac vel etiam nunc utuntur. Hoſque calamos appellant Caſſab el darrir: ubique locorum in medicis officinis venales reperiuntur.

In Italia, Germania, Gallia, & in aliis provinciis non pauci Medicorum, & Pharmacopæorum, mordicùs tenent hos caules eſſe legitimum calamum, ad medicinæ uſum recipiendum. De quo cùm accuratè ſcripſerimus in Quinto libro de Medicina Ægyptiorum ultimò edito, nihil hic aliud dicemus.

De Ab el moſch, ſeu Moſch Arabum.

Planta ſeminis odorati fragantiâ Moſchum provocans, inter Ægyptios hodiè ſatis nota, Ab el moſch, & ſimpliciter Moſch, non Bel moſch, ſemen autem aſpiratione adaucta Hab el moſch, granum moſchi ab Arabibus nuncupatur. Surgit à radice multiplici copioſis quaquaverſum venulis diffuſâ, caule ſingulari, amplo, ſurrecto, cubitalem menſuram altitudine conſueta facilè ſuperans; qui juxta cum ramulis ſuis rotundus, ab ipſa protinùs infantia, albicantibus veluti pilis hiſpidus caneſcit. Folia impari magnitudine, ad contactum aſperæ, Bammiæ foliis non tantum majora; ſed profundioribus etiam laciniis circum oras & frequentibus ſinuoſa. His flores ſuccedunt aureâ flavedine decori, quinis in ſtellam diviſis foliis radiantes, productis ſinu ſtaminibus appendices aureos adjungunt. Floribus tandem fato rerum cedentibus ſeminum cuſtodes capſulæ ſeſe proferunt, rotundum ambitum inductâ nigredine obſuſcantes: in quibus illa tenuem ſuaviſſimumque ſpiritum prodigè exhalantia ſpermata conſervantur: puſilla quidem, ſed compacta, quæque in ſinum utrinque recurvata, levi amaritudine guſtantium linguam imbuunt. Quis uſus eſſet gratiſſimi ſeminis, haud ſatis compertum erat barbaris hominibus, qui id ſæpiùs, & copioſè mihi deferebant. Hoc interim abundè conſtabat, ſeminis leviter exſiccati pulverem Caovæ miſceri, ut roborandi capitis, ventriculi, cordiſque majorem ac-

quireret efficaciam. Sarbetis etiam intemperari ſalubri effectu, ab iis, quibus ſumptuum tenuitas ambræ moſchive uſum denegavit. Alii muliebribus impliciti curis, ſemina contuſa veſtibus intra bombacem infarciunt, ut ſuavi illo, ſi quis

Putor inhæreſcit membris, reprimatur odore.

De Braſſica ſpinoſa Ægyptia.

Eximiam, aculeiſque ſuis armatam plantam à P. Alpino Lib. 2. Exotic. Cap. 10. Braſſicæ ſpinoſæ nomine deſcriptam, non immeritò hîc inſerimus. De qua hæc tradit. *Alias cùm in Ægypto eſſem credidi Braſſicam ſpinoſam uſque ex Æthiopia delatam fuiſſe, ſed cùm à quodam ſtirpium ſtudioſo audiverim ſponte natam, & in Ægypto, & Judæa, & in Syria conſpectam fuiſſe, in eam veni ſententiam; iſtam plantam Ægypti, & conterminarum provinciarum eſſe propriam. Hanc, dum viridis eſt, decoctam ex aqua Indigenæ comedunt. Mihi etiam poſtea quam ex Ægypto patriæ reſtitutus Venetiis ad medicinam faciendam commorabar, ex ſeminibus ab Ægypto procurâtis, hæc planta, & nata, & feliciter aucta eſt, atque eò uſque etiam, ut flores produxerit, fructus verò perficere non potuit. Hæc planta creſcit cubitali altitudine, & ampliori etiam, multis ramis ab una radice fruticans, longis, rotundis, mollibus, braſſicæ colore craſſis, & firmis, à quibus innumeri alii cauliculi exeunt in alios ramulos, plures angulos ferè facientes, diviſi: in cauliculorum ſummitatibus fiunt plures tenues albæ ſpinæ, acutæ, juxta quas floſculi fiunt hyacinthi floribus ſimiles in rubrum albicantes, quorum unus ſolum in ramo ſingulo viſitur: à quibus fiunt fructus rotundi parvi, ciceris fructuum magnitudine, in acutum deſinentes, qui dum recentes ſunt guſtui non videntur injucundi, ſed ſiccati lignoſam duritiem, & duram contrahunt; intùs colore albicant, & exteriùs flaveſcunt. Hæc planta eſt foliacea, ut braſſica, multa folia ferens ab radice, & à caulibus, longa, craſſa, braſſicæ foliis ſimilia, quæ dum viridia ſunt videntur ſimilis ferè ſaporis, & guſtus eſſe. Folia, ut dictum eſt, dum vereſcunt decocta ex aqua, aut jure gallinaceo ferculi modo comedunt, atque etiam non minùs cruda itidem folia cum ſale. Mihi ignotum eſt, an apud ipſos alios uſus habuerit.*

De

BRASSICA *ſpinoſa Ægyptia*. p. 208.



TA. LXVII.

p. 209.

LUPINUS Ægyptius ſilveſtris.



TA. LXVII.

De Lupino Ægyptio Sylveſtri.

Heracleam ſive Roſſetum Ægypti tranſiturus, circa ſepimenta villarum non uno loco natam hanc, cujus adumbratum ramum vides, plantam obſervavi. Eam non dubitavi Lupinum Ægyptium ſylveſtre appellare, cum ſativo illi, quod flore è cæruleo purpuraſcente præditum, reliqua habitudine fructuque cognatum deprehendiſſem. Alii rectè Lupinum Arabicum nominarunt. Nec ambiguum ullum eſt, in finitimis etiam Ægypto provinciis gigni, & Arabes per hoc ſeculum, mutatâ rerum memoriâ Ægypti incolas eſſe. Proſper Alpinus in Exoticis Quinquefolium ſiliquoſum appellat, ſemine ab illuſtriſſimo Nicolao Contareno accepto, cujus munificentiâ, quemadmodum Alpini noſtri ſcripta in famam & ſeculum abierunt, ita felices Ponæ labores, & Clariſſimi Bauhini monumenta lætiùs vernant, quàm prata ipſa, ut cum Lucretio dicam,

quando ſpecies patefacta eſt verna diei
Et reſerata viget genitabilis aura FavonI.

Jam erigitur Lupinus hic à tenui, rectâ, parumque fibroſa radice, caule ſingulari, quique pedali altitudine ſurſum emicans, infernè luteus, ſuperiùs gratiore viriditate rotundam mollemque ſuperficiem colorat. Folia producit, cùm magnitudine, tum ſpecie diverſa: quorum quæ minora ſunt, trifolii faciem exprimunt, tenuibus petiolis ſubnixa: quo verò propiùs cacumen accedunt eò denſiora naſcuntur, & caulem undique proximo conſeſſu cingunt. Ampliora folia caulis inferiora potiſſimùm & media occupant, longiùs ab eodem recedentia. Pentaphyllum vulgatius æmulâ figurâ præ ſe ferunt, quinis laciniis altè diviſa, quamvis integræ oræ nullis inciſuris dentatæ conſpiciantur. Juxta ſuperiora & in apice caulis, inter foliola, facie triphylli prædita, ramuli exeunt, non ſedecim

 tan-

tantùm, ſed plures numero, interdum etiam pauciores, longitudine pariter inæquales. Eorum ſinguli florem exhibent, tenui viridique calyce fultum, non uno, ſed quatuor foliorum concurſu productum. Aſſurgunt gracili, ſed in longum porrectâ cervice, inter ſe disjuncta folia: paulatim deinde ampliata, duobus veluti ſegmentis, currente per medium obſoleti coloris lineola compinguntur. Circa cervicem exortumque ſenſim violaceo colore imbuuntur, reliquo tamen corpore ſuaviter olida, lacteo nitore candent. A producto flore virgula protenditur, quæ rurſum flabelli inſtar quinis ſeniſque ſtaminibus, ſpadiceo colore tinctis, dividitur, quibus aurei tandem appendices annectuntur. Inter ſtamina ſingulari pedamento ſiliqua dependet, teres, exilis, utrinque in acumen attenuata, quâ ſemina perexigua, rotunda, nigricantia Lupino ſativo qualitatum diſpoſitione cognata, ſervantur.

De Sinapi marino Ægyptio.

Non vegetabilibus, ſed numinibus olim Ægypti annumeratum Sinapi marinum, Lib. 2. Exotic. Cap. 19. hunc in modum P. Alpinus expreſſit. *Plantam nobis ex ſeminibus ex Ægypto delatis natam in horto habuimus, quæ ex una radice longa, gracili, lignoſa, alba, caule unico, vel duplici, aſſurgit, rotundo, rubeſcente, pingui, macropiperis craſſitie obliquè ſurſum, & non rectè in aërem acto; qui hinc inde inæqualibus intervallis fert alios cauliculos in apice habentes flores cæruleos, ut in leucoiis, parvos, à quibus deflореſcentibus, ſuccedunt ſiliquæ, parvæ, tenues, oblongæ, in acutum deſinentes, quæ habent minuta ſemina rotunda, guſtui accerrima, ad rutæ odorem inclinantia. Folia hæc planta habet pauca, longa, & lata, utrinque foliolis oblongis, ordinatis, quinis, Senecionis, aut Cinerariæ modo crenatis, craſſis, pinguibus, & ſuccoſis, Crucæ colore, & quandoque rubeſcentibus. Tota hæc planta valdè acris eſt, & ad erucæ odorem aliquatenus inclinare*

SINAPI *Marinum.*



TA. LXIX.

p. 211.

CONVOLVULUS Ægyptius.



TA. LXX

nare videtur. Similis nobis viſa eſt erucæ marinæ Myconi, ſed tamen ea non eſt, quoniam habet folia majora, & nihil in guſtu amaritudinis præbet, ſed ſolùm acrimoniam, quæ non rutæ eſſe videtur, ſed ſinapi, & cùm cætera notæ à Sinapi ſilveſtri non abhorreant, Sinapi marinum eſſe idcircò credidimus. Neque Chebule etiam Serapionis eſſe poterit, cùm non habeat ſaporem ſalſum ſimilem nitro, qualem ſaporem Chakilen habere, ex Abice Serapio expreſſit Calida hæc planta, & ſicca tertii ordinis ex valida acrimonia meritò eſſe videtur, omniumque maximè ſemina, quæ ob id erunt efficaciſſima, trita ex vino epota, ad movendam urinam, quò nimirum craſſos humores incidant, extenuent. Audio etiam dari aquam ſtillatitiam ex tota planta prolectam ad movendam urinam, darique etiam ad flatulentos dolores, quamcunque corporis partem diu vexantes. Nonnulli folia, & germina, in acetariis edunt, atque etiam decocta, ad frigidum ſtomachum roborandum.

De Convolvulo Ægyptio.

Vix cultior in Ægypto hortus eſt, cui non ornamentum commodet Alexandrinis tapetiis conſpectius, elegans hæc planta, quam, amœna potiſſimùm ſpecie ducti, Om el heſſen, matrem pulchram, Arabes nominant, Helxines ſive convolvulorum ordini, à Proſpero Alpino rectiùs adſcripta, quamvis rudiuſculè expreſſa. Fruticat à radice lignoſa, longa, fibrataque, cortice pallido, nodulis innumeris ſcabro, quorum opera facili reptatu, adminucula omnia tranſcendens, quocunque trahes retraheſque ſequetur. A caudice virgulæ exeunt numeroſæ, & lentæ, ſive umbraculum mediteris, hortenſemque ſcenam, ſive conchyliatis omnibus & belluatis venuſtiora parietum peripetaſmata, cogites, prompto flexu ductoris arbitrium admiſſuræ. Folia longule productis petiolis inſiſtentia, lætoque virore grata, ſeptenis laciniis, profundè diſcriminantur, quarum inferiores additamenta quoque ſua nactæ ſunt. Sed

præcipuum plantæ ornamentum flos eſt, quem fœcundo partu non ſemel quotannis producit. Is vulgatis convolvulis amplior, ſimplici folio è calyce propellitur. Collectus primum contractusque, donec reſupinis oris, ſi non ſuavem naribus halitum, ſaltem amœnam oculis cærulamque purpuram largiter explicet, radiatò foliorum emblemate conſpicuus. Sinum obſcurior inumbrat color, in quo brevis exſurgens columella, lepidum caput innumeris ſtaminulis & appendicibus onerat. Flos diſcuſſis umbris à ſole expergefactus ſeſe dilatat: eodem in meridie inclementius radiante, collectis oris connivet: abeuntem ad Heſperios ſolem, hiulcis denuò labellis blandè ſalutat, reliquo deinde noctis nemini copiam ſui facturus. Tandem emerito flore capſulæ ſeſe proferunt, lini capitula æmulantes, in quibus terna vel quaterna ſemina, orobi magnitudinem haud ſuperantia; fuſca, leviterque lanuginoſa reconduntur.

De Maro Ægyptio.*

Non omittenda hîc uſu multiplici nobilis planta, quam inter Exotica Lib. 2. Cap. 20. Mari Ægyptii nomine ſequentibus deſcribit P. Alpinus. *Naſcitur in Ægypti locis ſiccis & ſqualidis juxta ædificiorum rudera planta quædam odorata, quæ caulem unum ab radice promit cubitalem, & ampliorem etiam, geniculatum, colore albicantem, ex geniculis utrinque foliò longo, craſſo, Hormino Sylveſtri, & magnitudine, & figurâ proximo, inodoro, ac ferè inſipidi ſaporis ſiccantis cum quadam levi adſtrictione, & lanugine alba, adeò ut ex ſingulis geniculis duo folia cernantur, æquè ex oppoſito poſita: & hoc obſervatur in parte inferiori ipſius caulis, in parte verò ſuperiori, ſcilicet à medio caulis ſupra, utrinque ex geniculis exeunt una cùm foliis ramuli graciles, breves, quadrati, qui utrinque in geniculis ferunt flores albos, S[illegible] areæ ſeu herbæ Sancti Joannis floribus quam ſimilimos, qui un[illegible]um ſuis foliolis gravem odorem, prævalidum, reſpirant, non tamen ingratum:*



TA. LXXI.

tum: quibus ſuccedunt in ſuis parvis thecis oblongis ſemina parva, rotunda, braſſicæ ſeminibus ſimilia, acutum odorem reſpirantia. Cauliculorum omnium cimæ cum foliis, floribus, & cauliculis ſunt admodum odoratæ. In umbra ſiccatæ ſervantur ad uſum veſtium. Illis enim inſertæ ipſas tuentur à teredinibus atque odorem gratum inducunt. Siccati verò ii cauliculi validum odorem in ſuaviorem mutant. Unde flores, & ſemina calefacientis ſunt facultatis, digerentis, & reſolventis, uſumque folia, ſed præcipuè cimarum ad dolores frigidos, & flatulentos ex vino decocta, atque dolenti parti appoſita, mirificum præſtant. Item foliorum ſuccus ex aceto & melle ad panas ex facie delendas præſtat.

Ad finem Cap. XXXXIII.

Hic explicit Proſperi Alpini de Plantis Ægyptiis labor, quarum ſelectiores, & quas Europæis minùs obvias exiſtimabat, huc præcipuè reduxit. Paucæ ſanè videbuntur, & quarum pars magna translatis ſeminibus in nobilioribus Italiæ hortis hoſpitata fuit. Imò paucas eſſe fateor, ſi veniant in comparationem earum, quas oculis uſurpare non licuit, quum praxeos Medicæ curis impliciti, neuter noſtrum ſerio ſtudio huic rei vacare potuerit. Denique paucas eſſe neceſſum eſt, quas, ut jam ante ſcripſi, paucis in locis, & plerumque velut in tranſitu vix conſtantibus oculis peregrinantes notamus. Quò laudabilius eorum inſtiutum eſt, qui digna curioſis ingeniis libertate ſecuri, minima omnia maximaque determinatis locis obſervando, rem herbariam utiliſſimis acceſſionibus auxerunt. Fecit hoc in Baldo ſuo, Apolline hoſpite digno Helicone, vir integerrimus Joannes Pona; fecit idem in Veneto littore Antonius Donatus, optimus & humaniſſimus Pharmacopæus; quorum uterque editis jam ſcriptis immortale decus, gratâ poſteritatis memoriâ conſecutus eſt. Sed è communibus plantis, quas in Ægypto naſci Proſper Alpinus ſcripſit, & illæ

illæ ſunt, quas è Byzantio huc transferunt Proreges, Turcarumque proceres: ſuntque Narciſſi & Hyacinthorum elegantiores aliquot ſpecies: quibus tamen in Ægyptio ſolo propagatis hoc accidit, quod Theophraſtus dudum prodidit, ut odoris ſi quam habent ſuavitatem ſenſin exuant. Aër enim, inquit, ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος, caliginoſus & roſcidus exiſtit. Imò tantâ primùm aquarum ubertate, & calore deinde intenſiore, languida hæc corpora vehementiùs reſolvuntur. His accenſeas Amberboi Turcicum, decoram ex Jaceorum ordine plantam, quæ aculeatis foliis incana ſpinoſo capiti florem intexit, cyanoidem quidem, ſed amplitudine ſpecioſiorem, *cærulo* purpuraque mixtis imbutum, quem turbinatis involucris ornamenti gratiâ ſubnectunt, aliaſque hujus generis.

Poſt Similacem Aſperam.

Aſperæ Smilacis* genera duo jam dudum rerum botanicarum ſtudioſiſſimi viri deſcripſerunt; *quorum unum minùs* ſpinoſum, *brevioribus foliis, ex atrore quodam vireſcentibus* præditum, quæ vel nullis, vel rariſſimis ſaltem aculeis obſita ſunt. Floſculi ſex veluti radiis ſtellati, carneo rubori albedinem ſuam miſcent; è quibus umbonis inſtar prominulus fructus, ætate jam maturus, dilapſis foliis, rubedinem ſuam nigredine permutat. Huic ſimilis illa, quam in Zacyntho repertam *Proſper Alpinus* expreſſit. Diſcrimen tamen in eo eſt, quod circa *petioli acceſſum, folia ſinu deſtituta*, nec in acumen altero *extremorum producta ſint*, nec capreolos proxima quæque implicantes ex alarum angulis proferat: quamvis radices ob natalis ſoli mollitiem Hiſpanis omnibus cùm magnitudine tum virium præſtantia non inferiores. Sed alteram illam aſperiorem Smilacem, cujus ſubjectam hîc effigiem vides, ſæpiùs mihi ſuppeditavit Nicolaus Contarenus, ille hoc ſeculo nobiliſſimus

Flo-



TA. LXXII.

Floræ ſacerdos, candidatus herbarum,
Quaſcunque Phœbus ſpectat, aut alit tellus
Non noſtra tantùm, ſed remota, ſed cuncta,
Quam Pontus ambit, aut Olympus involvit.

ut verè cum doctiſſimo Poetarum ſcribam. Hanc Smilacem non caule tantùm, ſed foliorum etiam oris extenſoque per medium eminentiore nervo aculeatam cernis. Viticulæ ex alarum ſinu plures proreptant, flores candidi racematim penduli, odore ſuaves; fructus item ætate provectâ rutilus, exiguis uvis Labruſcæ æmulus conſpicitur. Cæterùm, ut Proſper Alpinus seriò contendit, hanc ex Zacyntho Smilacem eſſe veram Hiſpanorum Salſam parillam, tam forma radicum, quàm viribus adductus; ita inter hanc, & Indicam ſive Peruanam, tum facultatum vigore, tum externæ figuræ lineamentis diſcrimen aliquod intervenire, curioſis rerum naturæ viris cognitum eſt. Vidi Lugduni Batavorum, ſub Clariſſimo Everhardo Vorſtio, præceptore meò, Indicæ Salſæ parillæ plantam natam, ab utraque aſperâ Smilace, foliorum brevitate, denſitate, ſinu, coloris obſcuritate, ſpinarum abſentiâ, non parum diſcrepantem. Notavit radicum quoque diverſitatem doctiſſimus Lobelius, qui ab uno radicis trunco amplo, ſtrumoſo, ſine geniculorum deinceps interventu, crebra illa valdèque prolixa radicis lora, cortice pulla, rugiſque ſtriata deducit. Talis perhibetur quæ ex Honduras provincia advehitur, natalis ſoli ingenio, Europæis Smilacibus, in profliganda Veneris lue, ſuperior.

Concluſio.

Hæc habui, mi Lector, quæ de Plantis Ægyptiis, amicorum hortatu, Proſperi Alpini libro ſubtexenda videbantur. Rudia illa dixeris, & ſoloci (ut Symmachus loquitur)

filo

filo elaborata. *Fateor ſanè talia eſſe: & dudum in his ſtudiorum *primitiis* cenſorium illud ſupercilium ferendum conſtitui. Quanquam ſi induſtriæ meæ inchoamenta quædam tibi primitùs exhibeo, nil eſt, cur exercitati roboris ἀποτελέσματα flagites. Næ tu quoque fruſtra es, ſi à ſcaturiente commodum fonticulo flumen exigis, ſub gelidis brumæ pruinis roſarum purpuram, ſub novella pampinorum umbra, muſtulenti autumni delicias quæris. *Igitur* æquum te mihi dabis, ſi quà vel *calamus* titubavit, vel officium memoria non fecit. *Noſti* quàm facile ſit, languentibus per occupationes oculis connivere. Denique, ut ex his quæ dedimus, colliges,

— *non omnis fert omnia tellus.*

JOANNIS VESLINGII MINDANI,

EQUITIS,

Et in Patavino Gymnaſio Anatomiæ, & Pharmaciæ Profeſſoris primarii,

OPOBALSAMI VETERIBUS COGNITI

VINDICIÆ.

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS

V I R I S,

D. BAPTISTÆ NANIO.
D. PETRO FUSCARENO.
D. ALOYSIO VALARESSIO EQ.
D. MARCI PROCURATORI,

PATAVI ARCHILYCÆI MODERATORIBUS PRUDENTISSIMIS,

JOANNES VESLINGIUS S. P.

QUÆ in florentiſſimo Gymnaſio veſtro, à multis iam annis, rerum naturæ curioſiſſimi viri publicè tradiderunt, non ſimplici priſcorum auctorum lectione; ſed obſervatione propria ſæpius edocti, dum magno vitæ, ſumptuumque diſpendio, remotas ab Europæ cõplexu provincias luſtrarunt,

—— *medioſque fugam tenuere per hoſtes.*

Eadem a livore, & aſperſis litigantium contentione tenebris vindicata, ſiſtere vobis, Illuſtriſſimi, atque Ex-

cellentiſſimi Rectores, & ad judicii veſtri ſolem examinare, tam officii mei ratio, quàm debita ſummis veſtris meritis obſervantia poſtulabat. De Opobalſamo enim agitur, eximio medicamento, cujus ſtirpem impenſò quondam ſtudio, regiis hortis Palæſtina colebat; nunc Arabia, mercium odoratarum fertilitate beata, patrio gremio feliciter ſovet, atque educat. Perditam eam eſſe, vulgata dudum fama, etiam eruditis hominibus impoſuerat. Donec e Veneta nobilitate tot clariſſimi viri, qui Byzantio, Tripoli, Syriæ, & Cahiro ſubditis Sereniſſimæ Republicæ præfecti, ſalutarem Balſami lacrymam, in lucem poſtliminio reduxerunt, ut jam auſpiciis horum, in urbe ipſa Venetiarum, non in Muſeis tantum illuſtrium civium; ſed etiam publicis aromatum tabernis, longa annorum ſerie facile quærentibus obvia fuerit, atque etiamnum obvia nobis ſit. Quo mihi major illorum ingratitudo videtur, qui rem a tot ſeculis Veneto beneficio orbi Europæo redditam, & potiſſimum a Proſpero Alpino, Lycei veſtri Profeſſore quondam celeberrimo, ſcriptis abunde patefactam, auſi fuerunt obſcurare iterum, & ab officinis medicis,

—— ultra Sauromatas, & glacialem Oceanum

relegare. Idque dum Opobalſamo, partim notas aſſignant ejuſdem naturæ penitus repugnantes; partim rariſſimæ cujuſdam, & ineffabilis fragrantiæ ſpeciem induunt, nunquam tamen ſenſu narium ab iis perceptam. Itaque ſecutus veſtigia doctiſſimorum hominum, contra inſtandum, & utiliſſimæ reſinæ facultates ac ſub-

ſtantiam, ex veterum, qui accuratiſſime pleraque complexi, monumentis revocandam eſſe duxi. Non tam ut ſtabilirem, quæ nobiliſſimis Venetorum Conſulibus, atque Anteceſſoribus meis, rata probataque fuere; quam ut Rei Medicæ præſidium aſſererem, in propulſandis funeſtarum ægritudinum periculis inſigni virtute pauciſſimis poſthabendum; quoque Mithridatis & Andromachi ſaluberrima antidota, ſine virium evidenti detrimento, carere non poſſunt.

Quicquid eſt, in paucularum chartarum anguſtias contractum, oculis veſtris ſummittere non dubitavi. Neque ingratum fore arbitratus donum, quod per ſe non magnum, pondus ab animo meo accipiet univerſum. Dedi enim, quod hoc quidem tempore optimum habui in omni literario meo proventu. Cætera benevolentia veſtra commendabit, qua me publicis, geminatiſque Gymnaſii veſtri muneribus admotum, non prompte minus ſuſcepiſtis; quam conſtanter hactenus, & liberaliter foviſtis. Neque aliud de vobis mente præcipere debui, qui, invicta virtute Atlantes, cœlum patriæ ſuſtinetis, omnia pro Juſtitia prudenter, pro communi civium ſalute ſtrenue, pro univerſa Republica pie geritis; quique inter graviſſima Senatus onera, hunc ſaltem laborum fructum conſecuti eſtis, ut vos non publici tantum conſilii clariſſima ſidera; ſed etiam Sapientiæ penetrale, perfugiumque omnis doctrinæ ſeculum hoc fateatur. Numen illud veneror, ut ſervet ampliſſima rei Venetæ decora, annorumque ſemper renaſcentium felici ſerie diutiſſime proſperet.

JOANNES VESLINGIUS
LECTORI SUO S.

ACtum, ut ajunt, haud immerito agere videar, quod poſt laudatiſſimum Proſperum Alpinum, Anteceſſorem meum, de Opobalſamo ſcribere voluerim. Illoque ipſo, quod inclyta ſuaveolentibus ſylvis Arabia producit, & in hanc uſque lucem finitimis populis ſubminiſtrat. Vix enim quicquam eſt, circa balſamici ligni, ſeminis, ſuccique præſtantis naturam, & actiones, vel intellectu difficile, vel ſenſibus obſcurum, quod admota veluti clariſſima face, non ſic illuſtrarit, ut qui de tenebris adhuc, & caligine conqueritur, jure cum veteri dixerit Comico.

Τυφλὸν τά τ᾽ ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ᾽ ὄμματα.

Scripſerat P. Alpinus, tum ut Arti Medicæ deſideratum aliquot ſeculis medicamentum reſtitueret, tum eorum expectationi ſatisfaceret, quorum intererat, hiſtoriam ipſam Opobalſami, ſalutaris ſcientiæ cultoribus iterum innoteſcere. Invitarunt autem optimum virum, præcipue doctores ſui temporis pharmacopœi, ut Theriacam Mithridatumque compoſituri, (ſcilicet antidota quæ Opobalſamo deficiente non parum ab æſtimatione priſtina decedebant) palam factis legitimis ejuſdem notis, & natali ſolo, deinde excellenti hac reſina liberius uti, fruique poſſent. Miſcuerunt igi-

tur

tur Arabicum balſami ſuccum magnis alexipharmacis peritiſſimi quique, Veronæ Ioannes Pona, & Franciſcus Calceolarius, materiæ medicæ indagatores ſolertiſſimi. Bernardinus Cicala Brixiæ. Neapoli Ferrandus Imperatus, Rerum Naturæ ſcriptor indagatorque indefeſſus; Lucæ, Balthaſſar & Michael Campii, varia doctrina, artiſque pharmaceuticæ cognitione percelebres. Frequentius autem magnorum Hetruriæ Ducum lectiſſimi pharmacopæi: tandemque Romæ egregii viri, Vincentius Panutius, & Antonius Manfredus. Quorum hic Pharmacopolio præfectus, quod non tenui cenſu; ſed regiis impenſis, pauperum neceſſitati, inſtruxit Eminentiſſimus FRANCISCUS *Cardinalis* BARBERINUS: *beneficium illis exhibiturus, tanto magis cœleſte Deoque gratum, quanto propius divinam munificentiam, hoſtimenti nullius indigam, attingit.*

Ut mirari etiam ſubeat, uttunque paucis luſtris ab Alpini noſtri deceſſu exactis, iterum de Opobalſamo ſcribendum fuiſſe, impellentibus, tantumque non urgentibus pharmacopœis; quamvis ob cauſam occaſionemque omnino diſſimilem. Accidit enim, cum aliquot eorum Arabicam balſami lacrymam examinare conarentur, Proſperi Alpini fidiſſimo ductu, ſive Latini ſermonis inſcitia, ſive defectu libelli deſtituti, & vulgarium Dioſcoridis interpretum verbis inhærentes, ut circa liquoris balſamici ſubſtantiam, inhæſionem, maculæ inductionem, coagulationem, diſſolutionem, eos incurrerint paralogiſmos, ut rem incognitam damnare, falſi fictique inſimulare, non erubuerint. Graviore deinde affectuum impetu, ultra metam rectæ rationis abrepti, ſpreta clariſſimo-

morum Medicorum ſententia, virorumque induſtriorum exemplis inſuper habitis, Advocatos ſibi quæſiverint, quibus hic potiſſimum ſcopus propoſitus, ut Proſperi Alpini candorem, ſi qua poſſent parte ſugillarent, virorum in cognitione Opobalſami verſatiſſimorum ſenſum, ac voces eluderent; fidem etiam eorum ſuſpectam redderent, qui propius natales Balſam terras acceſſerunt,

Eoaſque domos Arabum

Summa, quibus nihil magis curæ eſſet, quam ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, *reique, incognitæ ſibi, quidvis potius tribuere; quàm quod ejus naturæ hominum peritiſſimorum conſenſus detulit.*

Subverterunt tamen has machinas, ſolida doctrina, virtutumque omnium comitatu clariſſimi viri, Petrus Caſtellus, Baldus Baldus, Balthaſar Bonannus, Franciſcus Perla, publicis ſcriptis Opobalſamum pharmacopœis incognitum aſſerentes. Quibus hæc, quæ veritatis tuendæ ſtudio ſuffragatum ſummitto, tantum cedunt,

Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

In iis tamen hanc mihi præcipue operam ſumpſi, ut oſtenderem, nihil a P. Alpino de Balſami ſtirpe, lacrymæque præſtantis vel criteriis, vel facultatibus, literis divulgatum fuiſſe, quod non Dioſcoridis, inter veteres de Opobalſamo ſcriptores τελείως ἀριστεύοντος, *doctrinæ optime conſentiret. Peregrino deinde Pitorio me pateſacerem, cui quæ de controverſo liquore*

testa-

teſtatus fueram, parum liquide conſtabant. Tuum erit, amice lector, æquiter omnia, & remoto, ut ditur, velo expendere; quum nobilis ea, de qua contentio eſt, reſina, haud ſecus, quam priſcum illud, ſacrumque طبب كعبن*, ex aromatis ſuavibus compoſitum unguentum, Deo, bonæque Valetudini conſecrata fuerit: quorum illum, atque hanc, ut propitiam habeas, ex animo voveo.*

IN VINDICIAS OPOBALSAMI

PERILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIMI VIRI

JOANNIS VESLINGII,

EQUITIS,

Et in Patavino Lyceo Anatomen, & Pharmacian in prima ſede profitentis,

ELOGIUM.

BAlſama odoratis demeſſa Orientis in oris
  Sacrilegæ Solymis ſurripuêre manus.
Cortice diſſecto jam non Opobalſama ſudant,
  Ulla nec in cornu gutta ſerena fluit.
Sic periiſſe putant pretioſum vulgo liquorem,
  Partus Idumei qui fuit ante ſoli.
Hunc tamen in lucem revocat VESLINGUS apertam,
  Nec ſinit in terris ligna beata mori.
Nempe iidem manant fragranti e ſtipite ſucci,
  Ploratu quondam quos ſua planta dabat.
Eja age, vir ſapiens, tibi fac durabile nomen,
  Ut longum durat Balſami amœnus odor.
Hoc Arabes, Indive ferant; tibi laudis odorem
  Hic liber ultra Indos, ultra Arabaſque feret.

Scipio à Grandimonte.

Prima Palæſtinæ ceſſantia Balſama ferro,
  VESLINGI calamo jam rediviva vigent.
Hæc Equiti dives Nilo dedit arma Cairus,
  Hæc Latio Solymis ille trophæa tulit.
idis plus oculis, quam famæ credimus uni:
  Inde licet famæ ſit quoque nata fides.
Redde novo meritos victori Roma triumphos:
  Innocuus t rbis præſtat in Urbe liquor.

Joannes Rhodius.

JO. VESLINGII
OPOBALSAMI
ANTIQUIS COGNITI
VINDICIÆ.

DUO ſunt, quæ res clariſſimas, uſuque maximas, ſpiſſa nocte involvunt. Incuria generis humani, & vana cura: quorum altera deſidiæ torpentis abortus eſt, altera prurientis ingenii morbus moleſtiſſimus. Diligentiæ quidem priſcorum acceptum ferimus, quod cùm alia, quorum poſſeſſio vitam nobis jucundam peperit, tum humanæ valetudinis præſidem artem, que paucarum olim herbarum ſcientia fuit, multiplici remediorum varietate locupletatam obtinemus. Nihil enim iis intentatum, nihil deinceps occultatum fuit, quod profuturum poſteris ſcirent. Conſumpſerunt inter experimenta ætatem, diuque virorum illuſtrium certamen viguit, ne quid emolumento ſeculorum conjunctum in obſcuro longiùs delitеſceret. Excitavit percepti beneficii magnitudo gratam poſteritatis memoriam, ut rerum utiliſſimarum inventores Deorum ſuperum numero miſcuerit, aut vitâm eorum cognominibus repertorum effecerit clariorem. Meritiſſimo ſane jure. Quis enim eſt, ut Lucretii verbis loquar,

Qui valeat tantum dictis, ut fundere laudes
Pro meritis ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit,

ſine quibus nec vivere hominem facile erat, nec valere jucundum. At incuriæ, deſidiæque diſpar genius, quæ cum veterno ſuo ante ſepulta ſit, quàm ſepulta, ſuam pariter atque alienam ſalutem ſloççi facit, & ne parata quidem alieno ſtudio bona a-

vet cognoſcere. Radiantem igitur in gemmis naturæ majeſtatem ignorat, quia non metalla tantum montium; ſed obvias etiam terræ glebas intactas relinquit. E nuce nucleum non adipiſcitur, quia frangere putamina piguit. Eadem infelicitatem bonis artibus invexit, dum tradita veteribus ſalubrium præceptorum ſemina turpiter abjicit, ut neceſſum deindè ſit, inter nitentia priſcorum culta, infelix dominari lolium, & ſteriles avenas. Verè Theophraſtus communem præ cæteris, magiſque evidentem rerum in pejus deflectentium cauſam eſſe negligentiam, πάντα γὰρ ὡς εἰπεῖν ἀπαγριοῦται. Omnia enim per hanc veluti agreſtia fieri. Atque utinam hoc tantum; nunc imminuuntur etiam, peſſundantur, abolentur. Augent è contrario calamitatem frivolæ mortalium, vanæque curæ. Quas enim turbas non excitat petulca mens, cum extra mundi convexa peregrinatur, laſcivitque circa ſacros myſteriorum ignes: cum dementium Aloidarum inſtar, in arcem divinæ providentiæ irrumpit, tantò citiùs fulmine peritura, quantò propiùs culmen cœleſte acceſſit. Nec minus in rerum naturæ contemplatione malè curioſus animus deficit, cum relicta ſenſuum, & experimenti conſultiſſima via, tantum ſcabra quædam, & confragoſa ſibi objicit, aut *ſpinas colligit*, languidum acumen inutili ſubtilitate exercentes. *Pejus operam ludit*, cum ſententias tantum alienas venatur, vellicat, pungit, jugulat: ignarus facilius eſſe magnorum auctorum cogitata ſubvertere, quam opiniones proprias aliorum judicio committere, ῥᾷον εἶναι τὸ ἀποσκευάζειν τοῦ κατασκευάζειν. Peſſime omnium exorbitat, cum carpit quæ non capit, præſtantiſſimiſque auctoribus ſtuporem ſuum impingit: cum è tribunali & veluti roſtris pronunciat, de re nec fideli ſenſu, neque experientia cautâ ſatis expenſâ. Idque vel eo periculoſius, quo fœdius vel invidiæ, vel avaritiæ virus corruptis affectibus illevit. Hoc itaque præſide ſi petenda nobis ſuffragia ſunt, periit Balſamum, & pretioſæ ex eodem lacrymæ,

Quas ungue duro ſaucius quondam pluit
Ægyptius fragrante cortex vulnere.

Periit odora ſuavitate, virtutumque æſtimatione excellens medica-

camentum, adeoque virium ſuarum diſpendium incurrunt nobiliſſima veterum antidota, potiſſimùm illa quæ, ob θηρία quæ recipit, auxiliumque θηριοδήκτοις collatum, haud immeritò Theriacæ nomen ſortita eſt. Quorum illud, vereor ut in parentem Naturæ maximum optimumque injurioſum ſit: hoc in graviſſimis morbis periclitantium ægrorum diſcrimine conjunctum. Quamvis enim deleto imperii Romani nomine, Perſarum, Turcarumque violenta manu, quicquid Palæſtina aut religione venerandum, aut utilitate ſuſpiciendum poſſidebat, miſerabili exemplo peſſum iverit, nec diſſimile fatum propinquam Ægyptum preſſerit; adeoque non abs re mentes hominum inſederit opinio, deletas pariter fuiſſe eximias Balſami plantas, quibus excolendis (ob lucrum quod in publicum exindè fiſcum redundabat) quamvis paucis in hortis, ſingularis impendebatur induſtria. Factum tamen eſt, mitigatis cœleſti benignitate calamitatibus, ut viri, pietate & genere inſignes, Palæſtinam atque Aegyptum peragrantes, commentariis itinerum, Balſami nomen, veluti Lethæis ereptum undis, hominum iterum memoriæ commendarint. Ipſi quoque proreges, rectoreſque provinciarum, principum Chriſtianorum legatis balſamicæ reſinæ ſuavitatem haud inviderint, ſecumque deinceps in patriam detulerint variarum ex Europa nationum nobiles præfecti, in Syria & Aegypto negotiorum cauſa degentium. Summam tamen opem, jam vulgi perſuaſione exemto rebus humanis Balſamo attulerunt viri, materiæ Medicæ ſtudioſi, qui poſthabitis vitæ, ſumptuumque diſpendiis, plantam Balſami, aut *in horto Matahariæ* Aegyptio cultam, aut ex recenti natam carpobalſamo viderunt, viſamque curioſè *deſcripſerunt.* Inter *hos Petrus Bellonius Cenomanus*, Franciſci *Primi Galliarum Regis munificentia digniſſimus*, qui cognoſcenda *metallorum, plantarum*, animantiumque natura veluti œſtro percitus, *Græcia, Aſia* minore, Syria, Aegyptoque perluſtratis, Balſami natale ſolum, plantæque germinantis habitum, & formam utiliſſimis itineris obſervationibus poſteris *divulgavit.* Notarat eandem in Aegypto Melchior Guilandinus, Boruſſus, eruditione, vegetabiliumque peritia ſeculi ſui

decus, quem, piratis Mauritanis ſubductum, dignum habuit ampliſſimus Venetus Senatus, quem in Patavino Gymnaſio Rei herbariæ præficeret. Natas è carpobalſamo plantas alebat in Creta Honorius Bellius, eximius Botanicus, quas Carolo Cluſio, alteri Belgarum Cratævæ, curioſè deſcribit. Palmam tamen in hoc ſtadio currentibus præripuit Proſper Alpinus Maroſticenſis, in Patavino Athenæo Guilandini ſucceſſor laudatiſſimus. Nam cum ſub Illuſtriſſimo Georgio Hemo, Venetæ nationis conſule, triennium ultra in Cahiro Aegypti medicinam faceret, plantas è recentibus Balſami ſeminibus natas, ſingulari animi voluptate coleret, allatumque quotannis Opobalſamum ad ſenſuum rectæque rationis trutinam diligenter expenderet, quicquid olim inter principes veterum botanographos, Theophraſtus & Dioſcorides fando acceptum, atque ex his alii porrò monumentis literarum conſignarant de balſami liquore, ad normam revocavit, hiſtoriamque totam diſcuſſis ambiguitatum nebulis in clara luce repoſuit. Jamque per Italiæ tractus peritia medicamentorum, & induſtriæ laude clariores pharmacopœi, adepti ex Arabia Opobalſamum & examine Medicorum præſtantiſſimorum probatum, multis ab hinc annis, omiſſo ſuccedaneo, regiis antidotis miſcuerunt. Secuti laudabile horum exemplum in urbe Roma Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, primarii, ſpectatæque fidei aromatarii, & allatum ex Arabia balſami liquorem, à præſide, conſiliariiſque clariſſimi collegii Medici, tum quatuor urbis archiatris, aliiſque ſimplicium medicamentorum periſſimis viris exploratum prius, ac laudatum, Theriacæ miſcuerunt. Poſtquam confecta eſſet fama ſalubritatis expetita plurimis antidotus, irruere ecce pharmacopœi aliquot, & permiſtum Theriacæ Opobalſamum, falſum fictitiumque clamantes, compoſitionem apud Pontificem Maximum infamare, & tanquam picea transfixi Pythonis ſanie corrupta fuiſſet, projiciendam, Vulcanoque tradendam expetere, partim invidia alienæ proſperitatis lividi, partim metu agitati, ne paratas domi ſuæ Theriacas vilior titulus, adeoque difficultas emptoris antiquaret. Amoliebatur frementium proterviam ſummus Anti-

tiſtes, quæque ſingularis ejus prudentia fuit, judices cognoſcendæ cauſæ viros delegit, quos faciendæ Medicinæ dexteritate, virtutumque omnium ornamentis præcipuè cognitos habebat. Docere voluit incautos, non theologam ſed medicam eſſe controverſiam: neque litigioſis diſceptationibus in Themidis foro implicandam; ſed frequenti, ſedulaque rerum ambiguarum inſpectione, atque inter ſe comparatione dirimendam. Imò non alios ſibi quærere doctores pharmacopœos debere, quam à quibus materia componendorum ipſis præſcribitur, & ratio pariter modusque miſturæ præcipitur. At illos, archiatrorum ſuorum auctoritate ſpreta, jam in gurgitem contentionum detulerat turbidus animus, adeòque amiſſo melioris conſilii arbitrio, ne ſine cortice deinde natarent, patrocinium Stephani de Gaſparis Medici Romani impetrarunt. Hic autem in re ſibi incognita, funditùs ſubruenda, quantum veri, juſtique finibus exceſſerit, unius Franciſci Perlæ, Medici Romani, docta pariter, atque elegans diſſertatio, & phyſicarum oppugnationum propulſatio, clariſſimè demonſtrat. Imò ne ſoli in hoc controverſiæ freto natarent Opobalſami delatores, tres item pharmacopœos Venetos ad ſuffragium ſibi ferendum impulerunt, quos cum Petrus Caſtellus, in Mamertinorum Academia Sicula primarius rei Medicæ profeſſor, acrius invaderet, eorumque Theriacis inclementer diceret, ne vox & latera deeſſe viderentur, à Peregrino Pitorio Medico advocationem quæſiverunt. Qui dum ex virorum doctiſſimorum ſcriptis, Opobalſamum falſum, fictitiumque eruere conatur, *Epiſtolas* quoque meas ad Baldum Baldum in Romano Gymnaſio practicæ Medicinæ profeſſorem clariſſimum, quarum una natalem hoc ævo balſami terram, illiuſque varietatem retuli: altera, probatum ab ipſo Opobalſamum, legitimum teſtabar, ſic obvertit, contraque ſenſum meum detorquet, ut me non legitimum, ſed terebinthina vitiatum, & communi tantum Opobalſami nomine ſubornatum ſuccum aſſeruiſſe perſuadeat. Huic ut paucis me declarem, partim Medicæ facultatis emolumentum exigit, cui remedii utiliſſimi, de quo agimus, acceſſio debetur; partim fides, quam prudentiſſimis achiatris, in-

liquoris accuſati probatione ingenuè datam, pari conſtantia inviolatam conſervabo, Aeternum illum bonorum omnium auctorem teſtatus, verique conſciam mentem, me nihil hic, vel amicitiæ, vel precibus dediſſe; ſed inſcitia aliquot pharmacopœorum abjectum liquorem, jam ante inter Arabes à me ſæpius obſervatum, & examinatum, poſtquam cunctis decenter notis exploraveram, verum, legitimumque Opobalſamum pronunciaſſe. Proponam autem prius quid annos ultra quinque; dum in Aegypto ſub Illuſtriſſimis viris Aloyſio Cornelio, & Joanne Donato, Venetorum Conſulibus, liberali ſtipendio medicinam feci, de Balſamo, ejuſque liquore cognitum mihi fuerit, tum quod hic ipſe receptum antiquitùs Opobalſamum ſit, ex optimorum apud priſcos autorum ſententia, poſt eximium anteceſſorem meum, Proſperum Alpinum, brevibus ſubjiciam.

Eſt itaque plantæ Balſami natalis tellus Arabia, odorifera illa, dives, ac beatæ cognomine olim inclyta. Odorum enim ea circumfluit copia, ut faſtidium incolis pariat aſſiduitas voluptatis, imo καρηβαρίαν, gravedinem inferat capiti, quam priſcos Aſphalti nidore & tragopogone diſcuſſiſſe refert Strabo, eoſdemque reges ſuos παρὰ τοὺς κοπρῶνας, circa ſterquilinia ſepeliviſſe. Divitias accumularunt auri glebulis, Beryllo Smaragdoque junctis, quibus metalla in confiniis ſcatebant. Potiſſimùm verò deſideratæ Europæis populis mercis ingenti pretio, qua juxta cum Indis, & Seribus, minima computatione, millies centena ſeſtertium millia, annis omnibus Imperio Romano adimebant. Beatam faciebat, ut ſeriò conqueritur Plinius, hominum etiam in morte luxuria, cum honori cadaverum acervatim congererent, quæ Diis per ſingulas micas dabantur. Excitabat hæc ejus felicitas, avidam apud ſummos dynaſtas, imperii dominiique ſitim. Alexander Macedo, ab Indis redux, Arabiam ſedem ſibi regiam conſtituere decreverat, jamque illius invadendæ prætextus dabatur, utcunque levis, ἐπειδὴ μόνοι τῶν πάντων οὐ πρεσβεύσαιντο οἱ Ἄραβες, quod ſoli inter omnes, haud oratores miſiſſent Arabes, ſummiſſionis aut amicitiæ nuncios. Vexabat eadem Auguſtum Cæſarem cupiditas, qui cum exercitu mittebat Aelium Gallum, ut regionem, &

gen-

gentem perquireret, cum ſpem aleret certam, aut divitibus ſe amicis uſurum, aut hoſtes ſuperaturum intactis opum theſauris celebres. Nec voto tamen potitus Cæſar, quum Sylæus Nabatæorum legatus, patriæ, propriiſque rebus ſtudens, Aelium per ambages duceret, atque à præda quam inhiabat abduceret. Strabo incolas μέγιστον ἔθνος, gentem maximam non injuria appellavit. Equidem ruente jam mole ſua Romanorum imperio, quantum illius ex adverſo gloria ſe protulerit, notum eſt ex hiſtoriis. Conſtantem Byzantii imperatorem prælio profligarunt, Irenem, & Heraclium tributa ſibi pendere coegerunt, cum Syria, & Palæſtina primò, hinc Perſide, atque Aegypto potirentur. Sub Abdalla Duce Africæ maritima, ſub Muza Hiſpaniam domarunt, vix integro ſeculo magnis triumphis Europæ univerſæ formidabiles. Quamvis autem Tomumbejo ultimo Aegypti, Syriæque rege à Selimo Turcarum imperatore deleto, Arabes quoque ſub validam ejus manum conceſſerint, retinent tamen eximia priſcæ virtutis documenta. Duodeni anni ſunt, ex quo inſatiabilem proregum avaritiam exoſi, jugum Thracicum excutere auſi fuerunt; bis, dum in Aegypto perſiſterem, fruſtra bello petiti. Poſſederunt olim aromatum pretioſorum omne genus, ſedulo cum propinquis Indis, & Aethiopibus commercio. Potiſſimùm autem odoratis in ſylvis, collibus, montibuſque propriis, Myrrham, atque ex eadem contuſa modicè ſtillantem liquorem, veteribus ideò Stacten dictum. Maximè Olibanum, cujus primos omnium Arabes commercium feciſſe refert Plinius, tum بلسان Balſan ipſis dictam plantam, Græcis ſcriptoribus βάλσαμον, Balſamum. & ex ea collectam ſingularis ſuavitatis reſinam, quam دهن بلسان dohen balſan nominant, pingue quid ex balſamo, lentum, inungique aptum innuentes. Græci ſimpliciter Ὀποβάλσαμον, Opobalſamum nuncuparunt, ſive Balſami ſuccum, vocabulis deinceps à Latinis retentis. Naſcitur, non in παραλίοις maritimis tantum, ut Strabo prodidit; ſed etiam mediterraneis, editis, planiſque locis, ſine cultu, & cura hominum frequentiſſima. Ut Larimnum taceam, Straboni εὐωδέστατον θυμίαμα, ſuffimentum ſuaviſſimum, herbaſque alias

inſigni fragrantia ſenſum narium demulcentes, quas ob habitum, moremque ſoli ſingularem, nobilis peninſula producit. Sedulam tamen Arabes ab omni ævo dederunt operam, ne ſtirpium apud ſe odoratarum notitia ad exteros pertingeret: idque palam eſt in ſolo ture, cujus licet maximum proventum ad provincias vicinas extruderent; arborem tamen ejuſque cultum ſtudioſè celabant, cum tanquam Numini ſacram venerarentur, certiſque tantum, ac religioſis familiis inciſionem caudicis committentes, ne conſpectum quidem ejus profanis indulgerent. Hinc ille circa turiferæ arboris faciem veterum ſcriptorum diſſenſus, aliis eam folio pyri, terebintho aliis, aliis lentiſco ſimilem tradentibus. Juba Rex, iis voluminibus, quæ ſcripſit ad C. Cæſarem Auguſti filium, fama Arabiæ, ut loquitur Plinius, ardentem, eandem arborem intorti eſſe caudicis retulit, ramiſque aceris Pontici; quæ omnia ex Arabia venientes legati incertiora fecerunt, utcunque virgis arboris in Italiam commeantibus. Nec minor veterum de Myrrha diſcrepantium ſententiarum conflictus obſervatur. Arborem ejus Juba Oluſatri ſimilem tradidit, nonnulli Junipero compararunt. Folium quidam olivæ contulerunt: liquorem ipſum myrrhæ è turifera arbore prodire memorabant. Ut haud immeritò expreſſa Plinio vox ſit: „Res in Arabia geſſimus, & arma Romana in magnam ejus partem penetravere. C. Cæſar, Auguſti filius, gloriam „indè petiit, nec tamen ab ullo, quod equidem ſciam, Latino „facies arboris tradita eſt.„ Eandem in cognoſcendo Balſamo difficultatem experti fuere veteres, cum jam ad Judæos, & Aegyptios tranſlata planta, regiis tantum in hortis impenſo ſtudio coleretur. Hodiè, quando Chriſtianos, non propter animi curioſi ſagacitatem; ſed religionis diſſidium, hoſtili affectu perſequuntur, quis ſperet, quicquam apud Arabes accuratiùs ab iis perveſtigari poſſe? Vix Solymis liberius oculos circumtuliſſe advenæ Chriſtiano impune ſit; quantò minus in regione illa, quæ Mahometis incunabulis, & ſepulchro, venerabilis præcipuè ſectæ ipſorum habetur. Cœtus peregrinantium hominum, etiamſi communibus ſacris addictorum, denos ultra dies apud ſe non ferunt; adeòque ne diutius ſubſiſtant, pu-

blico

blico Setiffi edicto faceſſere jubentur. Primum Balſami plantas è patrio ſinu ad exteros detuliſſe ferunt, Sabæis Arabibus imperantem Reginam, cum eas Salomoni, ſapientiæ fama longè clariſſimo regi, inter alia pretioſa munera dono daret. Cujus rei cognitionem, etiam Joſephi Hiſtorici ævo, nondum memoria Judæorum temporis diuturnitas exemerat. Attamen erraſſe largiter Joſephum contendunt, quod imperatricem Sabæorum, γυναῖκα βασιλεύουσαν τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Αἰθιοπίας, regnantem apud Aegyptios & Aethiopes mulierem ſcripſerit, quum neutra harum regionum aromatum divitiis, auri, gemmarumque metal*lis* olim claruerit. Neque Aegyptus in اتاصي البوهي finibus terræ priſcis cognita ſit, unde reginam il*l*am veniſſe perhibet ſcriptura. Neque Aethiopia, quæ in Africa ad Auſtrum, & Occidentem ſe porrigit, Balſami unquam productione celebris fuit. De Aegypto Joſephum difficulter excuſem; facilè de Æthiopia. Hujus enim nomen commune eſt locis omnibus ſub fervido Sole poſitis, quibus, ut Cari noſtri verba uſurpem,

Degunt nigra virum, percoctaque ſecla calore.

Itaque veri ſimile eſt, ad Aſiaticos reſpexiſſe Joſephum, non Africanos Aethiopes, quibus Arabes illi εὐδαίμονες haud accenſentur. In ſacris utique ſcriptis, Græci codices Imperatricem illam, βασιλίσσαν νότου, Reginam Auſtri deſignant; ſed Judææ reſpectu, idque communi Aethiopibus terrarum ſitu. Preſſiùs autem Arabum libri الملكة التيمن, meliket el tiamen, Reginam Tiaman, ſive Jaman nominant, qua appellatione etiamnum, Arabia Felix omnis, & præcipuè qua parte ad latus Mech*æ* dextrum ſe diffundit hodie gaudet. يمين Jemin *enim dextram ſignificat.* Iterum Arabibus Balſami ſtirpes ſubduxit Caitbe*jus,* quibus hortum Aegyptium Matha*riæ* exornaret, Arabia tota bello domita, ut recentiore annalium fide perhibetur. Hunc proreges deindè Aegypti plures ſecuti, pro ut ſingulos aut curioſitas humani ingenii, aut omnia involandi aviditas impul*it.* Colle*ctum* è Balſamo ſuavem liquorem, ab antiquiſſi*mis ſeculis*, ad Perſas, & Syros ante detulerunt Arabes, quam in Regios Palæſtinæ, atque Aegypti hortos planta recepta

fuit: adeoque nobile illud vulneribuſque levandis expetitum יצרי ſeri, quamvis communem reſinæ ſignificationem præ ſe ferat, à montibus Gilead (non ſemel annuentibus divinis literarum monumentis) aliis cum mercibus in Palæſtinam aſportatum, hoc ipſum ex Arabia profectum Opobalſamum fuiſſe, claris auctoribus perſuaſum eſt. Ibant ex Arabia Felici mercatores frequenter Damaſcum; nec longius a Sabæis ad ipſum Hierichuntis φοινικῶνα, ſeu palmetum, quàm dierum quinque iter, metitur Strabo. Cur autem Theophraſti ævo, & vigentibus imperii Romani rebus, Balſami curam ſuſque deque habuerint Arabes, in obſcuro vetuſtas premit. Probabile tamen eſt, cum & Theophraſto ſuperſtite, in Syriæ Palæſtina ſtudioſè jam excoleretur, & Cæſarum tempore Balſamum ſereret fiſcus, neque unquam numeroſior ante planta fuerit: imò ſic propagatos in Iudæa balſamiferos παραδείσους afferat Solinus, ut latiſſimis etiam collibus Opobalſamum exciperetur: adeoque ab Arabibus non amplius peteretur, aut operæ pretio merito vendi inter Aegyptios, Syroſque non potuerit, ab iiſdem ad Perſas, Indoſque propinquos fuiſſe delatum. Quin, cum ex aliis odoratis mercibus abundè quæſtus afflueret, contingere potuit, ut labori parum utili ſuperſederint Arabes, qui tenui lentèque mananti lacrymæ, circa ſingulos rāmulos ſub ardenti ſole colligendæ, atque abſtergendæ impendendus erat, præſertim cum, auctore Strabone, ἀργοὶ καὶ ῥάθυμοι τοῖς βίοις, ſegnes eſſent Arabes, vitamque curis & moleſtiis ſejunctam agerent. At mutarunt ſe deinde rerum memoriæ. Nam, ut ſuperius memini, cum gravi bellorum turbine, tum Palæſtina, tum Aegyptus affligeretur, jamque perditis cultoribus, alieno in ſolo non infeliciter hoſpitatæ Balſami plantæ, penitus periiſſent: excitavit iterum Arabes ad cultum pretioſæ ſtirpis, amiſſi proximis in provinciis Opobalſami deſiderium. Longè verò magis, ex quo tempore crebris Luſitanorum, Belgarum, Anglorum, in ſinum Perſicum navigationibus, maximam partem in Europam avehuntur gemmæ, & aromata, quibus Syriæ, & Aegypti emporia quondam Arabes ditabant, indigenis mercibus, gummi, olibano, mirrhæ, balſamoque diligentiorem operam navant. Has quocunque

poſ-

poſſunt pretio, Perſis, & Meccam, quotannis commeantibus mercatoribus divendunt. Concurrit in Ægyptum è variis imperii Turcici regionibus, ingens hominum multitudo, ut ex veteri inſtituto, ſolennem verſus Meccam peregrinationem celebret, adeòque حمل الكسوة deportationem veſtis. Sic enim apellant ex ſerico viridi, auroque pictum undique velum, quod præter alia ad Seriffum munera Byzantio mittit Imperator, ut Mahometis in Medina ſepulti monumentum cingatur. Init profectionem Caravana, ſive cœtus peregrinantium, die decimo poſt Ramadani menſis *feſtum*, quadraginta in abitu tranſigens, totidemque *in reditu*. Defert ſecum in Cahirum Aegypti veſtem Mahometis veterem, cujus pars Byzantium ad imperatorem remittitur cum muneribus; partem prorex Aegypti ſumit, atque inter proceres urbis dividit. Inter alias autem merces, & textiles è Xylo ſericoque ſubtiliſſimos pannos, Opobalſamum afferunt mercatores, Balſamique fructus, & ramos. Simplici omnium, & conſtanti aſſertione, a quo tempore Selimus Imperator in Aegypto atque Arabia rerum potitus eſt, nullo non anno feſtiva ea peregrinatione, tum præpotentibus Turcarum monarchis, eorumque præfectis Opobalſamum à Seriffo transmitti, tum in Mecca, & Medina, à quàm plurimis emptum, in ampliſſimi imperii urbes nobiliores deferri: quæ mihi quidem, & quotquot jam diu exactis annis in Cahiro Aegyptio degerunt Europeis hominibus certiſſima ſunt. Ramuli Balſami quos عود البلسان lignum Baſami, adeòque cum Græcis ξυλοβάλσαμον appellant, teretes ſunt, & recti, nodulis inæqualiter obſiti, externo corticis colore ſubrubro, interno viridi, ligno candicante, medulloſo, ſuavem Opobalſami odorem arttriti fractique reddentes. Quamvis illius, dum ſub inclementi ſole longo advehuntur itinere, multum ante reſolvitur, quàm in Aegyptum ramuli perveniant: plurimùm, antequàm in Europam: niſi recenter empti, ex Alexandrino portu ſecundantibus ventis citiùs adducantur. At fructibus, quos حب البلسان, baccas Balſami, adeoque καρποβάλσαμον nuncupant, ſingularis eſt magnitudine figura, coloreque cum Terebinthi fructibus ſimilitudo. Calyculo innituntur exili, à ro-

totundo ventre in utrumque extremum leviter attenuati. Membrana velantur exterius nonnihil ſtriata, fuſcoque rubòre decolorata, exili: reliquis indumentis denſioribus, ſub quibus ſemen aſſervatur, flaveſcente melleoque ſucco uberatum. Linguam guſtantis blando amarore atque acrimonia vellicant, & ſuavi Opobalſami halitu odoratum demulcent. Rugoſior ſeneſcentium facies, jamque exhauſto vetuſtorum liquore, ferè inanes intus folliculi deprehenduntur; jucundo tamen ſi terantur odore, conſumpti ſucci grata veſtigia diutius manifeſtant. Afferuntur hi fructus nonnunquam ſatis integri, ut non in Aegypto tantùm terræ commiſſi germina promant; ſed in hoc pariter inferioris Italiæ tractu, non ſemel plantas aliquot dederint Danioto noſtro, diligenti feliciquе ſtirpium exoticatum cultori, cum Illuſtriſſimi Dominici Mori Tarviſinum prædium, plantis lectiſſimis exonaret. Viderunt apud ipſum vegetam Balſami ſobolem, Eminentiſſimus Cardinalis Aldobrandinus, Petrus Aſſelinæus, & Gulielmus Sohierus, ille medendi peritia, hic Attica eruditione, florumque venuſtiorum ſtudio non è multis, manantem è folii decerpti pediculo fragrantem liquorem odorati. Conſpectum mihi optimæ notæ Opobalſamum, antequam in Orientales proficiſcerer provincias, Venetiis, apud Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Joannem Juſtinianum, nunc pro Sereniſſima Republica Veneta ad Ferdinandum tertium Rom. imperatorem legatum. Apud Pompejum Sprechium, virum optimum, atque inter Venetos aromatarios pertiſſimum. In Aegypto deinde apud Othomanum Abutalibem, Muſtafæ proregis vicarium, quod eo ipſo anno dominus à Seriffo Arabum dono acceperat. Reſina autem erat liquida flaveſcens, pellucida, odore ſupra terebinthinam, eximiaque ſuavitate grata. Sinceritatem ejus, an adhuc illibatam judicaret, cum ſciſcitarer, guttam liquoris, aquæ amplo in vaſe detentæ, inſtillabat, quæ momento diſparens, mox tenui atque albeſcente pellicula, ſuperficiem totam obducebat, quam cultri cuſpide iterum collectam educebat totam, ſpiſſiorem, inodoram, & manifeſto coloris diſpendio lacteſcentem. Frequentius porrò ſingulis

his annis ex Arabia delatum in Cahiro vidi, & examinavi, præcipue facem prælucente Illuſtriſſimo civium Venetorum conſule, Aloyſio Cornelio, viro cum antiquitatum Aegyptiarum diligentiſſimo inveſtigatore, tum Opobalſami, quod ſæpius in patriam mittebat, acri pariter, ac docto cenſore. Deferebatur à mercatoribus in lagenis, quibus derepentè apertis, qui nares admovebant, prodeuntem à liquore acrem halitum, vix præ moleſtia ſuſtinebant. Hujus quod ſuperiora vaſculi occupabat, tenuius ſemper, liquidius, clariuſque notavi; idque ſejunctum a partibus reliquis, vitroque puro conſervatum, halitu mox gratiore ſe commendabat. Minus clarum, ac tenue, quod medio vaſis continebatur, eoque minus adhuc, quod fæcibus proximum, nidore quodam injucundo fragrantiam odoris violabat. Legitimum ſincerumque judicabatur Opobalſamum, cujus gutta aquæ indita, mox per ſummum ejus tenuem in telam expandebatur, ſtyli deinde acumine integrè recolligebatur, evidenti pallore lacteſcens: quod odorem cum allati recenter Balſami fructibus, & ramulis eundem ſpirabat, amarore, & mediocri acrimonia linguam guſtantis perſtringebat. Cujus gutta lacti inſtillata, per ſuperficiem celeriter diffundebatur, cumque ſtylo revocaretur, concreti ſecum lactis portionem ducebat. Denique veſte excepta gutta, quo primùm inſederat orbe perſiſtebat, neque in latum profundumque ſe ſpargebat, ſicque vel humida etiamnum, tepidâ ſubindè admotâ, frictuque leni tollebatur, vel ſiccata, digitorùm impulſu abſcedebat. Hoc non Veneti tantum noſtri; ſed Galli, Siculi, Angli, Belgæ, confidenter ſibi comparabant, cum non aliud, meliuſve foret, quod Theriacæ miſcebant Medici, qui in Moreſtano Cahiri pro imperatore Turcarum antidotum Andromachi componebant. Impellebat eos præcipuè quod ad virulentos ſerpentium morſus nihil efficacius pollere uno ore teſtarentur Arabes, apud quos frequentes eſſe has feras, ϗ δῆγμα ἔχοντας ἀνήκεστον, præter alios è verteribus, Strabo prodidit. Ad peſtilentis utique veneni vim, aut abarcendam, aut domandam, haud ſcio, utrum hoc ipſo, de quo loquor, balſami ſucco, inter magnates Aegyptios, vel

uſu

uſu receptiùs, vel æſtimatione majus quicquam fuerit, cum nullo non anno, vel Tunetenſium, vel Byzantinis triremibus, Alexandriam primò, deindè & propinqua in oppida, lues inveheretur. Aſſumunt, aut ſimplicem liquorem, aut quod utilius eſt, pulvere probati adverſus peſtem medicamenti, largiore doſi permiſtum. In publicum prodeunt, nares eodem, & pectus, ſive præcordia delibuti: adjectoque Agallocho, & ambra, hypoglottides parant, quas ore diutius circumferant.

Mihi quoque volupe fuit, cum medicinam inter Aegyptios facerem, grato hoc, & familiari proceribus medicamento, frequentius uti. Expertus autem ſum eximium, & ſalutare, ad graves lienis, renumque obſtructiones ſummovendas. Ad impediendam, ſiſtendamque pulmonum putredinem maximè profuit, ſyrupo ſymphyti maculoſi dilutum, & arteriæ aſperæ crebro linctu inſinuatum. Compertum mihi idem ſucceſſu ſingulari, in Al Manſore equite Arabe, diuturno renum ulcere laborante, cum id florum hyperici, roſarumque pulvere denſatum, boli forma ſumeret. Quantum purgandis, glutinandiſve vulneribus Naturæ opitularetur, magnis experimentis, etiam in vulgo percrebuit: noruntque rem optimè ludiones Ægyptii, cum ſtipem à plebe, horridioris ſpectaculi motu facilius impetraturi, laterum, brachiorum, pedumque cutem, plurimis hinc inde ſagittis ſibi tranfigi patiuntur. In variis denique chronicis morbis quid præſtet, & quibus in cuticulæ cura blandiatur, Proſper Alpinus libro de Plantis Aegyptiis, pluribus complexus eſt.

Hunc itaque tam excellentem liquorem, à Mauro ſibi oblatum è Mecca redeunte, pretio admodùm tolerabili, emit in Cahiro vir honeſtiſſimus Coſmus de Nigris, per annos viginquatuor Venetæ nationis in Aegypto pharmacopœus, integritate vitæ & artis ſuæ peritia inſignis, quippè cui penitiſſimè cognitum erat, hunc eundem eſſe Balſami ſuccum, quem tot exactis annis clariſſimi Venetæ, Gallicæque nationis conſules, & eorum Medici, modis propoſitis prius examinatum, patriæ proceribus, & amicis tranſmiſerant. Venetias reverſo Coſmo,

mo, non opus erat de hac nobili merce, ſuſpenſa, ut aiunt hedera: protinus enim emptorem nactus eſt, à quo deinceps Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, pharmacopœi Romani, Opobalſamum hoc, in theriacæ componendæ uſum conſecuti ſunt. His verò concinnata jam antidoto, quas turbas dederint invidi æmuli, tetigi ſuperius. Quorum ob pervicaciam factum eſt, ut tantum non projecti cum theriaca liquoris partem, opera reverendiſſimi Epiſcopi Tomaſini, Patavium ad me curaret Baldus Baldus, vir animi, ingeniique cultu laudatiſſimus. Poſtulabat, ut poſthabitis amicitiæ lenociniis, quid de liquore judicarem, libere, & confidenter proferrem.

Mihi nefas viſum eſt, æquiſſima petenti, obſequium haud præſtare, correptamque avidè, quamvis etiamnum familiarem oculis, naribus, & palato lacrymam, obviis mihi domi, & apud amicos, balſamicis reſinis comparavi, & poſtquam notis omnibus ad amuſſim exactis, animi ſententiæ reſpondere comperi, legitimum Arabici balſami ſuccum, ipſumque adeò cognitum antiquis Opobalſamum pronunciavi, & ob eandem tum ſubſtantiæ, tum qualitatum facultatumque rationem in præſenti publicè pronuncio, & obteſtor. Ut autem è ſolidis ducam fundamentis, idem eſſe Arabum, & quod priſcis innotuit Opobalſamum, Dioſcoridem veluti Cynoſuram ſequar, Galeno judice, τῶν περὶ ἰητρικὴν ὕλην σπουδασάντων οὐδενὶ δεύτερον, eorum qui circa materiam medicam verſantur, nemini ſecundum: eodemque auctore omnia perfectiſſimè complexum. Utpote, qui ſingulis notas addiderit, quibus probatiora a vilioribus maximè diſtingui poſſunt. Non deflexit ab hoc ſidere oculos Abenſina, inter Arabes ſive numine, ſive nomine verè quondam princeps: quamvis barbarus ejus interpres, plurima vitioſè Latinè tranſtulerit, nulla non interpolaverit, quædam negligenter omiſerit. Dioſcorides itaque libri primi de materia Medica, capite decimo & octavo ſic infit,

Βάλσαμον τὸ μὲν δένδρον κατὰ μέγεθος λυκίου, ἢ πυρακάνθης βλέπεται.

Hh *Bal-*

Balſamum quidem arbor, ſecundum magnitudinem lycii aut pyracanthæ cernitur.

Natum apud Arabes Balſami nomen, apud quos nata planta, neque à Syris, Aegyptiis, Græcis veteribus, ac Latinis alteri propriè ſtirpi tributum fuit. Recentiores tamen, audaculi nominum uſurpatores, & alpeſtre ledum, & æmulos præcipuè Opobalſami liquores ab Indis petitos, & quicquid oras vulnerum efficaciter jungit, ſive ſimplicis naturæ ſuccus, ſive miſtus ſit, balſami nomine inſigniunt. Arborem aſſerit balſamum Dioſcorides, & ante ipſum Theophraſtus, ſed exiguam, & fruticis potiùs humilitate *ſummiſſam*, *utpote*, *quæ* Lycii aut pyracanthæ altitudinem, id eſt, pauculorum cubitorum menſuram haud excedat. Abenſina, قامتها قامة شجرة العضض, altitudinis arbuſculæ Lycii tantum meminit.

Tale Arabicum noſtrum eſt, ut confirmant quotquot illud in natali terra conſpexere, adeoque verè Strabonis ſenſu φυτ̀ θαμνῶδες, planta fruticoſa, ultra liguſtri, aut cytiſi adoleſcentiam ſeſe non extollens. Magnitudinem tamen variat, non alimenti ſolùm ubertas; ſed etiam cultus, atque, ut Theophraſtus ſuggerit, ἡ τ̃ ῥάϐδων τομὴ, ramorum amputatio: quum fieri nequeat, crebrius coercitis frondibus; ut ſatis ſeſe explicet plantæ germinantis impetus. Subjicit porrò Dioſcorides.

Φύλλα ἔχον ὅμοια πηγάνῳ, λευκότερα δὲ πολλῷ, καὶ ἀειθαλλέςερα.

Folia habens ſimilia rutæ, candidiora verò multo, & perpetuò magis virentia.

Comparatio foliorum balſami cum rutâ, optimè in Arabicam plantam expetit. Fundamentum ſimilitudinis, partim in ordine foliorum locatum eſt, partim magnitudinis diſparitate. Impar enim eorum conſeſſus eſt, ternorum, quinorum, ſeptenorum, tum extremum cauliculi ſui quod occupat, cæteris amplius eſt, à quo reliqua ex oppoſito ſe ſpectantia, quò remotiora ſunt, eò contractiora ambitu cernuntur. Forma ipſa foliorum à rutaceis aliena non eſt; rei tamen herbariæ periti qui

qui oculis uſurparunt ſingularem in ea cum terebintho, & lentiſco convenientiam deprehenderunt. Colorem in foliis ruta multò candidiorem aſſerit Dioſcorides. Theophraſtus ſimpliciter ἔκλευκον, exalbidum: Abenſina لضربها الي البياض vergere ad albedinem ſcripſit.

Varietatem hanc coloris, & cultus parit, & locorum mutatio. Major equidem in ſylveſtri balſamo foliorum candor eſt; minor in hortos tranſlati. In Aegypto educati jam ſaturatior, magiſque lætus viror exiſtit: maximè illius, quod in Italiæ hoc tractu, è ſeminibus Danioto noſtro pullulavit. Diſcrimina eadem etiam propinquioribus è locis in hortos admiſſæ patefaciunt plantæ, erigerum, polium, verbaſcum, dictamnus Creticus, potentilla, medica marina, aliæque plures. Denique perennantibus magis foliis præditum eſſe balſamum, imò Theophraſto auctore ἀείφυλλον, dubium non eſt, climate Arabiæ perpetuo ſtirpium virori favente. Non indulget eum aliarum regionum acrior hyems: ut etiam in Aegypto viciniore, folia per Septembrem Balſamo defluxiſſe viderit Bellonius; ſed cujus nova jam cum foliolis germina juventæ ſpem redintegrabant.

Γεννώμενον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ κατά τινα αὐλῶνα, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ.

Genitum in ſola Judæa in quadam valle, & in Ægypto.

Vallem hic intelligendam eſſe Hierichuntis, Strabone, Juſtino, & Joſepho auctoribus perſuademur. Erat ea montibus undique veluti muro, caſtriſque clauſa, & inſignem ob amœnitatem, ſylvarum palmas ferentium amplitudinem, cultumque duobus in hortis balſamum, digna Archelao viſa, quam ulterius regia ſede exornaret. In ea valle ſola balſamum fuiſſe, cum Theophraſto refert Dioſcorides, colligitque pretii inde magnitudinem Strabo, ὅτι ἐνταῦθα μόνον γεννᾶται: quoniam ibi ſolùm naſcitur. Neque implicat rem Joſephus, qui & Hierichuntis vallem balſami feracem ſcribit, & Engadinum agrum egregia complecti palmeta, & opobalſamum. Quamvis enim haud unum Engadi, & Hiericho locum deſignent; notum tamen eſt, ex D. Hieronymo, Euſebio, aliiſque claris auctori-

bus, in Hierichuntis aulone comprehenſum fuiſſe Engadi vicum: Joſephumque adeò ab urbe præcipuâ Hierichunte balſami hortos deſignaſſe, quamvis duobus, nec multum tamen diſſitis locis ſejungerentur. Galeni tamen ævo, non una tantum in valle; ſed diverſis Palæſtinæ locis obvium fuiſſe Balſamum, cùm & Sagadini meminerit, & ὄντων ἐν ἄλλοις χωρίοις Παλαιστίνης; eorum quæ in aliis Palæſtinæ regionibus, credere par eſt, ſimul cum lucri cupiditate, plantæ colendæ ſtudio creſcente.

In Aegypto etiam naſci balſamum addit Dioſcorides, veroque ſimillimum eſt, à Ptolomæis, & potiſſimùm Cleopatra, cum teſte Plutarcho Judææ regionem balſami feracem à M. Antonio triumviro in donum accepiſſet, tranſlatas in Aegyptum fuiſſe plantas, in luxum, & delicias diffuſæ mulieri, multis nominibus expetitas. Imò placuit earum cultus ad noſtra uſque tempora, quoniam dominantibus in Aegypto Califfis, & præcipuè rem publicam adminiſtrantibus hodiè proregibus, ſive Baſſis, non è Palæſtina quidem; ſed Arabia frequenter repetitæ fuerunt. Abenſina Aegyptiam adeò nominat plantam balſamum, gignique tantum, ait, in loco يقال له عين الشمس, quem appellant oculum, aut fontem Solis. Imò illo ipſo, quem المطهرة, locum *luſtrationis Chriſtiani* Aegypti indigenæ nuncupant, non tam ad corporis, quàm animi ſcabitudinem expiandam, religione celebrem fontem exhibens, cujus ſalutaribus rivulis peregrinam hanc, nobilemque balſami ſtirpem inſigniter profeciſſe, etiam adverſa Chriſtianæ pietati pectora non diffitentur.

Periiſſe autem in Palæſtina jamdudum balſamum, publica magis fama divulgatum eſt, bellis atrocibus cum ipſis hortis cultores perdentibus. Periit ſanè frequentius in Aegypto, quia proregibus, qui paucis annis ad clavum imperii ſedent, ſæpe nihil minus quàm balſamum curæ eſt: preſertim ex quo lignum ejus, & fructus, & liquorem copioſius Arabia ſuppeditavit. Cæterùm quod olim de Palæſtina Theopraſtus, id de Aegypto multo magis accipiendum eſt, ſylveſtre in ea Balſamum nuſpiam repertum. Nec favet ſatis plantæ regionis ha-

bi-

bitus, quippe quæ non collibus acclivis; ſed ab utraque Nili ripa in planitiem æquatur.

Διαφέρον αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι λέγεται γοῦν τὸ λεπτὸν, καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου, θεριστόν. Ἴσως, διά τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν.

Præſtans à ſe ipſo aſperitate, & tenuitate. Dicitur itaque tenue & capillaceum fruticis, demeſſile; forſan quia facilè demetatur, gracile exiſtens.

Scribit eadem Abenſina, يختلف بالخشونة والطول والرقة præſtat, inquit, aſperitate, altitudine, & exilitate ſua; quamvis interpres Latinus verba hæc omiſerit. Atque hanc etiam in ramis Arabici Balſami varietatem facilè deprehendet, quicunque faſcibus illius Meccano itinere in Cahirum delatis, manus oculoſque admoverit: imò vel uno in faſce differentes amplitudine, aſperitate, atque exilitate frondes agnoſcet. Quamvis enim verè Theopraſtus, ὅσα τὴν οἰκείαν χώραν λαμβάνει, μᾶλλον δύναται, τὰ γένη διατηρεῖν: magis ſervare genera ſua poſſe, quæ familiarem ſibi locum nanciſcuntur. Aſperior tamen, etiam conſtante ſibi ſpecie, balſami habitus fuerit, ſi parcior aridam terram humiditas temperet, aut de tenuiore alimento plus juſto ſubducant, illa ut cum poëta loquar

—— *æſtivi radiantia tela diei.*

Nutrimentum item æqualem ſicci humidique miſturam haud obtineat. Lætius balſami incrementum eſt, cum frequenti cultu, ſylveſtrem, ut ait Maro, animum exuit. Ἀθρωτέρα γὰρ εἰργασμένων ἡ βλάστησις: plenior enim magiſque conferta cultorum germinatio.

Accedit etiam magnitudini pluſculùm, quotieſcunque ſucci plenum terræ altricis uber, jam rariorem, humidioremque materiam efficit. Exilius conſpicitur, & capillacea ſurculorum tenuitate facilem tonſuram admittit, quod minuta ſobole propagationem ſui conſequitur. Hoc robuſtioris pariter ſtirpis notam exhibet, nec ſylveſtrium moris adhuc oblitæ, quibus inter alia tribuit Theophraſtus, ἐν πολλοῖς εἶναι, καὶ μικρὰς τὰς μονίμους ἀρχάς: numeroſa obtinere, minuta germinum permanentium principia. Quæ verò Plinus hic de balſami ſpe-

ciebus adſtruit, optimè expendit Cl. Salmaſius, vir ſummus, quem in exercitationibus ad Solinum operæ eſt conſulere ipſum.

Τὸ δὲ ὀποβάλσαμον λεγόμενον ὀπίζεται ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν ἐκ τεμνομένου σιδηροῖς ὄνυξι τοῦ δένδρου; ῥεῖ δὲ ὀλίγον, ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἑπτὰ χοέας συναθροίζεσθαι. Πωλεῖται δὲ ἐν τῷ τόπῳ πρὸς διπλοῦν ἀργύριον.

Opobalſamum verò dictum excipitur ſub canis ardoribus, inciſa ferreis unguibus arbore. Fluit autem modicum, ſic ut ſingulis annis non plus quam ſex aut ſeptem congii colligantur. Venditur in loco (quo naſcitur) argenti duplo.

Jam liquorem balſami proprium, quem communi ὀποῦ ſucci nomine compellatum innuit Dioſcorides, in quo cenſu habuerint veteres, optimè traditum eſt a Theophraſto. Nam cum propoſuiſſet inſitum plantis humorem, τὰ μὲν πάχος ἔχειν μόνον ὥσπερ τὰ ὀπωδῶν: τὰ δὲ καὶ δακρυώδη γίνεσθαι, καθάπερ ἐλάτης, πεύκης, τερεβίνθου, aliorum craſſitudinem tantum obtinere, ut in ſucculentis: aliorum etiam in lacrymæ modum gigni, ut abietis, pini, terebinthi, & ſimilium. His ſubjungit olibanum, & myrrham, quandoquidem & ipſa, inquit, lacrymæ ſunt: itemque βάλσαμον, καὶ χαλβάνην, balſamum & chalbanam, & ſi quid aliud tale. Hæc eadem εὔοσμα benè olentia ſcribit, utpote quæ πιότητά τινα, καὶ λίπος, pingue quid habent, & unctuoſum, exactiore coctione diſcuſſis partibus aqueis, à quibus odorati halitus obtunduntur.

Δάκρυον itaque ſive lacryma eſt balſami ſuccus, ſed lacryma pinguis, & oleaginoſa, adeòque ab ipſo protinus ortu, γάλακτι γλισχρῷ παραπλήσιος, lacti viſcido, ut refert Strabo, ſimilis. Imò reſina eſt opobalſamum, quam à gummi, (quod ipſum lacrymis pariter annumerat Ereſius ſenex) pinguior, & oleoſa magis ſubſtantia diſtinguit. Hinc reſinarum in modum, & oleo promptè miſcetur, & in flammam ignis contactu facilè ſeſe explicat. Dudum in lucernis adhibuiſſe opobalſamum veteres, & ex iis Eliogabalum perditæ prodigalitatis principem, auctor eſt Lampridius. Inter Chriſtianos item dynaſtas Conſtantinum imperatorem; ſed ſacros in uſus, & religionis ve-

venerationi dicatum. Abenſina, & cum eo recentiores Arabes omnes, elicitam balſami reſinam دهن dohen nuncupant. Qua voce, licet, ut ſupra ſcripſi, aliquid illini, injungique aptum exprimant, adeòque pinguem, & oleagineum liquorem: imo unguenta ipſa, ut balaninum, cyprinûm, myrthinum, liliaceum, non erat tamen, cur interpres Latinus eam olei magis vocabulo deſignaret, quod زيت zeit, communi loquendi uſu; non dohen nuncupatur: idque etiam de Græca βαλσαμελαίου voce habendum eſt.

Hanc itaque ſubſtantiæ conditionem exactiſſimè refert his quem aſſerimus Arabici balſami liquor. Lacryma enim eſt; ſed reſinoſa, facilè tum oleo miſcibilis, tum inflammabilis igne. Non tantum poſtquam à genetrice planta depluit; ſed in ramulis etiamnum, & ſeminibus obhærens, γλισχρή, tenax, & lenta, qûæque cum eliquata eſt, turbida viſciditate lacteſcens conſpicitur.

At liquor hic, primùm ipſius naturæ providentia hominibus innotuit, cum ſalutari quadam excretione ſucci redundantis onere ſe levaret, quemadmodum in picea, terebintho, lentiſco, ſimilibuſque conſuevit. Notavit rem inter priſcos auctores Theophraſtus, qui veluti myrrham, & olibanum; ſic opobalſamum etiam αὐτομάτως γίνεσθαι, ſponte fieri, tradidit. Id verò cum paucum admodùm, & lacrymas ſalutares expetentium deſiderio minimè ſufficiens ſit, ars, ſedula naturæ imitatrix, partim perita corticis inciſione, partim ſucculenti ſeminis expreſſione, partim caloris miniſterio liquorem proliciendo, majorem ejus copiam ſibi comparavit.

Inciſionem arboris balſamici declinante jam æſtate in Palæſtina, & Aegypto peractam fuiſſe memorat Dioſcorides,

— rapidos cum Syrius ignes
Exſerit —

Abenſina بعد طلوع الشعري poſt ortum canis id factum confirmat, tempore ſatis huic operi convenienti. Tolerabilior enim tunc circa plantam mora, cum ſpirantibus ab Aquilone jucundis auris, æſtus aeris miteſcit; cum ſuccus à ſole, dum circa Tropicum æſtivum verſatur, optimè concoctus, va-

li-

liduſque etiamnum calor eſt, qui ſpiramenta balſami laxet, & exſuperantem humorem ad exſudandum compellat. Non obligant ſe tamen Ephemeridum legibus Arabes. Nam cum ſtirpes balſami validas poſſideant, æſtatem præterea ſex menſium ſpatio productam, non ſemel; ſed ſæpius eas ad lacrymas fundendas incitant.

Percuſſas quoque in Palæſtina ter omni æſtate fuiſſe refert Plinius, cum major eſſet ſucci colligendi aviditas. In Aegypto, vel menſe Martio artificem plagam admiſerunt. Nec ſumma tantum flagella petunt inciſores; ſed *etiam ſtipitem*, atque ut Theophraſtus loquitur, ἢ τὰ ςελέχη, ἢ τὰ ἄνω.

Inſtrumentum quo cortex balſami ſolvebatur, ungues fuiſſe ferreos, tradit cum Theophraſto Dioſcorides. Abenſina ſimpliciter يشرط بحديد vulnerari ferro ſcribit. Uſi alias vitro antiqui, & ut Joſephus teſtatur ὀξέσι λίθοις acutis lapidibus. Arabibus recepti ſunt eburnei cultelli, ut minus penetrabile, minuſque noxium vulnus faciant. Nec ferrum tamen odit natali in ſolo educata arbuſcula. Ab eo enim quemadmodum ſuperfluorum amputationem; ſic plagam etiam, quæ clementi impulſu corticem tantum dividit, abſque diſcrimine patitur. Itaque de validiore ferri vi, accipienda Taciti verba, & de vulnere quod in lignum, & medullam, adeoque vitalia adactum fuerit.

Facta corticis ſolutione, ſequitur lentæ, tenuique ploratu manantis lacrymæ collectio, eaque non paucis ab illato vulnere diebus; ſed ut Theophraſtus meminit ὅλον τὸ θέρος, æſtatis decurſu toto. Stillantem à planta liquorem vaſculis, & conchis parvis, ut ait Strabo, exceperunt veteres, defluentis ejuſdem aut hærentis abſterſionem lana perficientes. Abenſina يجمع ما يرشّح بقطنة colligitur, inquit, id quod exſudat goſſipio. Faciunt idem Arabes, nec dubium munditer ſic haberi, & inquinamentis minus obnoxium fieri.

Per ſeminis expreſſionem collectum olim opobalſamum, nec purum ſatis, nec ſincerum fuiſſe, non difficulter perſuadeat Plinius, qui miſturam ejus cum ſtillatitio, adulterii crimine infamat. Recepta magis ſubſequentibus ſeculis opobalſami

per ignis operam collectio, ramuſculis & ſarmentis demeſſis, & aquæ incoctis. Prodidit eam dudum ex Arabibus ipſis Meſuè, clariſſimus Medicus, & Damaſco patria locis balſami natalibus propinquus. Certiùs eandem aſſerebat, è primariis Cahiri Medicis, Ahmet Habibus Luſitanus, Cl. Ludovici Mercati olim auditor, qui repetita peregrinatione Meccam, & finitimas al Jamini provincias luſtrarat, & maximam liquoris partem elici ramis, frondibuſque plantæ (quo tempore plenior eſt, gemmuliſque prominentibus formoſior) demeſſis, conciſis, & contuſis. Demitti eos in vaſa ampla, aqua a ſubjecto igne jam calente plena: tumque leni decoctione, pinguem; acriumque ſuccum aquæ ſummum petere, quem cochlearibus curioſè ſeparatum, calentem adhuc vaſis lageniſque recondunt. Cum nihil amplius in aquæ ſuperficiem effertur, exemptam congeriem, ut ſuperſtes humidi reſinoſi portio, violenta compreſſione elidatur, torculari ſubjici. Qui decoctione blanda ſic eductus eſt liquor, eum poſtquam per ætatis veluti gradus ad vigorem pervenit, tum qualitatibus, tum agendi viribus ſtillatitio proximum eſſe; tenui tantum amariuſculi ſaporis, & fragrantiæ remiſſioris diſcrimine relicto. Sequioris autem conditionis commemorabat, quod à coctione frondibus expreſſum, valida coactione terreis ſimul partibus propulſis. Facilius denique, citiuſque ſic opobalſamum colligi, quam lento guttæ ploratu, non tam ob ſucci levitatem, quàm ejuſdem in ramulis etiam extremis foliorumque nervulis ſingularem ubertatem, ſecus atque in aliis plantis, reſinas propinquis in montibus eliquantibus, obtinere deprehendimus. Apud Indos, quid in odoratis hujuſmodi reſinis colligendis fiat, à Monardo jamdudum, aliiſque recentioribus proditum eſt.

Sed revertimur ad Dioſcoridem, qui de ſtillatitio locutus cum Theophraſto ἔκ εἶναι πολὺ τὸ ῥέον, non eſſe multum, inquit id quod fluit, cum ſingulis annis, non plures, quàm ſex ſeptemve congii colligerentur: quæ non immeritò Cl. Salmaſio mira videntur. Quamvis enim Alexandri Magni ævo, quo Theophraſtus vixit, in utroque Palæſtinæ paradiſo, quatuordecim hemichoeæ; id eſt, ſeptem congii annuo proventu

complerentur ; vero tamen ſimilius eſt , longè majorem ejus copiam fuiſſe Dioſcoridis ætate , qui vel paulò ante Plinium vixit , vel eidem , ut eruditis quibuſdam viſum , σύγχρονος fuit , cum non Græcis tantum , & Aſiaticis ; ſed Romanis , vigente jam cum imperio luxu , expeteretur : adeòque ex re ipſa lucri certitudo publicam magiſtratus curam excitaret , & Dioſcoridem hic ; nòn quid opobalſami annus tempore ſuo tulerit , ſed quid Theophraſtus ſcripſerit , ſpectaſſe. Non minus ſuſpectum eſt , cum de Aegyptio loquitur Abenſina , interpretem Latinum quinquaginta librarum mentionem facere uſque ad ſexaginta , quod pondus parum abeſt a ſeptem congiorum menſura , quam regiis Palæſtinæ hortis cum Theophraſto adſignarat Dioſcorides. Equidem ſummam hanc non determinat codex Arabicus Medicæus ; ſed apertè , ما يجاوزن في السنة ارطالا , non permeant in anno aliquot libræ. Eſt autem retolò , Giggejo quidem libra duodecim unciarum ; in hodiernis tamen Aegypti Fagamiis ſeu Aromatopoliis , pondus centum & quadraginta drachmarum. Itaque cum nihil hic determinatum agnoſcam , hortique al Matahariæ non adeò laxum ambitum ſciam , iterpretis veſtigia nec ſequor , nec aſſequor. Equidem Plinii ævo , abundantius apud Judæos opobalſamum proveniſſe , dubium ex eo non eſt , cum validiores , majoreſque ſcribat tunc fuiſſe plantas , & ter omni ætate percuſſas. Largior item ſeculis ſequentibus copia reperta eſt , cum ex Aegyptiis fundis , ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius , templa Romana centum & ſeptuaginta Opobalſami libris , Conſtantini imperatoris beneficio fruerentur : quamvis probabilius ſit , cum Aegyptus alendo balſamo parum idonea ſit , neque alibi quàm intra Matahariæ conſeptum plantam educaverit , aſſiduo cum propinquis Jamini populis commercio , liquorem illius prædiis Aegyptiis affluxiſſe.

Quid Arabes tandem ? apud quos , licet odoratæ hujus reſinæ annuam συλλογὴν , certa definiri menſura non liceat ; inſignem tamen eos opobalſami proventum hodiè poſſidere , tam emolumentum arguit ingens , quod ex locatis balſami arbuſtis ad Seriffum redundat ; quam mercatorum multitudo , qui ſingulis

an-

annis, in Perſici, Turcicique imperii provinciis illud diſtrahunt. Ex eo verò minimum eſt τὸ αὐτόῤῥυτον, quod ſponte naturæ laxato, ruptove cortice manavit: exiguum item tenuior ſtillatitii per inciſionem educti portio, & veluti flos, regiis tantum, magnorumque procerum manibus deſtinatus. Major autem ejus, quod repetito caudicis frondiumque vulnere fluxit: præcipuè quod ignis miniſterio comparatum, cujus maximam colligi partem Habibo auctori acceptum refero. Longè profectò ampliorem Opobalſami copiam Arabes promerent, ſi Europæorum ſtimulis ad culturam numeroſarum ſtirpium ejus incitarentur. Nunc quandoquidem ſuccedaneis antidota inſtruere uſus obtinuit, adeoque pauciſſima Opobalſama expetantur, & cognoſcantur, ſatis habent Arabes, ſi tantum odorati hujus ſucci colligant, quantum magnatibus ſatis eſt, & facilis emptor abducere denuò, venumque præbere poteſt. Oblatum illud tamen ultrò Venetis mercatoribus, ſæpè cum in Aegypto degerem vidi, neque inopiam ejus incidiſſe memini, præterquam in publicis provinciæ turbis, quæ Anno cIↄ. Iↄc. xxxi & ſequentibus, Arabes & Seriffum involvebant.

Olim, ut cum Theophraſto refert Dioſcorides, argenti duplo rependebatur, cum prodiga odorum voluptate deliniti mortales, non capillis tantum; ſed toto corpore unguentis maderent: cum eadem in potus adderent, & in caſtris quoque miles, pulverulentas, cuſtodiiſque horridas aquilas unguentis corrumperet. At non ea Perſas hodiè, Turcaſque vexat inſania, quibus in Valetudinis ferè commodum Opobalſama placent. Fœminæ cultus ſui cauſa raró eadem admittunt, Liguſtro, Stibioque contentæ; non ignaræ, tunc ſe magis placere viris, cum minus olent. Defunctorum tamen honori aliquid Opobalſami datum novi, non corpori univerſo; ſed locis putredinem ſpirantibus cum goſſipio admoti. Moderatum itaque rei apud Arabes pretium, quæ nec avidè adeo diripitur, neque in numeroſarum hodiè plantarum fœcunditate, poſtquam ignis opera addita eſt, adeò laborioſè, difficulterque conquiritur, ut Coſmus noſter in Cahiro, cum fortè copioſiùs adferretur, mercatore pecuniarum indigo, libram opobalſami, ſcutato

nummo comparare ſibi potuerit.

Ἔϛι δὲ καλὸς ὀπὸς ὁ πρόσφατος τῇ ὀσμῇ εὔτονος, καὶ εἰλικρινὴς, καὶ μὴ παροξίζων, εὐδίετος, λεῖος, ϛύφων, καὶ δάκνων μετρίως.

Eſt autem bonus ſuccus, qui recens, odore validus, & ſincerus, & non ſubacidus, facile ſolubilis, lævis, adſtringens & mordens modicè.

Subjungit porrò Dioſcorides, quæ ſucci balſamici bonitatem, & virium adeò incolumitatem arguant. Ac primo quidem πρόσφατον laudat, ſive recentem. Optimo jure! quis enim haud fateatur calidiora eſſe, ſpirituumque pleniora, quæ ortui ſuo propinquiora ſunt? Nec tamen hic recentiſſimum, & à matre ſua etiamnum calentem laudat, quem veluti maris, terrarumque ingens intervallum nobis denegat; ita nec idoneam ſatis adverſus morbos operam præſtare poſſe conſtat, utpote qui περιττωματικώτερος, ut cum Ariſtotele loquar, partiumque nondum à colore inſito mitigatorum multitudine ἀκατέργαϛος: turbidus adeó, & digeſtionis ulterioris indigus. Alexius Comicus eleganter,

Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν,
Τρόπον τινα ἐϛι. Τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον.
Πολλὴ γ' ἀνάγκη καί τὸν ἄνδρα ἀποζέσαι
Πρώτιϛον, ἀφυβρίσαι, κἀπανθήσαι, πάλιν
Σκληρὸν γενέσθαι ——

Similimam, inquit, hominis, & vini naturam quodam modo eſſe. Vinum enim novum, & hominem, valdè neceſſum eſt deferveſcere; primùm omnium ſordes & ſpumam ponere; tandem aſperum fieri. Idem in hac nobili reſina obtinet, quæ tunc demum nativam indolem exſerit, quando ingeniti caloris auxilio ſuperfluorum impedimenta abjecit, ut recens hic nobis ſit, non quod nuper collectum eſt Opobalſamum; ſed quod à peracta digeſtione qualitatum ſuarum perfectionem adeptum eſt, ex craſſo tenuius, ex turbido clarius evaſit, poſt albidum, & vireſcentem, aureum colorem induit.

Alterum, quod in liquore noſtro requirit Dioſcorides, eſt τῆς ὀσμῆς εὐτονία, odoris validitas. Hæc enim, Galeno judice, certum præſtantis integræque naturæ argumentum in medica-

men-

mentis præbet; adeòque ſubſtantiæ aëriæ, & igneæ vigorem ſpondet. Acutiſſimus autem in ferveſcente odor eſt, quippe quem acris admodùm, & fervens halitus vehit: mitior jam digeſti: debilis, & obſcurior in eo, quem ὁ χρόνȣ ἄδικος ἰσχὺς iniqua temporis vis, ut Sotades loquitur, ſenectuſque labefactavit. De odore Opobalſami, nil adeò mirum prædicant, quos hic ſequimur principes auctores. Dioſcorides lignum ejus εὐῶδες, benè odoratum ſcribit, ipſumque adeò ſuccum τῶν μύρων ςύμμασι, ſpiſſamentis unguentorum addi. Galenus balſamum partium tenuium aſſerit ἕως τῆς εὐοσμίας, ad odoris uſque bonitatem. Inter Arabum proceres Abenſina الرائحة شبيهة بالسداب ſpeciem odoris rutaceam pronunciat. Theophraſtus odoræ jucunditatis apud priſcos arbiter optimus, Ὀποβάλσαμον διαφορόν τι φαίνεσθαι κατὰ τὴν εὐοσμίαν. Opobalſamum præſtans quid videri, odoris ſeu bonitate, ſeu vigore. Ramos item & fructus balſami, odore valdè ſeu grata, ſeu valida judicat. Neque Hercules injuria. Nam cum lacrymas arborum omnium reſinas fundentium, ἐυόσμȣς bene odoratas appellaſſet, inter reſinas vero terebinthinam εὐωδεςάτην, odore gratiſſimam, quidni balſami liquor ipſi præſtans quid, & excellens viſum fuerit? qui utcunque terebinthinæ odorato halitu cognatus admodum ſit; fragrantiam tamen, etiam cum notæ optimæ non eſt, ſpirat omninò majorem, adeòque inter odoratas merces, in priſcis myropoliis eximiam. Priſcis dico, quibus apud Theophraſtum σπουδαιότατα τῶν μύρων, elaboratiſſima unguenta, Cinamomo, ſtyrace, nardo, amomo, cypero, myrrha, croco, iride, cardamomo, amaraco, loto, anetho, ſimilibuſque componebantur, adeòque opobalſamum, non optimis, & fragrantiſſimis; ſed vel mediocriter olentibus unguentis adulterari potuit, ut in Dioſcoride clarum eſt. Cumque non odore tantum jucundo placeret; ſed medendi quoque virtute, nulli antiquitùs cognito remedio opobalſamum cederet, quid mirenur; ſcripſiſſe Plinium liquorem hunc ſuavitate, utilitate, pretioque tam inſignem, omnibus odoribus præferri? Flavium quoque Joſephum balſamum τῶν ἐν Ἱεριχοῦντι τιμιώτατον, rerum in Hierichunte obviarum pretioſiſſimum exiſtimaſſe? Non hæc tamen

impellere Clariſſimum virum, Petrum Servium debuere, ut Opobalſamum laudatis hoc ævo præcipuis odoribus præferret, quibus locellos ſuos dum farcit delicatior ſexus, non ineptè ſibi videtur,

— ceu nectare poto
Efflare ætherei immortalia munera ſucci.

Diſſuadebit enim rem omnem quiſquis diſcernendis odoramentis, non tantum rationis trutinam; ſed benè temperatum quoque ſenſum attulerit. Mihi quidem ſelectius opobalſamum odoranti (odoratus autem ſum frequenter) eximiam ſemper fragrantiam ingeſſit optimi olibani, myrrhæque διόσμια ſuperiorem. Non eam tamen, quam ſimplicis vel ambræ, vel moſchi eminus perceptis odoribus prætulerim, quos geſtantium corpori, aut veſtimentis conciliant. Non jucundis Hermeticorum, qui hodiè, multis liquoribus: nē ſupra Sambac quidem Arabum, & Abel moſchi ſeminum, quamvis magis obviorum, ſuaveolentiam extulerim. Habeat Opobalſamum limatiſſimo Theophraſti judicio præſtans quid, & odore excellens, ſed inter ὑγρότητας δακρυώδεις, lacrymales humiditates, quales abietis, pini, terebinthi, lentiſci, olibani, myrrhæ, & ſi quas hujus ordinis alias Ereſia Suada recenſet, longè retro actis ſeculis cognitas.

Cæterùm odora ſucci balſamici gratia, non eodem gradu ſenſui humano blanditur. Summam in eo perhibent, quem pollens viribus ſuis natura ſponte excluſit, virtutum omnium perfecta collectione pretioſum. Validior item, magiſque jucunda ſpirat in tenuiore, & puriore parte illius, qui ab artifici plantæ vulnere manavit: minor in craſſiore, quæque cum fæcibus ſuis diutiùs colluctata. Suaviſſimus Opobalſami odor quem vegeta juventus ſpargit: languidus & immitis illius, quem ſenecta jam ætas confecit, vere Ariſtophani ὥσπερ βωμὸς, καὶ ἐργαστήριον τῶν κακῶν, velut ara, & ergaſterium malorum. Norant etiam antiqui, majorem eſſe ejuſdem fragrantiam, ſi lacryma ſemen præceſſiſſet; à ſummis potius virgulis, quam imo caudicis prodiiſſet, iiſque in aprico magis & collibus, quam umbroſis, & oriente ſole averſis locis educatis. Gratius

tius ſemper, & clarius Opobalſamum obſervavi, quod pedes, aut eques è Mecca attulerat; quam quod longo itineris tractu, cameli dorſo vehementiùs agitatum fuerat. Nec dubium mihi ullum, regionum quoque diverſitatem, odoris aliquod diſcrimen olim peperiſſe, quum Sagadinum Opobalſamum Aegyptio, aliiſque in Palæſtina naſcentibus Galenus prætulerit.

An autem idem Sagadinum Arabico noſtro, præſtantius odore fuerit, non facilè curioſis ingeniis dederim. Quamvis enim cum propinquis Indis aſſiduo commercio, non parum odoratæ mercis Arabes colligerent; propria tamen ſylvarum ſuarum odorifera fertilitate, nulli exteræ nationi quicquam invidebant: maximè Sabæi, apud quos, teſte Plinio, captis è mari & ſylvis quæ venderent, maximè opes Romanorum, Parthorumque ſubſidebant. Cum itaque balſamum eo loco ſponte natura producat, quo deliciis mortalium odoratis educandis, & perficiendis, tum ſolem habet faventem, tum uberem benignamque terram: quid hæſitemus, plantam hanc in eadem ſummam naturalium qualitatum perfectionem conſequi? De virtute, cujus experimentum nobis facere libuit, dubium nullum: qua veteris è Palæſtina opobalſami laudes, non implere tantum videtur; ſed etiam tranſcendere, ſi vires attendimus, qua peſtilenti contagio reſiſtit. Inficias tamen ire nolim, Opobalſamum Arabicum in patrio ſolo indiligentiùs aſſervatum, longoque rurſum itineris ductu, fervido ſoli negligenter expoſitum, citius lenteſcere, adeoque tum odoris fragrantis ἔκλυσιν, tum facultatum propriarum detrimentum incurrere poſſe.

Tertia bonitatis nota Dioſcoridi ſinceritas, εἰλικρίνειαν, quæ non tam claritatem arguit, perfectioris digeſtionis comitem; quam ſubſtantiæ liquoris ſimplicitatem, rei alienæ ſubdolis miſturis adverſam. Hoc verò titulo, non illud ſolum accipimus Opobalſamum, quod ſtillatim planta ſuppeditavit; ſed etiam quod è frondibus ramuliſque ignis miniſterio comparatum eſt; ſaltem ut prius, nulla heterogeneorum acceſſione vitiatum ſit. Genuinus enim balſami ſuccus eſt, non ſecus atque arundinis ſuæ ſaccharum, ſubſtantia, qualitatibus, agendi-

que

que facultatibus idem, & viribus ipſis ſtillatitio proximus, ſi ritè artifex ignis opera uſus fuerit.

An genuinum item, ſincerumque ſit Opobalſamum, quod ſemina geniali ſucco adhuc turgidula ſuppeditant, ambiguum reddidere veteres, qui miſturam ejus cum ſtillatitio ex ramulis reprehenderunt. Ego ſimplicem eos purumque ſeminis liquorem abjeciſſe minimè exiſtimo, apud quos adulteratum habebatur, non quod integræ naturæ eſt; ſed quod alieni conſortio fœdatum. Equidem ſubſtantia illa pinguis, & aëria quæ ramulos imbuit, eadem eſt cum reſina quam complectitur ſemen: adeoque non temperamenti ſolùm; ſed etiam effectuum quos recenſet Dioſcorides, ratione ſimilis. Primam quidem præcipuamque agendi vim lacrymæ tribuit; proximam tamen ſemini. Non quia caloris minus ſpirituumque ſeminalis ſuccus poſſideat; ſed quia terreis involucrorum partibus impeditus, exſerere virtutem non ita poſſit. Verè Theophraſtus, ſemina κυριώτατα, ϗ πρῶτα τῆς φύσεως ἔργα, præſtantiſſima refert & prima naturæ opera, illiuſque τελειούσης, jam perfectæ, non intra rudimenta nobilium functionum balbutientis: quippe quæ non calidi tantum vitalis; ſed formarum ipſarum compendia ſint. Igitur ut ramuli recentes, ita ſucci plena balſami ſemina, ſiquidem Spagyricis laboribus exercitatum nanciſcantur artificem, Opobalſamum dabunt, tam ſuavi odoris halitu; quam virium excellentia ſaluberrimum, jurèque Ariſtotelis illud hic obtinebit, ἐπιτελεῖν τὴν τέχνην, ἃ ἡ φύσις ἀδυνατεῖ, perficere artem, quæ natura non poteſt.

Quartò, laudabilis Dioſcoridi balſami ſuccus ὁ μὴ παροξίζων, qui non ſubacidus. Quemcunque enim talem guſtus deprehendit, propriam temperamenti ſymmetriam non obtinet. Detrimentum hoc non una; ſed plures accerſent cauſæ: fitque cum liquorem planta per ætatem jam affecta tulerit, eundemque protinus ab initio ἐλλείψει δυνάμεως τοῦ πέπτοντος, languore facultatis coctricis haud perficit, aqueas frigidaſque partes, non diſcutientis, non reſolventis. Aut optimum alioquin ſuccum, difflata pingui & aëria ſubſtantia, fervor ambientis exhauſit. Denique vaſis ab Opobalſami vetuſti fæcibus non purgatis,

gatis, recentes lacrymas ſordidus cultor immiſerit, vitioſam hanc qualitatem paulatim induit. Mihi quidem balſami ſuccus, qui ſapore ſic affectus fuerit; haud dum obſervatus, crediderimque proniorem in hanc mutationem fuiſſe, quem Aegyptus olim, & Palæſtina, temperatiores quam Arabia provinciæ, dedere. Commune quidem eſt, dum à recenti ploratu effervеſcit Opobalſamum, calorque inſitus heterogenea diſpellit, ut *vaſis recluſis*, acrem admodùm, & acidum vaporem naribus propinquis ingerat, quam ſubſequens exactior concoctio ſenſim mitigat. At nævus, de quo auctor noſter, non vigorem inſiti calidi; ſed labem ejuſdem, & impotentiam arguit.

Quintum eſt, quod in bono balſami ſucco exigit Dioſcorides, ut ſit ἐυδιέλος ſolvi facilis, aut liquari. Sic enim interpretantur vocem hanc, Attica eruditione viri principes, alias neque rei, neque auctori ſuo ſatis vindicandam. Hoc ipſum autem eſt, quod veluti ſincerum deinde commendat idem Dioſcorides, quodque aquæ, aut lacti inditum χεῖται ταχέως, funditur celeriter, & ut ex eodem hauſerunt Arabes ſcriptores, Serapion, & Abenſina, ſolvitur ſubitò ينحل بسرعة. Neque abs re hanc probandi liquoris conditionem expreſſit Anazarbæus. Quiſque enim ejuſmodi eſt, ſenſum guſtantium facili penetratione celeriter afficit, &, ut cum veteri loquar Poëta,

—— per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.

Imò quod pluris eſt, gravibus in morbis expeditum, deſideratumque virium ſuarum ſpecimen præbet. Improbus itaque fuerit, quando potiore ſui parte, ſpiritu ſcilicet, & calore deſtitutus, terrenoque impeditus lentore, nec facilè dilabitur, nec tenues corporis meatus ſubire valet.

Addit his bonitatis indiciis λειότητα, lævitatem Dioſcorides. Etenim cum *humiditates* plantarum, ut jam ante propoſitum, alias ſimplici craſſitudine conſiſtere tradiderit Theophraſtus, alias autem in lacrymæ modum gigni, Balſami ſuccum non aqueis illis, ſed pinguibus atque oleaginoſis annumerat,

quorum proprium eſt, lævitatem rebus aliis, & lubricitatem inducere. Hoc itaque nomine liquorem innuit, etiamnum recentem, palatum, parteſque quas imbuit, pingui lubricitate lenientem. Sequioris verò conditionis, qui craſſior, & ſpiſſitudine nimia digitos ungentis difficulter ſequitur.

Poſtremò, laudabilis Dioſcoridi balſami ſuccus, ὁ ςύφων ἢ δάκνων μετρίως, qui adſtringit, mordetque mediocriter. Equidem cum nobilis hæc reſina, inimicum humano temperamento calorem non obtineat, guſtum non niſi blandè afficit, & modeſtè. At Dioſcorides ὀπὸν θερμαντικώτατον, ſuccum balſami maximè calefacientem conſtituit; ſed hac tenus, ut. ligno, propriiſque fructibus conferatur. Nam ut in ligno parum, plus in fructibus caloris percipitur; ita plurimum ejus in ſucco dominatur. Optimè tamen Galenus, & hyperbolem Dioſcoridis veluti coercens, balſamum calefacere, & ſiccare exceſſu ſecundo ſcribit. Liquorem quidem ſubtiliorem eſſe partium, quàm ipſa planta, non adeò tamen calidum, quemadmodum quidem exiſtimarunt. Jam enim experientia ſatis cognitum erat viro diligentiſſimo, balſami ſuccum in nullo affectu, qui calore validiore indigebat, evidenter opitulatum fuiſſe, quod vim ægritudini parem non afferret. Inſiſtit præceptoris veſtigio Abenſina, cumque ligno ſimilem temperamenti normam adhibuiſſet, Opobalſamum ipſum, in principio calidorum tertii ordinis reponit, additque cum Galeno, ليس فيه من الاسخان ما يظن non eſſe caliditamen in eo quam arbitrantur. Placidus igitur quâ mordicandi, quà ſtringendi in balſamico liquore effectus, quemque in ſenecta ætate vel exiguum exiguum exhibet, vel nullum.

Atque his bonitatis ſignis conſpicuum ſæpè obſervavi, quod etiamnum felix ejus proventu Arabia ſuppeditat Opobalſamum. Erat enim, quantum in tanto locorum intervallo fieri poteſt, virium ſuarum integritate recens, ſuavi adhuc odore validum, non heterogenei cujuſdam acceſſione adulteratum, clarum etiamnum, haud ſubacidum, facilè ſolubile, lævum, modicè adſtringens, & mordens.

ἀκολουθ. δὲ ποικίλως· οἱ μὲν γὰρ χρίσματα μίσγουσι αὐτῷ, ὥστε

τὰ

τερεβίνθινον, κύπρινον, σχίνινον, σούσινον, βαλάνινον, μετώπιον, μέλι, κηρωτὴν; μυρθίνην ἢ κυπρίνην ὑγρὰν λίαν.

Vitiatur autem per fraudem variè: ſunt enim qui unguenta ipſi miſcent, veluti terebinthinum, liguſtrinum, lentiſcinum, liliaceum, nucinum, metopium, mel, ceratum myrthinum, & liguſtrinum valdè humidum.

Variè per improbos emptores corrumpi ſolitam balſami lacrymam, καὶ πολλὴν δέχεσθαι κρᾶσιν, multamque capere miſturam, nec in Græcia adeo, niſi raro, ſincerum vendi, vetus Theophraſti querela eſt. Quid Dioſcoridis deinde, aut Plinii ævo, cum ingenioſus diſperdendis unguentis luxus, in tantum ſuaderet augere* liquorem; Cum parum eſſet unguentum ſumere, ni bis die, terque, ne in corpore evaneſceret, renovaretur. Cum expeterent homines, quibus ſingulas corporis partes, atque etiam veſtigia pedum tingerent: tranſeunte fœmina odor invitaret etiam aliud agentes, metuque proſcriptionis latentes proderet: denique parietes balinearum unguentis ſpargerent, & temperarent ſolia. Ridicula voluptate, etiam cum honeſtiſſima judicaretur. Fœtor, inquit Satyricus,

Nunquam non mortalis erit mortalibus, unde
Exierint, & quo tendant diſcetur odore.

Superabat tamen hominum perfidiam ſummorum principum ſtudium: iidemque illi, qui herbarios ſuos in Creta inſula alebant imperotores, per præfectos ſuos, quibus Aegypti, & Palæſtinæ regimen commiſerant, genuinum Opobalſamum ad antidotorum compoſitionem facilè conſequebantur. Adeòque Galenus, inter optima alia quæ ſyntaxis nobilium medicamentorum exigebat, & mel Hymettium, & Opobalſamum Romæ olim obvium fuiſſe teſtatur.

Hodiè cum tanto ambitu non expetatur, non ea libido Arabes quidem vexat, ut ſalutarem lacrymam alieni ſucci fraudulenta miſtura vitient. At Cahirum poſtquam allata eſt, in ampliſſima urbe tot ſycophantarum manibus diſtracta, non uno modo redditur deterior. Frequenter Cypria, Arabicave terebinthina miſcetur, fraude, ut minus noxia, ita non difficulter cognoſcibili. Sic enim affectum, non per ſtillas; ſed

lento veluti fili tractu delabitur, odore debili, minuſque ſuavi, turbidum aſpectu, colore pallidius difficulter ſolubile, denſando lacti ineptum, atque inſtillatum veſtimentis, adhæſu tenaciore ſeſe jungit. Memini, & oleum zacconis à perfidis hominibus hic uſurpatum, quod veluti claritate, coloriſque flavedine; ſic vulnerum jungendorum efficacia, ſucci balſamici æmulum. Eſt autem zaccon in Hierichuntis planitie naſcens pruni ſpecies, folio anguſto, & ſpinoſo, fructu myrobalano citrino ſimili, ex quo contuſo, vinoque prius irrorato, Arabes, & qui Solymis commorantur religioſi viri oleum dictum exprimunt. Dolus tamen facilè detegitur. Nam nec odor in illo, qui cum Opobalſamo vel comparatione dignus ſit, nec lactis portionem ullam cogit, quamvis ſapore aſperum, & adſtringens. Innatat liquorum aqueorum ſummo olei inſtar communis, vel ſtipatum, vel in radios concuſſu diſtractum. Laneis veſtibus inditum, ſeſe latius diducit & profundiùs inſinuat, vixque eluendam iiſdem maculam impingit. Itaque permiſtum Opobalſamo, tum fragrantiam ejus minuit, tum reliquis omnibus notis induit, quibus per olea & unguenta corruptus balſami ſuccus, à Dioſcoride mox deſcribetur. Tentatum idem oleo ex Mauritania, quod plurimorum annorum decurſu ſpiſſius redditum, conſiſtentia, colore flavo, vulnerumque levandorum efficacia, lacrymæ balſamicæ aliquantum ſimile. Cæterum cum aliis indolis ſuæ ſignis ab eadem plurimùm diſcrepet, vel mediocriter in Opobalſami δοκιμασίᾳ verſatus, vitium additum agnoſcet.

At veteribus in magna unguentorum aviditate, major adulterii libido fuit, eratque obſcuriſſimum vitium ſi terebinthinum miſcerent, aut lentiſcinum: manifeſtius ſi mel, cujus ſapor latere non poteſt: evidentiſſimum ſi liquida cerata: nequiſſimum item Plinio ſi gummi adderent. Pro cerato autem liguſtrino, cur, Pliniana imitatione, ceram Cypriam verterit Latine Ruellius, cauſa nulla fuit. Optimè Abenſina Dioſcoridis ſententiam expreſſit, cum balſami liquorem depravari ſcriberet, cerâ in oleo liguſtrino ſoluta, بشمع يذاب في دهن الحنا. Liguſtrum enim communiter el hennà, Arabibus dictum. Pla-

res etiam Opobalſami fraudes ſe didiciſſe profitetur Galenus, & per quas vel peritiſſimis imponi potuerit; ſed quas, hominum impoſturas veritus, in publicum proferre non ſuſtinuerit. Tales ex pini, terebinthi, abietis, piſtacei ſtillaticiis liquoribus, oculata manus facilè concinnabit. Tutus nihilominus ab errore fuerit, quiſquis in his technis conſilium Galeni ſequetur, & non ſimplici auctorum lectione contentus, velut ἐν βίβλων ἐργάτης, in locis, quibus Opobalſamum lectiſſimum obvium eſt, non ſemel: ſed ſæpius illud examinabit. Qui partem optimi liquoris, vel ipſe indè ſecum detulerit, vel per amicos ſpectatæ fidei, ſibi conquiſiverit: denique alias hoc nomine celebres lacrymas, cum ſincero illo comparaverit, non de manifeſtis minus qualitatibus, quam agendi viribus ſolicitus. Melius de poſteritate meretur Dioſcorides, qui ſigna proponit, quibus adulterantium dolos deprehendamus. Pergit enim, &

Ἐλέγχεται δὲ εὐχερῶς ὁ τοιοῦτος. Ἐπισταγεὶς γὰρ ὁ ἀκέραιος εἰς ἐριοῦν ὕφος, καὶ ἐκπλυθεὶς, κελίδα οὐ ποιεῖ, οὐδὲ σπίλον. Ὁ δὲ δεδολωμένος προσμένει.

Arguitur autem facilè qui talis. Inſtillatus enim ſincerus in laneum pannum, & elotus, maculam non facit, neque notam: qui verò dolo vitiatus, immanet.

Diſcrimen itaque primum ſinceri opobalſami, & olei unguentiſque corrupti, quod ſincerum veſtibus inſtillatum, lotione ſic auferatur, ut macula, veſtigiumque non amplius oculis obſervetur. Contrarium enim obtinet in vitiato, quia veſtimentis exceptum penitiùs ſe inſinuans, & diffundens, vix delebilem lotione maculam exprimit. Hæret itaque pura lacryma, & quo ſuſcepta primitùs fuit orbe, perſiſtit; mox ſi calido eluatur, eximitur prorſus, & aboletur: ſi relinquatur, diſcuſſa parte tenuiore, minor indies evadit, jamque ſiccior ob calorem ambientis, etiam digitorum impulſu facilè reſolvitur, & ſeparatur, nulla ſuperſtite ſui nota. Promptiſſimè tamen lotione tollitur opobalſamum, quod a recenti ploratu tenuius: non ita facilè quod viſciditatem majorem adeptum eſt. Optimè ſuggerente Theophraſto, τὴν γλισχρότητα ἀντιληπτικὴν εἶναι: viſciditatem, apprehendendi vim obtinere: longè difficiliùs abſce-

 dit:

dit ſuccus, qui plurium annorum decurſu, terebinthinæ lentorem acquiſivit. Quamvis per ætatem ſpiſſior liquor, cum ejus gutta minus adhuc laneum textum ſubeat, reſiccatus deinceps, nullo negotio diſpellatur, neque indicium ſui proferat. Abenſina paucis; ſed abunde ad mentem Dioſcoridis, فانه ينقي لا يفعل المعيبة quando eluitur (qui ſincerus eſt) non parit maculam. Nam quæ *ſubjicit in Latina verſione* interpres, de *conſervanda ſoliditate ejus in aqua*, & ablutione à goſſipio, ſive Cotto ut ſcribit, textus Arabicus non habet.

Pejus implicuit Ruellius eos, qui cum *fontes ipſos Pedacii* accedere non potuerint, rivulis ejus jam turbidis, labra rigarunt. Nam cum allata *Dioſcoridis* verba Latinè tranſtuliſſet. „Merus (balſami ſuccus) in laneam veſtem fuſus, neque maculam facit, neque ſi eluatur notam relinquit; vitiatus autem inhæret. „Hæc, totidem verbis in vulgarem ſermonem verſa, dederunt auſam exploraturis opobalſamum, ut ſibi perſuaderent, non inſtillandum id eſſe per ſingulas guttas, ſed liberali manu largius infundendum: imo craſſum ex lana, villoſumque centonem, eodem penitiùs imbuendum. Sic denique exceptum *liquorem*, maculam *facere non debere*; *ſed totum in ſpiritum*, ſuavemque *halitum diſſolutum petere cœlum*, neque exuvias corporis, aut reſiduum ex ſe nævum relinquere. Poſtremo, illibatæ ſubſtantiæ ſuccum non inhærere: ipſumque adeò Proſperum Alpinum, cum Opobalſamo Arabico ad metam hic conſtitiſſe, utpote quod abſolvere planè ab inhæſionis crimine vix potuerit.

Sed hæc nihil ad Dionyſium. Quid enim apud Dioſcoridem noſtrum clarius, quàm ἐπιστάξιν requiri balſamicæ *lacrymæ*, non ἐπίχυσιν, ut ſtilletur ſupra laneam veſtem, *non ut effundatur*, cum eam in probationibus *ob pretii* magnitudinem largiùs prodigere minimè deceret: excuſationemque adeò Ruellius nullam hic inveniat. Multò minus, quod inconvenienti metatheſi, τὴν ἔκλυσιν, elotionem, quam Dioſcorides præmittit, à maculæ inductione ſejunxerit, retuleritque ad vocem σπίλου. Unde inſedit animis diſceptantium opinio ſincerum

Opo-

Opobalſamum maculam non parere. Sed miſſo ex alieno παροράματι profecto errore, adſevero maculam induci veſtimentis, etiam ab optimi nobiliſſimique Opobalſami gutta. Qui enim ſecus fieri queat? cum ſpiſſitudinem obtineat hic ſuccus, & colore quem obtinet proprio ſe repræſentet, ad quem delendum veteres lotionem exigunt. Hoc igitur ipſum eſt, quod Dioſcorides reſpexit, ſcilicet elui poſſe a ſincero opobalſamo cotractam maculam, quam qui ſine ablutione totam in ſpiritus abire contendunt, illi palàm cum Ariſtophanæo Socrate, ἀεροβατοῦσι, ambulant in aëre.

Cæterùm quæ maculæ, eadem & inhæſionis ratio habenda. Neceſſe enim eſt ſuſceptam lanea veſte lacrymam inhærere, quæ tota pinguis per naturam, tota viſcida exiſtit: eoque tenacius inhærere, quo lentor ejuſdem per ætatem magis increvit. Attamen quicquid ejus adhæſit, non dilatabit ſeſe, & majore indies fœditate olei inſtar diffundet. Non ſic permanebit, quin adhibita lotione expurgari queat. Atque hoc ſignum, quo ab oleis omnibus intactum ſe demonſtrat opobalſamum, in Arabico puro clariſſimè refulget, utpote cujus macula, ſiquidem recentior liquor fuerit, ſimplicis calidæ contactu facilè tollitur. Neque aliter de hoc gnoriſmate judicavit Proſper Alpinus, utique poſtquam debito modo & tempore factis exprimentis cognoverat, delebilem eſſe incorrupti ab oleis opobalſami nævum. Nam ipſum quod attinet pannum, Arabes quidem è lino, ſerico, goſſipio, piliſque caprarum contextum, promiſcuè in lacrymæ probatione uſurpant, nec dubium, facilius eam ſic abſcedere: quamvis etiam in laneo ſinceritatis fidem exhibeat.

Γάλακτι δὲ ἐπιςαγεὶς πήγνυσι τοῦτο, ὅπερ δεδολωμένος οὐ δρᾷ.

Lacti verò inſtillatus denſat illud, id quod dolo corruptus non efficit.

Ac ſiccis quidem corporibus inditum opobalſamum, hoc ſpecimine ſinceritatem ſuam tuebitur. Subjungit porrò Dioſcorides, quid liquidis inſtillatum præſtet idem, & primo immiſſum lacti. Refert itaque ſimplicem balſami liquorem lac cogere, idque vitiatum haud efficere, eximia ſanè & ſingulari

ſibi

ſibi facultate. Nam veluti propoſito jam indicio, juxta cum aliis lacrymatis, reſinoſiſque ſuccis, ab oleorum miſtura intactum ſe convincit; ita lactis condenſatione propriam magis naturam, indolemque manifeſtat. Hæc verò condenſatio, non de coagulatione propriè accipienda eſt, qua lac per admiſti coaguli particulam, veluti gelu vinctum hæret, figiturque totum; ſed de *ſpiſſatione* & *condenſatione* partium *lactis*, opobalſamo concreſcenti propinquarum, quam cum Proſpero Alpino, debilem, imperfectamque coagulationem haud immeritò nominare libet. Equidem compactionem illam, quæ coaguli facultatem æquaret, etiam in recenti admodùm, optimoque *balſami liquore* nunquam factis experimentis cognovi, quamvis haud exiguam lactis portionem cogeret. Nec veterum quiſquam hanc coaguli energiam, opobalſamo literarum monumentis tribuit, aut ratio aſſignavit ulla. Quomodo enim pares afferant compingendi vires, quæ tam diſſimilis ſunt naturæ? Miſcetur enim lacti coagulum promptiſſimè, utpote eidem homogeneum, & Ariſtotele quoque finitore, Γάλα ἔχον ἐν ἑαυτῷ πῦρ, lac habens in ſe ignem. Itaque factu facillimum eſt, cum ſale ſubtiliſſimo, ſpirituque πηκτικῷ familiarem ſibi ſubſtantiam quaqua verſum penetrent, eamque ſibi alligent undique,

— *ut liquefacta coagula durent.*

At non ea balſamicæ reſinæ conditio eſt, quæ pinguis, & acria, nihil magis quàm rerum aquearum conjugium aſpernatur: adeòque lacti comminùs inſtillata, non illi ſe miſcet; ſed celeri motu per ſummum ejus explicita, tenuem veluti in telam diducitur, tumque partim frigidi contactu, partim exhalante repentè ſpiritu debilitata, ſi quid roboris ſupereſt, quo cogat, aut denſet, in propinquas ſibi lactis partes tantum diffundit. Neque adſtringendi facultas, ſub qua concretionis opera plurimùm proficit, ſingularem in Opobalſamo ἐξοχὴν ſortita eſt, quam optimo illi non niſi mediocrem Dioſcorides adſeribit.

Accedit, eundem uſurpare verbum πήγνυσθαι, cui optimè reſpondet Arabicum illud اجمان: eoque non ſimpliciter τὸ ἐμπιτυάζειν, coaguli inſtar congelare; ſed latioris ſignificati comple-

plexu, quamcumque compactionem, concretionem, condenſationemque paſſim Græci ſcriptores exprimunt. Ariſtoteles, *πᾶν τὸ ὡρισμένον, καὶ τὸ συνεστηκὸς, ἢ μαλακὸν, ἢ σκληρὸν, ταῦτα τῇ πήξει εἶναι.* Rem omnem, ait determinatam, & conſiſtentem, aut mollem, aut duram, concretione talem eſſe. Cumque de particularibus ſermo eſt, *πήγνυσθαι τὸ μέλι ὑπὸ ὕδατος*, ſpiſſari denſarive mel ab aqua: *τὸν ὀπτόμενον κέραμον πήγνυσθαι ἐξιόντος τοῦ ὑγροῦ*: coctum fictile compingi exeunte humido. Utitur eodem frequentius Theophraſtus, eumque de reſinoſis loquitur liquoribus, non eandem, inquit, omnium eſſe horam *τῆς ἐντομῆς, καὶ πήξεως*, inciſionis, & concretionis: copioſiorem eſſe item humidi fluxum, in iis, *ὧν αὐτόματος ἡ πῆξις* quorum ſponte facta eſt condenſatio. Denique hunc ipſum, de quo agimus balſami ſuccum, Strabo, *ἀναληφθέντα εἰς κογχάρια λαμβάνειν πῆξιν*, receptum parvis conchis, acquirere ſpiſſitudinem ſcribit. Quæ cum ita ſint, & vel in optimi opobalſami gutta, mira illa coaguli vis nec ſit, nec perſiſtere queat, qua ſubditi lactis magnam quantitatem parva mole veluti congelat, atque immobilem efficit, nec Dioſcorides, atque Avicenna, quicquam ejus ſigillatim exprimant, non eſt quod Plinium, multa hic *ἀκυρολόγως* proferentem, de propriè ſic dicto, perfectoque coagulandi effectu interpretemur.

Cauſam condenſationis qui communiter expendunt, ad partium lactis balſami ſucco ſubjectarum exſiccationem, cum Ariſtotele reſpiciendum monent, qui verè ſanguinem fibris carentem, *οὐ πήγνυσθαι ὅτι οὐ ξηραίνεται*, non concreſcere dicit, quia non ſiccatur: ipſumque *πήγνυσθαι ξηραίνεσθαι πῶς*, concretionem eſſe exſiccationem quodammodo, ſive ea manifeſtam humidi conſumptionem excitet, ſive *ἄδηλον διαπνοὴν* & imperceptibilem. Efficit eam tam calor, quam frigus. Calor quidem humorem abſumendo; frigus calorem expellendo, cum quo pars humidi tenuior pariter ſeceſſit. Neque obſcurum eſt, utrumque obtinere in balſamico liquore, qui calore ſuo portionem lactis tenuiorem diſcutit, eodemque mox exhalante, prævalente jam frigido ſiccoque elemento, partem propinquam lactis cogit, ipſumque pariter concreſcit. Optimè Her-

metici πῆξιν corporum naturalium, inſito iiſdem ſali, tanquam propiori cauſæ tribuunt. Accipiendum autem hic ſal γενικῶς, pro ſubſtantia miſti terrea, à calore plurimùm attenuata, per quam aptitudinem conſequitur, promtè & ipſum concreſcendi, & aliena quoque corpora, quibus humore, ſpirituque mediantibus communicatur, ſimilem in modum afficiendi. Ita ſaccharum, chalcanthum, nitrum, diſcuſſo per quem diluebantur humore ſupervacuo, tum ex ſe coagulantur, tum ea quibus condimentum præbent, denſant ſecum, atque indurant. Hoc ipſum itaque Opobalſamo congenitum ſal, dum evaporat odoratum ejus ſulphur, concreſcit, ſibique conjunctas affinitate naturæ lactis partes colligit, ac conſtipat.

Cæterùm hanc denſandi lactis proprietatem, non eodem ſemper vigore poſſidet balſami reſina. Potentius agit quæ recentior, quia terreas partes concretionis auctores, calor vix dum rerum potitus, in ordinem haud redegit, atque ut cum Chymicis loquar, Mercurius ſpiritúſve acidus, ſalium ſubtiliſſimorum vehiculum, nondum ab inſito ſulphure ſatis domitus. Debilior actio eſt, cum acquiſita humidi nimia viſciditate, vires ſuas expedire terreæ partes nequeunt: lentoque jam phlegmate, veluti compedibus induta ſalia, ὁρμὴν naturalem, impetumque non promunt. Major autem hæc cogendi lactis potentia, in Syriaco veterum Opobalſamo fuerit, an in Arabico noſtro ſit, non ſatis liquet, cum alterius defectu comparatio facultatum fiere nequeat. Mihi probabilius, Syriacum his viribus præcipuè polluiſſe, cum in temperatiore productum climate, partium frigidarum pluſculùm poſſideret, nec clementior calor ſpiritum ſalium hoſpitem immoderatiùs exigeret.

Actio ipſa condenſationis, haud iiſdem abſolvitur monumentis temporis. Celerior eſt, cum tenuior balſami liquor, adeoque ſolutu promptior, viribuſque penetrandi inſtructior. Tunc enim vix peractâ ἀποζέσει, nondum cœnum ſuum à cœlo diſtinxit, ſpirituſque digeſſit, ſalibus tartareis aſperſos. Tardiùs ergo fit concretio, quum per cauſas contrarias mora fit.

Aben-

Abenſinæ interpres vetus, experimentum, inquit, olei balſami eſt, congelatio lactis, ſtatim, cum ſuper illud deſtillatur. At codex Arabicus Medicæus, particulam, ſtatim, non habet, ſed διαῤῥήδην, دهنه اجماد اللبن اذا قطر منه علي لبن
Pinguedo ejus cogit lac, quando ſtillat ab eo ſuper lac.

Ἔτι ὁ ἀκέραιος ἐπιχυθεὶς γάλακτι ἢ ὕδατι χεῖται ταχέως, καὶ γαλακτοῦται, ὁ δὲ δεδολωμένος ἐπιπλεῖ καθάπερ ἔλαιον συστρεφόμενος, ἢ διαχεόμενος ἀστεροειδῶς.

Amplius qui ſincerus, infuſus lacti aut aquæ funditur celeriter, fitque lacteus: at per fraudem vitiatus innatat ſicut oleum, converſus, & diffuſus in modum ſtellæ.

Tandem quid communiter aquæ & lacti inditum præſtet Opobalſamum ſincerum, perſequitur porrò Dioſcorides. Hic verò effectus tanti eſt apud Arabes, ut vel eo ſolo evidenter ſe proferente, indubitatæ bonitatis liquorem emptoribus ejus ſpondeant. Ac primùm quidem ſincerum balſami ſuccum, aquæ aut lacti immiſſum, celeriter fundi ſcribit; quibus ex amuſſim reſpondent Abenſinæ verba, ينحل بسرعة ſolvi cum celeritate, ut momentum rationis vix habeat interpres Latinus, cur receptiſſima verbi ſignificatione poſthabita, non ſolutionis; ſed miſtionis in aqua & lacte meminerit, quo ſenſu dum ab orbita veri non parum ſecedit, ducit etiam ſecum in plexus, quotquot in eandem ſententiam concedunt: quibus opinionem peperit, jungere ſeſe intimè lacti & aquæ opobalſamum: eademque viribus ſuis undique imbuere, id quod a veritate alieniſſimum eſt. Quamvis enim hoc dem, promptè miſceri aliis, quæ facilem admittunt ſolutionem; id hactenus tamen conceſſerim, ut ſint ὁμοιομερῆ, quæ coire debent, & ſubſtantiæ cognatione invicem devincta. At ea lacti, & aquæ cum Opobalſamo non intercedit. Nam cum hoc aëriæ, ſpirituoſæque ſubſtantiæ plurimùm poſſideat, lac & aqua frigidioris elementi viribus prævaleant, difficilis ſemper, & infirmus concurrentium nexus eſt. Itaque ſi cominus aquæ aut lacti balſamica gutta admoveatur, non mergitur, non miſcetur; ſed ſimul atque utrumvis contingit, in ſummo ſeſe æquore diffundit, ac dilatat. Ex alto ſi deſtilletur eadem, pondere ſuo abrepta

mergitur quidem; ſed mox ſuperficiem repetit, atque in eam ſe expandit.

Funditur ergo pinguis hæc lacryma; ſed funditur ταχέως celeriter. Quamvis enim reſinoſi liquores alii, per aquæ ſuperficiem ſeſe explicent; nullus tamen, vel antiquitus, vel hoc primùm ævo cognitus, tam expedito, tamque celeri motu, aquæ lactiſque ſummum occupat. Conferantur ſinceri ac recentis opobalſami, tum ex abiete, pino, & terebinthoreſinarum in aqua & lacte expanſio, patebitque clariſſimè, quàm

—— nil tremulis facere artibus hædi
Conſimile in curſu poſſint, & fortis equi vis.

Tanta enim in diſſolutiònis velocitate differentia eſt, ut balſamici liquoris guttula recens, momento quaſi temporis diffundatur, quo reſinæ reliquæ non niſi lento paſſu prorepunt. Accedit huic celeri ſolutioni amplior dilatatio, cum vel unica opobalſami lacryma. cyatho ſatis capaci receptam aquam, tenui pellicula totam obvelet. Cur autem aqueis liquoribus inditum hoc medicamentum celeriter disjiciatur, non ſatis, fateor, explicitum eſt. Vero tamen ſimillimum videtur, cum recentis hujus ſucci colliquatio, nulla vel arte, vel agitatione indigeat, fieri eam ob motum partium ſpirituoſarum & calidarum, naturali diſſidio contactum aqueorum averſantium. Hæ, dum velut è centro per radios ad circumferentiam abripiuntur diducunt ilicet, diſtrahuntque ſecum liquorem ipſum, cui amico naturæ fœdere conjunguntur. Itaque deminuitur hæc actio, cum in eodem, ut poeta loquitur Carus,

—— minutatim vires, & robur adultum
Frangit, & in partem pejorem liquitur ætas.

Abſcedunt enim paulatim ea, quæ Hippocrates ὁρμῶντα σώματα nominat, ſicque lentore ſuo præpeditus ſuccus, ad expanſionem redditur difficilis: maximè ſi robore ſuo jam defectum Opobalſamum, aquæ aut lacti intenſius frigidis inſtilletur.

Cæterùm diſſolutionem balſamicæ reſinæ, excipit ejuſdem condenſatio, cujus ratio præcedentibus jam expoſita. Huic conjungit Dioſcorides τὸ γαλακτοῦσθαι: lacteum fieri: ſignum e-

XI.

ximium, quodque ſucci concretionem pari velocitate comitatur. Nam ſimul atque in membranulam hic extenſus eſt, non aureus amplius, non flavus; ſed manifeſto pallore decolor conſpicitur. Tunc verò ſtyli cuſpide recollecta gutta, (nam colligi diſſoluta integrè poteſt) etiam evidentiore candore lacteum ſuccum exprimit. Nec deeſt mutationi ratio. Nam ut in humano corpore, florem naturalis coloris leve ſpirituum deliquium carpit, & per ægritudinem aliquam repente ingruentem, nitor ille,

Ac fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur ——

Ita hic aureum Opobalſami ſplendorem ſpirituoſi ſulphuris effluxus lacteo pallore commutat.

Habet itaque hæc lacryma, ut præ reliquis hactenus cognitis reſinis celeriter ſolvatur, ampliter dilatetur, & coloris etiam citam inſignemque mutationem ſubeat. At igne elicitum è juniperi baccis oleum, ſimili facultate præditum conſpicitur, cum celeri motu ipſum quoque per aquam diffundatur: inventique à curioſis hominibus liquores, qui tum lactis aliquid cogere, tum aquis infuſi lacteum candorem æmulari cernebantur. At hæc non efficiunt, ut vel balſami liquores diverſos nobis præbeant, aut in genuina lacryma ſuſpectam integritatis fidem reddant: facilèque patimur, junctim poſſidere Opobalſamum, quæ in aliis ſeorſim occurrunt, & ſingula. Sint enim quorum maculæ promptè lotione tolluntur, quæ lac coagulant, quæ celeriter in aqua liquantur, quæ colore lacteſcunt: imò quæ manantibus tam à temperamento, quàm à tota, ut cum Galeno loquar, ſubſtantia facultatibus paria præſtent. Opobalſamum tamen aliud genuinum habendum non eſt, quàm reſinoſus ex ipſa balſami planta ſuccus. Qui probus utique fuerit, ſi viribus ſuis etiamnum pollet, adeoque ſuavem ligni fructuumque ſuorum odorem ſpirat, linguam mordicando atque adſtringendo mediocriter afficit. Sincerus item, ſi maculam pariat lotione delebilem, lac cogat, denique aquæ aut lacti immiſſus celeriter fundatur, extendatur, albeſcat.

Subjungit porrò Dioſcorides ſuccum balſami, dolo vitioſum, olei inſtar innatare, converti, atque in ſtellæ modum expandi. Confirmat idem, & verbis propemodùm iiſdem Abenſina, cum ſcribit,

المغشوش يطفوا مثل الزيت ويجتمع او يتفوق فيصير بمنزلة الكوكب Innatat (adulteratus) ſicut oleum, & ſummum occupat, idque fit ſimilitudine ſtellæ. Nam cum recentis legitimique Opobalſami gutta quaquaverſum exporrigatur, occupetque celerrimè oram vaſis omnem, haud reperit quo ſe proferat ulterius, adèoque nullis diſtractum radiis, ſimplici continentis corporis ambitu definitur. Ne ſenio quidem languidior balſami liquor olei volutatus in aqua exhibet. Nam in frigidam conjectus petit fundum; in calidam, modicè dilatatur: in fervidam miſſus, diſcuſſis ilicet ſpirituoſis reliquiis, vix diſſolvi amplius poteſt. Memorabile item quod addit hic Dioſcorides,

τῷ μὲν τοι χρόνῳ ὁ ἀκέραιος παχυνόμενος ἑαυτοῦ χείρων γίνεται. Πλανῶνται δὲ οἱ νομίζοντες τοῦτον ἀκέραιον ἐπισταγέντα ὕδατι χωρεῖν εἰς βάθος πρῶτον, εἶτα ἀναπλεῖν ἀδιάχυτον.

Cum tempore verò ſincerus craſſefactus, ſe ipſo deterior fit. Hallucinantur autem qui exiſtimant, hunc ſincerum ſuper aquam ſtillatum, petere fundum prius, deindè ſurſum meare, facilè ſolubilem. Refert eadem ex auctore noſtro Abenſina, totidemque verbis,

يغلط من يظن ان الخالص ذا قطر علي الما يغوص اولا في عمقه ثم انه يطفوا عليه وهو غير منحل

Errat qui exiſtimat ſincerum, cum ſtilletur ſuper aquam deſcendere primùm in fundum, deinde remeare ſuper eam, eſtque hic ſine ſolubilitate, ac bonitate. Purum itaque balſami ſuccum, ætatis melioris decurſu jam craſſefactum, fieri deteriorem, verè nimis, ac seriò fatetur Dioſcorides, ut Crateti vetuſtiſſimo Comico meritò applaudendum ſit, qui

Ὁ γὰρ χρόνος μ' ἔκαμψε τέκτων οὐ σοφός.
Ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀσθενέστερα.

Me, inquit, tempus incurvavit, faber haud bonus, omnia quippe efficiens imbecilliora.

Cui à

Quid igitur? non incolumes permanent in genuina balſami reſina notæ illæ a Dioſcoride nobis commendatæ, quibus indolem ejus ad veri obruſſam exigimus? Ita iis ſane videatur, qui propoſita junctim ſigna, pro differentia nobis objiciunt, εἰδοποιὸν ſpeciem rei conſtituentem, quæ Porphyrio præceptore, ἄλλο, οὐκ ἀλλοῖον, alium, non diverſum efficiat Opobalſamum, non magis admittat & minus, non ætatis, temporiſque mutationibus obnoxia ſit, ut varietas quidem in calorem, ſaporem, odorem, innatationem, aliaſque notas cadere queat, non queat in maculæ delebilis productionem, lactis concretionem, celeremque liquationem. Sed hæc plura ſunt, & majora, quam ut iis capiendis Opobalſamum par eſſe poſſit. Nam cum liquor hic non ſit in æternarum ſubſtantiarum cenſu, quibus, ut verè docuit Ariſtoteles, τὸ ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι μηδὲν διαφέρει, eſſe & potentia non differunt; ſed propter communem caducis materiæ labem, corruptioni ſubjectum. Neceſſum eſt, ut in ſe ipſo habeat, cujus ductu poſt exortum ſuum abeat ad occaſum, & fortuitorum etiam occurſu rapiatur eodem. Quemadmodum autem optimum factum, collectis balſamici ſucci facultatibus & affectionibus, ab aliis eundem curioſè diſtinguere, cujus non ſecus ac de plantarum partibus aliis ſenſit Ariſtoteles, οὐκ ἔστιν ἀκριβὴς ὁ λόγος, non eſt ſatis exactè cognita ſubſtantiæ ratio; ſic iniquum eſt, qualitates naturales, quæ ſeorſum ſpectatæ, ne propriæ quidem ſunt, in formarum eſſentialium ordinem redigere.

Sed revera in nobili hac reſina, nihil eſt quod vim temporis, adeoque ætatis effugiat: nihil quod locorum, cultuſque varietate, mutationem accidentium non admittat: ut quæ coloris, odoris, ſaporiſque diſcrimen invehunt cauſæ, varient pariter, intendant, remittant qualitates, actioneſque reliquas. De craſſitie, per quam ſinceriſſimi alioquin ſucci conditio redditur deterior, fatetur Dioſcorides. At hanc duo conſequuntur; adhæſio ſcilicet in pannis pertinacior, quæ deinceps elotionem ſecum trahit operoſiorem: tum ſolutionis, expanſioniſque difficultas, veluti in allatis ſuperius abundè expoſitum. Neque aliter de lactis condenſatione ſentiendum eſt, ſive

hanc

hanc viri docti a temperamento deducant, ſive totius naturæ viribus acceptam referant. Nam terreæ partes, acquiſita per ſenectutem humidi viſciditate illaqueatæ, quò ſe exporrigant, tanto minus reperiunt, quanto major ſpiſſitudo liquorem compingit. Nec conſtantiores hercules ſunt; manantes à tota ſubſtantia facultates, ut crebrò nimis in alexipharmacis, catharticis, aliiſque pretioſis medicamentis experimur, & ſalutaris ſcientiæ parens ἐμπειρία dudum detexit. Credant itaque Dioſcoridi citra exceptionem fidei probatiſſimæ teſti: credant Abenſinæ, qui disertè,

للعتيق فلا قوة له الا وهي قوة يسيرة

In condenſato antiquo, non eſt, inquit, robur partium, quod ſit robur efficax: ſciantque balſami etiam puriſſimi liquorem, per varios ætatis caſus, quamvis externus fortuitorum impetus non accedat, notis quotquot obtinet omnibus, varium ſe præbere, atque, ut cum Ariſtotele loquar, ἀορίςως ἔχειν.

Porrò explodit Dioſcorides errorem eorum, qui ſincerum quidem; ſed longiore tempore craſſefactum Opobalſamum prius fundum petere arbitrabantur, deinde ſurſum remeare, facilèque diſſolvi. Nam quodcunque hujus conditionis eſt, aucto jam frigidioris elementi pondere, fertur deorſum, etiamſi non eminus; ſed comminus aquæ inditum fuerit; & citra validum projicientis impulſum. Tum verò, ſi partibus aëriis nondum penitùs deſtitutum, languide, tardèque ſurſum nititur, tardè ſolvitur, nec tenuem undique in telam panditur; ſed olei inſtar, intra exiguum orbem coercitum, innatat. Quod ſi ſpirituoſis partibus fortior concretio vim extremam intulerit, non furſum contendit, perque ſummum aquæ deducitur; ſed in fundo perſiſtit, &, ut Pythagorei olim ſentiebant, ἐν Διὸς φυλακῇ, in Jovis carcere.

Sed hic Plinius nobis in pleno curſu remora objicitur, qui ſuccum balſami probatum in aqua ſidere, ſcriptum reliquit. Hunc Saladinus ſequitur, & Setus, & quotquot poſthabito ſubſtantiæ Opobalſami examine, ſimplici auctorum aſſertione ducuntur

— *ceu nervis alienis mobile lignum.*

Mihi quidem Plinius etiam inter eximios ſcriptores locum

ſuum retineat; minimè tamen Dioſcoridi atque Abenſinæ in materiæ medicæ πραγματείᾳ ἔμπροσθεν ὥσπερ αὐτῶν γέγραπται καλῶς: ἀλλὰ ὥσπερ ἁπάντων οὕτως οὐδενὶ multa vetuſtiores (de ſimplicibus medicinis) benè ſcripſiſſe; neminem tamen omnium æquè benè de omnibus. Alter ingenio, judicioque princeps, quemadmodum de ſalutaris ſcientiæ præceptis; ſic de remediorum uſitatiorum facultatibus, non minus probanda eddit, quàm

Pythia quæ tripode ex Phœbi, Lauruque profatur.

Quærant, per me licet, viri docti, quo diſſentientem Plinium, cum præſtantiſſimis auctoribus in gratiam reducant. Ego mille mendis, erroribuſque fœdato ſcriptori manus haud commodo, cujus maculis delendis, ſe vix parem agnoſcit eruditorum phœnix, Salmaſius. Dioſcoridi noſtra præter experientiæ certiſſimam fidem abundè patrocinatur ratio, quæ pinguem aëriamque lacrymam, quamdiu nativam ſervat indolem, ſummum aquæ occupare debere, (niſi externa vis deorſum cogat) tam ſuperantis elementi viribus; quàm recentium omnium reſinarum exemplo, penitiſſimè convincit. Igitur maculam oleorum inſtar non facere, lac denſare, celeriter diffundi, olei inſtar haud innatare, propoſitæ a Dioſcoride balſamicæ ſinceritatis notæ, cum in Arabico ſimplici dohen baleſan, quamdiu provectioris ætatis vitio nondum exhauſtum eſt, optimè omnes ſe manifeſtent, neceſſario relinquitur, eundem omninò eſſe cum illo, quem veteres agnoverunt, ſuavem è Palæſtina, pretioſumque balſami liquorem.

His expenſis pergit ad Xylobalſami, & Carpobalſami, adeòque ligni fructuumque balſami examen: *& lignum, inquit, quod Xylobalſamum vocant, probatur recens.* Enim vero de junco, calamoque aromatico quod ſcripſit Theophraſtus, παρακμάζειν ταχὺ, citò à vigore ſuo deſciſcere, de balſami ſurculis meritò fatendum, qui niſi recentes ſint, ob facilem partium tenuium diſſolutionem, quas tum fervidius Arabiæ clima, tum ſub acriore ſole longius deindè iter imminuit, conceptæ de ſe virtutum expectationi, Europæis raro ſatisfacere poſſunt. Addit laudari λεπτόκαρφον, ſurculo tenui præditum.

Hoc enim ipſum illud eſt, ut ſuperius explicitum, cujus vegeta magis natura, nec dum cultu diuturniore effœminata, quodque ſucco meliore perfuſum, Πυῤῥὸν, εὐῶδες, τραχὺ, πνέον ὀποβαλσάμου, ſuave olens, rufum, aſperum, idque externa corticis ſcabritie: denique Opobalſamum ſpirans, quia ſic indicium exhibet certiſſimum propriæ ſtirpis, roboris item præſentis, & unguentis apud veteres nobilioribus aptum erat, quibus incoquebatur. Proſtant hi opobalſami ſurculi, notiſque allatis optimè reſpondentes, in Venetis, Siculis, Hetruſcis, & Maſſilienſium emporiis, iique probatiſſimi, ſi in Cahiro emantur recentes, & expeditior deinde ex Aegypto, breviorque vento ſecundo navigatio contigerit.

Fructus præterea ſive carpobalſami, neceſſarium incidiſſe uſum refert Dioſcorides, quoniam & unguentis adhibebatur, & immiſcebatur antidotis. Eligendum autem monet ξανθὸν, ſive id rufum interpretemur, ſive flavum. Nam externo folliculi ambientis colore, ſurculis rubentibus fructus ſimilis eſt, & intrinſecus, membrana ſuccum melleum propiùs aſſervante, flaveſcit. Plenum denique, cum non corticum, ſed incluſi potiſſimùm ſucci gratia carpobalſamum expetatur. Quamvis autem poſſibile non ſit, ut idem ex Arabia in Europam tranſmittendum, deſideratam ab utiliſſimo ſucco plenitudinem exhibeat, validis cauſis diſcuſſioni ejuſdem incumbentibus, ſecus quam olim contigit, cum in Palæſtina, atque Aegypto, Græcis, Italiſque hominibus obvium eſſet. Satis tamen in tanta locorum intercapedine, probabilis exiſtimandus fructus balſami, qui nondum penitùs exſuccus, & arefactus deprehenditur; nec odore adeò proprio, ſaporeque deſtituitur.

Jungit Dioſcorides plenitudini carpobalſami *amplitudinem* & *pondus*. Subeſt enim *utrique horum major odorati ſucci copia*, qui veluti in minore fructu minor; ſic in leviore quoque magis abſumptus eſt. Magnitudinem ipſam haud exprimit Anazarbæus, disertè verò Theophraſtus, παρόμοιον τερεβίνθῳ, καὶ μεγέθει καὶ σχήματι καὶ χρώματι, aſſimilem terebintho tradidit, magnitudine, figura, colore. Similem magnitudine: nam cum è duabus terebinthi fœminæ generibus, altera lentis ſpecie

fructum edat, altera fabæ, priori utique non ineptè carpobalſamum comparaveris. Similem quoque retulit ſchemate fructum, quo ad rotundam ſe figuram componit. Similem denique colore, qui in extima membrana ruſus apparet. Porrò carpobalſamum guſtu mordax commendat Dioſcorides, & πυρῶν, fervore ſive acrimonia linguam feriens; ſed μετρίως, moderatè: quam vocem malè interpretes a guſtabili qualitate ſemotam, conjungunt odori. Nam ſuccus balſami, quamvis Dioſcoridi θερμαντικώτατος, maximè calefaciens dicatur; blanda tamen per ſe cùm adſtrictione, tum mordacitate guſtantem afficiat: blandius idem præſtiterit fructus, qui agendi viribus δευτέραν δύναμιν, ſecundariam potentiam adeptus eſt. Tandem Opobalſamum redolere fructus debet, quoniam hoc involucris ſeminis largiùs, quàm reliquis partibus plantæ natura congeſſit: unde neque ita facilè diſſipabilis in eo fragrantia, nec debilis obſervatur, veluti in ſurculis, ſole acriore extenuatis. Neque adeò abs re Theophraſtus, εὐώδης σφόδρα καὶ τοῦτο, καὶ μᾶλλον τοῦ δακρύου, carpobalſamum benè odorum & ipſum eſſe prodidit, & magis quàm lacrymam, utpote quod exquiſitius ab inſito calore ſubactum liquorem, ſpirituque plenum contineat: quamvis accuratiſſimus ſenex de præmaturo, admodumque recenti balſamico ſemine intelligendus ſit.

Cætera viſum quidem Galeno fuit, lignum fructuſque balſami adulterio haud obnoxia eſſe: monet tamen ingenuè Dioſcorides, quid callidi olim impoſtores hic quoque auſi fuerint. Nam aſportari, inquit, è Petra oppido ſemen hyperico ſimile, quo carpobalſamum vitiatur, cognoſcique fraudem, quod illud majus ſit, inane, ἀδύνατον, facultate, viribuſque deſtitutum, πεπερίζον τῇ γεύσει, ſapore piperis. Cum verò non percepiſſet Dioſcorides, quid eſſet, quod per fraudem ſubſtituebatur; ſed cui id ſimile fuiſſet, exiſtimarunt viri doctiſſimi, aut terebinthi ex *Arabiæ* Petra delati ſemen ſubſtitui potuiſſe, quod veluti genuino carpobalſamo colore, figura, magnitudine; ſic lenticulari hyperici ſiliquæ diſſimile non eſt: aut ex eadem regione *ſylveſtris* balſami fructum ſupponi. Quorum

 alte-

alterutrum ſi ita fuit, innoxia ſanè fraus extitit, ob naturæ virtutumque inter hæc ſingularem conjunctionem.

Sequitur naturalium affectionum deſcriptionem, actionum particularium explicatio, variiſque in morbis profligandis utilitates ſummæ. Hanc etiam inter veteres optimè omnium, & diligentiſſimè recenſet Dioſcorides, cujus veſtigia pari paſſu Abrabum princeps preſſit. Orditur autem à liquore, cui δύναμιν ἐνεργεστάτην, vim efficaciſſimam tribuit, utpote qui maximè calefaciat. Hoc verò qua ratione determinandum ſit, habito ligni, fructuumque reſpectu, ſatis ſuperius ex Galeni, & Abenſinæ ſententia declaravimus. Inter particulares effectus, abſterſionis meminit, τῶν ἐπισκοτούντων ταῖς κόραις, eorum quæ tenebras pupillis offundunt. Quo nomine, licet innuere videatur ſordium remotionem, exterius è regione pupillæ ceratoiden oculi tunicam obfuſcantium: interpretandus tamen etiam de diſcuſſione excrementorum pituitoſorum, circa uveæ membranæ oras, & in ipſa pupilla obhærentium, cumque viſionis diſcrimine ſpiſſitudinem acquirentium. Imò, quid velit hic Dioſcorides optimè declaravit Strabo, cum Opobalſamum τὰς ὑποχύσεις, ἀρχομένας, καὶ ἀμβλυωπίας ſuffuſiones incipientes & hebetudinem oculorum ſolvere ſcribit. Apponitur oculi affecti palpebris, *molli linteolo illitum*: cumque medicamenta hypochymati exactius convenientia, non ſolùm tenuius humidum diſcutere debeant; ſed etiam craſſefacta attenuare, atque indurata remollire; balſamica ſubſtantia tàm calore ſuo, quam pinguibus reſinoſiſque partibus, malo oculorum enarrato modis omnibus egregiè opitulatur, ſaltem incipiens ſit affectus. Nam quæ pedem jam fixit ægritudo, ſine chirurgia tolli nequit. Addit Strabo, eandem λύειν τὰς κεφαλαλγίας θαυμαστῶς, ſolvere mirè capitis dolores. Neque enim obſtat, quod ſcripſerit idem, Arabes ſuaveolentium rerum uſu ſtupore corripi, qui graveolentium adhibitione removendus ſit. Etenim

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Ultra quos, citraque, vel ſaluberrima remedia vertuntur in perniciem. Rectè Heſiodus.

Πλέον

Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεεινή.

Juvat autem Opobalſamum, qua aſſumptum, qua exterius admotum. Aſſumptum, quia redintegrata cibi digeſtione, vaporum ad caput aſcenſus minuitur; admotum verò, quia collectos vapores diſcutit, & reſolvit. Matricis refrigerationibus porrò mederi teſtatur Dioſcorides, cum Cerato adhibitum roſaceo, menſtrua mulierum, ſecundinaſque ducere, & extrahere fœtus, quæ partim calori, qui recentiore adeoque tenuiore ſucco magis penetrabilis, partim ſuavi ejuſdem halitui, quo uteri expultricem roborat, accepta ferenda ſunt. Rigores illita ſolvit, facta vaporum putridorum diſſipatione. Ulcera ſordibus fœda purgare, chirurgis cognitiſſimum eſt. Per os item acceptum Opobalſamum ventriculi facultatem concoctricem adjuvat, cietque urinas, undè inter calculos minuentia, eaque ſelectiora dudum inclaruit: quippe, quod non tantum penetrabili calore ſynagmata ſive concreta lapidoſa diſjungat; ſed contractam renum debilitatem, ſiccitatemque, unguinoſo madore temperet, & corrigat. Exhibetur hunc in finem utiliſſimè boli forma, quemadmodum in uſu terebinthinæ conſuevimus, anonidis, aut lithoſpermi pulvere ſubactum. Convenit anheloſis, atque, ut inferius meminit Dioſcorides ὀρθοπνοικοῖς, ægrè nec niſi recta cervice ſpiritum ducentibus; quorum bronchis impacta lenta pituita, cum non ſimplicem tantum exſiccationem poſtulet; ſed validam etiam abſterſionem; ipſi præterea pulmones à putredine vindicandi ſint, vix erit medicamentum, quod in hoc ſymptomate ſublevando, Opobalſamo præferamus. Sumitur ad ſcopum hunc conſequendum per os, radicum helenii pulvere permiſſum, & linctu pariter *aſperæ* arteriæ inſinuatum, *oleo* prius amygdalarum dulcium *ſolutum. Exhibuerunt idem* veteres in lacte, iis qui aconitum hauſerant, ocyſſimum venenorum, & quod non vanè è ſpuma Cerebri natum fabulati ſunt. Quin & à vipera demorſis: neque, alia *hercules cauſa*, quod balſamicum liquorem optimis quibuſvis antidotis permiſcuerunt. Quamvis etiam acopis addiderint, id eſt, medicamentis laſſitudinem, colorumque mo-

leſtias eximentibus, & malagmatis ſive indurata præter naturam emollientibus.

Verùm ut δραστικωτάτην δύναμιν, vim efficaciſſimam Opobalſamo; ſic proximam potentiam fructui ſive carpobalſamo tribuit Dioſcorides. Hoc igitur, præter enarratos effectus omnes, quos præſtat, etiam pleuriticis, peripneumonicis, tuſſientibus, potu datum benè facere ſcribit. Non tamen exiſtimandum conferre poſſe, cum validæ inflammationes pleuram, pulmoneſque inſederunt; ſed cum his, aut quieſcentibus, aut remittentibus, purulenti ſinus expurgandi ſunt, corruptela partium inhibenda, facileſque ἀναχρέμψεις, ſive expectorationes accelerandæ. Accedit ex iiſdem utilitas iſchiadicis, epilepticis, & vertiginoſis, quotieſcunque immodicè ſuccreſcens phlegma, partim abſumendum, partim ad ureterum ductus derivandum, cerebrumque ipſum Hippocrati τῆς ψυχῆς μετρόπολις, ſiccandum, & corroborandum fuerit.

Poſtremò, lignum balſami quamvis minimum virium ſortitum ſit, uſu tamen had aſpernandum eſſe concludit Dioſcorides. Etenim adverſus cruciatus, alvique tormina, tum cruditates, & venenatos ſerpentium morſus auxiliari teſtatur, ex aqua decoctum, & potum. Imò βοηθεῖν τοὺς σπομένους, juvare contractos: nam ſive morbum frigidior nervoſarum partium intemperies invexerit, ſive Hippocrate auctore ingentes πληρώσιες, ἢ κενώσιες, repletiones aut inanitiones, utique tam calore ſuo profecerit medicamentum, quo frigus inimicum oppugnat, & ſuperflua diſcutit, quàm reſinoſa ſubſtantia qua convulſa relaxat. Capitis item vulneribus, cum Iride ſicca aptum Xylobalſamum tradit, idque non de cutaneis tantum; ſed gravioribus, adeòque oſſium, meningum, ipſiuſque cerebri diviſionem inferentibus, habendum eſt. Nam ut ex auctore patet, arefacti Xylobalſami pulverem iridi miſtum, denudatis capitis oſſibus, & in quibus τῶν λοπίδων ἀναγωγὴ, ſquamarum eductio procuranda, uſurparunt. Conſuetum id aliàs priſcis Chironibus fuit, qui contuſorum oſſium ſeparationi ſtudentes, ex ariſtolochia, corticibus radicum panacis, Olibano, iride Illyrica ſiccos pulveres, tum aliis, tum cranio præcipuè læſo inſpergebant

bant, cephalicos ob hoc ipſum appellatos, ſuadente pariter hoc auxilium medendi præceptore Galeno. Inutiles quidem eos judicat vir clariſſimus Ludovicus Septalius, ſi ex Magati ſententia raró vulnera detegantur, calor partium naturalis foveatur, decenſque puri collecto exitus paretur. Attamen haud raró contingit, ut inſignis partium ſauciatarum debilitas, adeoque purulentæ ſordis ingens proventus, & ob ſitum vulneris decliviorem effluxus excrementorum difficilis, majus ab exſiccantibus pulveribus propoſitis præſidium efflagitet; efficacior tamen, & evidentior etiam oſſibus læſis Opobalſami profectus eſt. *Utor* eo, dum hæc ſcribo, in puero, cui temporum os dextrum ex lapſu, duplici fiſſura graviter læſum erat, feliciſſimo ſucceſſu. Nam poſtquam exiguo, ſtellatoque terebello oſſe perforato, viam aperuiſſem coërcito ſubtus puri, liquoris Arabici tepidis aliquot guttis, pini lacryma dilutis, & vulneri inditis, partium contuſarum ſeparationem, carniſque regenerationem, facili opera natura conſecuta fuit. Subjicit his omnibus Dioſcorides, ſpiſſamentis unguentorum Xylobalſamum eſſe adhibitum, neque id ſanè inconvenienter. Cum terrea ſiccaque ſui portione bibere liquidiora potuerit, ſimulque denſare, & ſuavi etiam halitu gratiam unguentorum vel ſovere, vel augere.

Hæ tam præſtantium facultatum dotes, cum in Arabici balſami liquore, non tam meis, quam Aegyptiorum, Arabumque crebris pariter, ac certis experimentis clariſſimè refulgeant: cum notas etiam tam bonitatis, quam ſinceritatis eaſdem ad amuſſim exhibeat; plantam denique genitricem, natura, atque *habitu* eandem ſortitus fuerit, quam *nobiliſſimi auctores deſcripſerunt*, quiſquis illum *genuinum veterum* opobalſamum hauddum agnoſcit, *eum palam eſt*, aut ſenſuum aut rationis impotentem eſſe. *Judicarunt* idem, præter allegatos initiò. *I.* C. Scaliger, E. *Cæſalpinus*, G. Fallopius. I. Coſtæus, C. *Cluſius*, M. Lob*elius*, P. Matthėolus, viri materiæ medicæ cognitione hoc ævo principes.

Cæterùm, ut olim antidotos celebriores componentibus, non raró propter paucitatem deerat hæc gratiſſima reſina; ſic etiam he-

hodiè, ob cauſas ſuperiùs adductas, & ingentem Theriaces in tot urbibus componendæ quantitatem, pauciſſimis ſufficit. Cogitarunt itaque viri ſalutis publicæ ſtudioſi, quid opobalſami deficientis locum viceſque ſubire poſſet. Aptiſſimum judicantes, quod eidem ſubſtantiæ ratione cognatum, quod facultatibus, vel omnibus, vel ſaltem præcipuis proximum exiſtit. Galenus ſummorum principum judicio, in antidotis componendis accuratiſſimus, abſente balſami lacryma myrrham ſtacten adoptabat. Fuit hæc, ut disertè protulit Theophraſtus, ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥέον, ex lacrymata recenter myrrha, jamque concreta pars tenuior, ejuſdem contuſione, & expreſſione eliquata. Dicitur oleum, quia fluida, oleique lentore prædita deprehendebatur: ſtacte item, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν, quod paulatim ſtillaret: quemadmodum reſiduum ejus in offas convolutum, myrrha ficta, σμύρνη πλαστή. Miſcebatur quidem aliàs myrrha Theriacæ; ſtacten tamen Opobalſamo ſuccedaneum conſtituit rei medicæ iiaſtaurator, quandoquidem hæc, poſitis partium craſſiorum impedimentis, tam reſinoſa ſubſtantia, quam temperamenti harmonia, & actionum omnium æmula virtute, balſami liquorem proprius attingebat. Nec fugiebat medendi præceptorem, quod aucta myrrha, myrrhinus odor antidoto conciliaretur, (qui *diſplicuit* Oddo) quia balſamicarum virium acceſſionem potiùs; quàm odoris conſueti mutationem aliquam reſpiciebat. Imitabimur Galeni diligentiam, ſi myrrham ſelectiſſimam vini ſpiritu ſolutam, ſemotis prius terrenis fecibus, ſpirituque caloris artifici gradu iterùm abſtracto, ad liquidioris reſinæ modum, habitumve revocemus. Incedunt eadem cum Galeno via, qui cognitas hoc ævo præcipuas reſinas opobalſamo vicarias conſtituunt. Tales ex Indiis allatæ ſunt Tolytana, & Peruana lacryma, quarum utrique, propriis appellationibus poſthabitis, vulgus mercatorum balſami nomen fecit. Præſtantior ex his Tolutana, quam Pino ſimilis arbuſcula, vulnerato cortice fundit; tam odora fragrantia, quàm virtutum omnium explorato ſpecimine Arabum opobalſamo valdè cognata. Eligenda, quæ aurei adhuc coloris, ſaporis haud ingrati, Jaſmini ſuaveolentiam quo-

dam

dammodo ſpirans, nondum valdè condenſata; ſed quæ putaminibus nucum Indicarum modicè calefactis promptè effluit, quibus incluſa plerumque mittitur in Europam. Harum quoque defectum ſupplere liquidas, & fragrantes lacrymas, quas è tenellis terebinthi, abietis, piſtacei, pinique ramis, laxatus perità manu cortex, vernantis anni tempore promit, nemo dubitabit, qui juſtis ponderibus, tam ſubſtantiæ cum opobalſamo, quàm facultatum conſenſum examinabit: licet è terebintho Cypria flavus liquor, arte Hermetica prolicitus, cum ſit calidior, tenuiorque ejuſdem pars, Meſue, Fallopio, Renodeo, Lobelio, viris in æſtimanda ſimplicium medicamentorum natura peritiſſimis, dignus viſus fuerit, quem deficienti Opobalſamo ſubſtituerent. Ad vires magis excellentes reſpexerunt, quàm temperamenti, & facultatum ſimilitudinem, qui deſtillatum è baccis juniperi, lauri, mace, caryophyllis aromaticis oleum, aut è ſeminibus citri & nuce myriſtica expreſſum, balſami reſinæ ſubmittendum judicarunt: quorum tamen hoc, quemadmodum ſtillatis oleis temperatius, odore ſuavius, paratuque facilius; ita clariſſimorum virorum punctis, calculiſque magis receptum eſt. Fructui balſami cubebas in Commentariis ſupponit P. Matthiolus, cl. Alaymo ſurculis illius utriuſque lauri corticem. Vix tamen carpobalſamo, maturis terebinthi fructibus, & Xylobalſamo vegetis ejuſdem ramulis, quicquam ſimilius obvium habemus.

Hæc ſunt, mi Peregrine Pitori, quæ pro declaranda Dioſcoridis ſententia de balſamicæ reſinæ tam natura, quam facultatibus, in Patavino Sereniſſimæ Reip. Archigymnaſio, variarum nationum auditores publicè docui: adhibita etiam in examen *illa ipſa*, quam *pharmacopœis aliquot patrocinaturus rejicis*; quam *miſtæ*, *larvatæ*, *falſæ*, *factitiæque* titulis proſcribis. Aſcendere *tribunal voluiſti*, quod diu ſub Auguſto Cæſare corruiſſe memorat *Dio*, ſpretaque lege Clodia, tanquam reo provocationem *adempturus*, egiſti cenſuram; quodque iniquius, de re neque inſpecta diligentius, neque experimentis tibi cognita. *Solis*, *inquis*, *ex Cl. Baldi dictis*, *quaſi per cuniculum quendam*, *ad totam hanc labefactandam doctrinam irrepere*, *& ex*

ſcripturis elicere veritatem mihi propoſitum eſt, quando non amplius experimentum haberi poſſit. Avidi enim non minus medici, quàm pharmacopæi, pretioſa antidota componendi, ilicet atque Venetias adductus eſt liquor, Theriacas pararunt, omneque protinus diſſipavere reſiduum. Atque utinam intra cenſoriam gravitatem, & modeſtiæ fines, quam verbis tuis tibi quidem tribuis, contineri potuiſſes, aut innatæ mentibus humanis caliginis meminiſſe, quam exordio libelli inducis. Nunc irrumpis, & laudatum à prudentiſſimis, doctiſſimiſque Urbis archiatris balſami ſuccum *tanquam perſonatum generoſiſſimis auſis te propulſare præfaris, atque à cunctis exſulem Europæ provinciis, ad Capitolinam tandem arcem, veluti ſecuriſſimum periclitantis auxilium, & delinquentis aſylum confugientem; ab ea dare præcipitem, jamque tædioſam lucis ſarcinam ſuſtinentem, merita laceratione diſperdere.* Mox *puſillum te bellatorem ſcribis, & cum robuſtiſſimis hoſtibus manum conſerere non pertimeſcere, ut parmam albam illuſtri hoc facinore delineare poſſis.* In progreſſu poſita clava, & leonino exuvio, viris præſtantiſſimis, B. Baldo, & P. Caſtello effuſè blandiris, quorum huic ſummam doctrinam; ingenii mirandam oſtentationem, & præclara merita: illi charitatem, maximamque pietatem tribuis, quod approbarint, & defenderint liquorem, quem ceu falſum, larvatumque diſperdis, & exulare jubes.

Campios non minus varia doctrina; quàm materiæ medicæ notitia laudatiſſimos, commendationem, inquis, mereri, quod ſenſum ſuum, licet non verè, liberè tamen, & ſincere propoſuerint; quamvis in ſcriptis eorum, ubi tenebræ tuæ fuerint, ne verbo quidem innuas. Nec juvat, te cenſore, ſinceritas, & libertas ulla Joſephum Donzellium, Franciſci Perlæ teſtimonio, ſimplicium medicamentorum inveſtigatorem ſolertiſſimum, quem ſolum inverſo pollice damnas, quoniam *auctoritati tantum quorundam confiſus, rationem, & experientiam dimiſerit, & de ignotis ſibi pronunciare non puduerit.* At verò Pitori, dum aliorum dictis, ſcriptiſque totus intentus, hanc tantum cenſuræ tuæ excuſationem affers, quod excell. virorum aſſerta, vel infirma, vel à judicio tuo aliena ſint: dum de re tibi non perſpecta,

ſpecta, alienum affers experimentum, non tuum, quas tibi compedes ipſe fabricaris, quove flammeolo pudori tuo conſulueris, tute videas. Suſpicionem quoque moves malæ cauſæ, quod ſententiam judices de medicamento delato nondum tulerint. At ea penitus vana eſt. Quis enim cum Menandro neſcit, ἄγειν πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνον, veritatem in lucem extrahere tempus? moramque hanc non crimen in re; ſed cognitionis difficultatem arguere. Cæterum abſolverunt Opobalſamum viri, qui maximè de natura ejus atque optimè judicare potuerunt, in quorum ſuffragiis haud dubito clariſſimos arbitros pariter acquieſcere: quorum hic ſingularem imitari prudentiam debebas, quod in materia non omnibus modis ſibi perſpecta, Hippocraticum illud ſeriò ſequendum exiſtimarint, μηδ' εἰκῇ, μηδὲ παροράν. Exceſſus denique improbati à te Opobalſami, tam emptores, quàm aſſertores. Illos quia ſibi comparaverint id, quod ex meis dictis commune balſamici liquoris nomen præ ſe tulerit: hos, quia probaverint ſuccum, in cujus diſtinctione cum verum à falſo cernendum, etiam peritiſſimos quoſque falli potuiſſe, fateatur Galenus. Te interim extra peritiſſimorum diſcrimen ponis, dum aſſumpto non Dioſcoridis, ut reris; ſed interpretis filo, jam explicitum te labyrintho, jam ignorantiæ monſtrum jugulaſſe ſcribis, perfectæque notitiæ portam reperiſſe non dubitas: nempè quia lippos hic arbitraris clariſſimos Urbis archiatros; te ſolum

—— tam cernere acutum,

Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

Quibus coloribus cum etiam cæcutienti ſatis exprimas, quos affectus ad hoc tribunal attuleris, quaque animi moderatione cenſorium officium peregeris, parcam ego operæ, & expreſſum parma tua facinus, ſiquidem publicæ luci exponere placuit, æternum eſſe facilè patiar.

Tangam igitur in ſcripto tuo ea præcipuè, quæ P. Alpinum, celeberrimum anteceſſorem meum, meque propius ſpectant. *Immerguntur, ais, ævi noſtri doctiores innumeris difficultatibus, dum non contenti his quæ Europa quotidiè ſubminiſtrat, Opobalſamum, antiquis pretioſiſſimum, noſtris deſideratiſſimum ſuccum,*

huc uſque advocant, *ex Arabia*, *&c.* Sed immergantur, Pictori, difficultatibus, non ſubmergantur; imò enatent, atque ex alto illo rerum naturalium educant nobiles veluti uniones, quibus rem medicam locupletent, & augeant, publico bonæ Valetudinis commodo. Quos ſtimulos generoſis, doctiſque animis in hoc ſtudio gloria tantum non admovit? In exemplum venit poëta Carus, qui, cauſas phyſices accuratiùs inveſtigaturus,

Non me, *inquit*, *animi fallit*, *quàm ſint obſcura*, *ſed acri*
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit Muſarum in pectus amorem.

Nec inanes fuiſſe laudabiles conatus, oſtendit ex utriuſque Indiæ mercibus, utilium medicamentorum ingens acceſſio. Veteres utique pharmacis Europæis contenti non fuere, ſed, undecunque cœleſtis favor oſtendit ad morbos remedium, grata manu ſumpſerunt.

ʼΟυ θέμις ἐςι ἀπόβλητι θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Ne Theriacam quidem magna parte Europæeis præſidiis inſtruxerunt; ſed exoticis ex Aſia, Aphricaque petitis. Alebant in Creta rizotomos ſuos Imperatores, qui non dictamnum tantum,

Puberibus caulem foliis, *& flore comantem*
Purpureo ——

Sed etiam ſcordium, chamadrin, marrubium, obvias Italiæ plantas, ciſtellis plenis urbi ſubmittebant. Facti rationem affert Plinius, quoniam invaſerat animos perſuaſio infinito præſtare quæ in Creta naſcuntur, iis quæ tellus alibi producit, quantumvis ejuſdem generis. Diligentiam igitur antiquorum æmuletur neceſſum eſt, quiſquis eorum inventis frui volet, vitandiſque difficultatum ſcopulis viam eandem ineat, quam veſtigiis ſuis illi expreſſerunt. Chiragogum hic optimum è priſcis ſe præbet Galenus, atque in hoc ipſo, quem contemnis, eximio ſucco. Nam in ejus exquiſitiore cognitione, cum fraudibus, & technis adulterantium vix explicare ſe poſſet, profectus in Palæſtinam ipſe fuit, ut cultam regiis in hortis plantam videret, & illa — — *palæ*

— odorato ſudantia ligno

Balſama —

Particulam indè liquoris ſumptam, ſemper ſecum babuit, ſpurio, legitimoque dignoſcendo veluti regulam. Itaque inclamat etiam hodie ſtudioſis, præcipuum eſſe in materiæ medicæ cognitione, eam videre ipſam, nec ſemel; ſed frequenti inſpectione, quale ſit optimum obſervare. Fugiendum eſſe Pamphili inſtitutum, qui quas non viderat herbas ſcriptis divulgarat. Ridebat olim id hominum genus Heraclides Tarentinus, & præconibus ſimilimum ferebat, qui formam, ac notas fugitivi mancipii, licet nunquam viderint, voce tamen ſua publicant: fierique, ſi forte is quem præconio indicarunt propè adſiſtat, eum tamen ut non agnoſcant. At, inquis, ex Arabia advocant Opobalſamum antiquis petioſiſſimum, noſtris deſideratiſſimum ſuccum.

Advocandum autem ex Arabia nunc eſſe, fateris ipſe, quippe quæ natalis ejuſdem tellus, & ex qua tot jam ſeculis repetitum fuit, quicquid in Imperatorum principumque manus pervenit, quod genuini opobalſami titulo peritiſſimus quiſque dignatus eſt. Scio, inimicam eſſe, & infeſtam Chriſtiano nomini regionis hujus gentem, adeòque aleæ periculoſæ plenum opus, curioſius quicquàm in ea ſcrutari. Nec profectò tanti eſt, abjectis Chriſtianæ profeſſionis inſignibus, niveo turbine caput impedire, Mahometanumque ſimulare, ut conſtet balſamicum ſuccum, vulnerato cortice, an ignis opera barbari colligant. Subſtiti ergo in propinquis Aegypti emporiis, quibus nullo non anno, quod melius, deteriuſve opobalſamum, quod ſimplex, aut miſtum, haud difficulter diſcere potui. Fecerunt idem inclyti viri, quorum induſtriæ notitiam & uſum eximii hujus medicamenti debemus. Advocabimus igitur ex Arabia Opobalſamum, & injuſtis ereptum poſſeſſoribus, in rem noſtram vindicabimus. Sumemus à profano populo ſanitatis curandæ auxilia, à quo thura accipere non dubitamus, quæ damus Deo.

Cur pretioſiſſimum antiquis Opobalſamum fuerit, expoſui ſuperius, tuis cur id deſideratiſſimum ſcribas, mirari ſubiit, in

ea urbe, quæ aſſiduo cum Syris, Aegyptiiſque commercio, apud nobiliſſimos civium copiam ejus haud contemnendam ſemper obtinuit, ſemper obtinebit, ut minimè tibi deſperandum jurè exiſtimes; ab Excell. Aemylio Pariſano, quod aſſerere voluit Opobalſamum, in urbe Veneta poſſe demonſtrari. Mihi id paucis menſibus in ea degenti, antequam orientales provincias cogitarem, optimæ notæ conſpectum fuiſſe jam ante affirmavi, certuſque ſum, apud aromatarios diligentiores obvium eſſe. Obſervavi id in eadem urbe, paucis antequam hæc prælo ſubjicerentur menſibus, laudabile, ſatiſque copioſum, quod Illuſtriſſimus *Antonius Capellus*, Venetæ nationis olim in Aegypto conſul in patriam ſecum attulerat: quodque meritò à Clariſſimis Romanis archiatris laudatum, dignumque habitum fuit, ut omiſſo ſuccedaneo, per Antonium Manfredum, virum in componendis veterum antidotis accuratiſſimum, Theriacæ denuo miſceretur. Poſſident idem in hac Patavina civitate, pharmacopæi primarii omnes, & in Muſeis ſuis, viri Cl. Io. Dominicus Sala, & Guilelmus Soiherus, quod à Matthia Rom. Imperatore, Lignicenſis princeps dono olim acceperat. Quamvis omninò fruſtra ſit, quicunque in Opobalſamis, temporis diuturnitate jam plurimum denſatis, recentis liquoris notas, & experimenta præſtolatur.

Pejus illud eſt, quod non immeritò à quibuſdam dubitari refers, an veri balſami lignum ad nos, & ſemina ferantur. Sed dubitent homines, qui paralogiſmis ſuis implicitì mentem exporrigere nequeunt. Ego plurimum utriuſque quotannis ex Arabia delatum conſpexi, ex quo Venetis, Belgis, Anglis, Gallis in Cahiro degentibus, æqua ſemper emendi poteſtas fuit. Hoc ipſo quo ſcripſi anno, tam ſemina, quam ramulos genuini balſami, etiamnum probos, & odoratos Venetiis accepi, quos inter auditores, cum publicè naturam horum & egregias facultates explicaſſem, diſtribui. Cur autem inſitam odoris εὐωδίαν, adeoque virium ſuarum robur non adeò longo tempore ſuſtineant, in præcedentibus expoſitum eſt. Sed hæc ut non tam eam, quàm graviſſimorum virorum, qui ſe legitimum balſami lignum fructuſque, vidiſſe teſtantur, auctoritate tibi perſua-

ſuaderi tandem pateris; ita *licentioſum nimis fore, & temerarium ſcribis, talem ac tantam ejus copiam conſtituere, qualis & quanta quotidiè in officinis viſitur, nec verum à falſo, & à falſo factitium ſeparare.* De quorum altero, ſententiam tuam libens amplector, & ἀκρίβειαν in examinandis hujus generis liquoribus laudo. Quæcunque tamen hic ſecerni queunt, eum optimè cum Galeno diſtincturum aſſero, qui non tantum notas à veteribus traditas in eorum libris peritè & curioſè expendit; ſed confirmatum multiplici inſpectione ſenſum, & judicium pariter adhibet.

De copia illa Opobalſamorum, quam in officinis vis quotidie videri, judicent viri exercitati, Arabicæ, proprièque ſic dictæ balſami plantæ liquores ſint, an ex Indicis reſinis odorati ſucci. Equidem Opobalſami Arabici recentis, cum illa ſcriberes, non copiam in officinis Venetis; ſed inopiam fuiſſe, ſatis à te proditum eſt, cum teſteris, liquorem, tibi quidem abjectum, *ilicet atque in urbem adductus, à medicis non minus quàm pharmacopolis, antidota pretioſa componere cupientibus, avidè coemptum, & reſiduum ejus omne diſſipatum fuiſſe.* Concedam interim, optimi quidem illius; ſed annoſi, jamque obſoleti ex Arabia Opobalſami Venetiis apud proceres, & illuſtres cives, urbiſque aromatarios, majorem quam in ulla Europæ civitate quantitatem haberi, diverſis temporibus ex Aegypto aut Syria allati, quod ipſum tamen ob ætatis vitium, ſpeciei ſuæ ordine expellere, & nomine gentilitio privare, vel tuis verbis licentioſum foret, ac temerarium. Abundare autem poſſe Arabes, pretioſa veteribus lacryma, nemini obſcurum eſt, cum abundent ejuſdem genetrice planta quæ tam *actis* ab radice germinibus, quam ex fœcundo ſemine, facilem ſui propagationem admittit. Aegyptii paucis *luſtris* calami ſacchariferi cultu tantum profecerunt, ut jam non ſuos; ſed Byzantium, & Venetias inſigni ſacchari proventu inſtruant: fieri idem poſſe de balſami ſucco, ſi cura ſimilis & ſtudium accedat, ambiguum non eſt.

Itaque nec in Proſperum Alpinum ſatis æquus es, virum optimè hic, maximèque promeritum. Duo enim ſunt quæ objicis,

cis, *ignorantiam veteribus ignoranter eum attribuiſſe; ſuccum deindè tibi deſideratiſſimum, adeò trivialem conſtituiſſe, ut cuilibet habendi facultatem conceſſerit.* Utrumque Pitori parum circumſpectè. Nam veterum ſcriptis ſiquis cum oculis animum acriter advertit: ſi quæ de balſami planta, ſurculis, ſucco, ſeminibuſque Juſtinus, Pauſanias, Solinus, Tacitus, Plinius tradidere, prudenter examinat, tam diſſona, frontibuſque adverſis pugnantia, in argumentum ignorantiæ non trahit, illi parum liquidè conſtare poteſt,

quid diſtent æra lupinis.

Illos ipſos rei herbariæ ſummates ſcriptores, arbuſculæ balſami faciem integram exactiùs haud cognoviſſe, minimè obſcurum eſt, Theophraſtus enim quæ de balſamo ſcripſit, aliena fide retulit: adeoque hiſtoriam ejus his orditur, *παραδείσους εἶναι φάσι δύο μόνους*, hortos eſſe ajunt duos tantum: quemadmodum capite præcedenti de Caſia & cinnamomo, *περὶ δὲ κινναμώμου, καὶ κασίας ταῦτα λέγουσι* de caſia & Cinnamomo hæc dicunt. Dioſcoridem autem palam eſt, Theophraſtum auctorem ſequi. Quamvis enim ſeſe plurima *δὲ αὐτοψίας*, ſive inſpectione propria obſervaſſe profiteatur, quædam tamen *ἐξ ἱστορίας συμφώνου*, ex hiſtoria conſentiente ſe deprompſiſſe, non diffitetur.

In altero quod objicis, quis P. Alpini mentem, etiam per ſparſam à te nebulam haud intuetur? Dederat opobalſamum Magnis Hetruriæ ducibus, obſervantiæ ſuæ monumentum & pignus. Itaque nil humile, nil abjectum in trivio de re ſentiebat, cujus Virtutem ſcriptis quoque opere maximo extulerat. At cuilibet, inquis habendi facultatem conceſſit. Cui verò bono id non ſit bonum? & vel cum Craſſo aliquo de munificientia contendat Proſper noſter. Conceſſit autem exteris omnibus, annis ſexaginta jam exactis, in Aegypto ſecum degentibus. Hodie an major in Cahiro, & Alexandria balſamicæ hujus reſinæ copia reperiatur, affirmare non auſim: præſertim cum jam ab annis tredecim in tumultus exarſerint Arabes, concuſſo quo premuntur, Scythico jugo, ſi non excuſſo. Tum verò quid fieri amet, &

quo

—— *quo diſcordia cives*
Perducat miſeros ——

in aperto eſt omnibus. Ut contingere poſſit, etiam Byzantii primatibus aliquando non ſuppetere, quod in re populi tranquilla repertu non difficile erat. Ad dynaſtas imperii Turcici, quantum olim Opobalſami pervenerit, ſatis Alpinus indicavit. Mitti enim imperatori tres quatuorve libras ſcripſit, Aegypti proregi libram, præfecto ſeu duci peregrinantium ſemilibram, quæ tum ab ipſis, tum in amplis ipſorum gynæceis, quam cito diſperdantur, in compitis Cahiri notum eſt.

Sed præter longinquitatem regionis balſamiferæ, cauſam alteram litium & errorum affers, quod medici veſtri ab antiquis doceri nolint. Mihi tamen, Pitori, certum eſt, optimum quemque, & eruditiſſimum veſtrorum, doctrinam antiquorum haud aſpernari: nec transfugam hic ullum eſſe in aliena caſtra, niſi qui λαβὴν τῆς φιλοσοφίας, anſam philoſophiæ, ut Xenocrates olim ajebat, capere nequit. Cæterum, quandoquidem è priſcis illis doctoribus, ſi Galenum excipias, vix aliquis eſt, qui viventibus oculis, vel plantam balſami, vel ſuccum ejus in Palæſtinæ viridariis uſurpavit, laudo quam maximè, quod Ariadnen tibi ſequendam proponis Anazarbæam, cujus filum tanquam probatiſſimum omnium, unicè Galenus nobis commendat, planèque confirmor, ſaltem id dextrè teneas, evaſurum te dolos illius tecti, & monſtrum debellaturum τῆς ἀγνοίας.

—— *miſtumque genus, prolemque biformem:*

Nunc altius diſcurſus, ut ais, tui fundamenta jacturus, non Plinium tantum, vix à Virbio ſaluti reſtituendum, Dioſcoridi jungis; ſed etiam Sethum, & Saladinum, auctores, qui diverſa, imò contraria Dioſcoridi ſcribendo, quid aliud agunt, quam rupto quo regebas veſtigia filo, in laborem ut abducant, & errorem inextricabilem.

Propōnis ex Proſpero Alpino primùm Opobalſami veri qualitates; quas cum tempore mutabiles vocas, atque ex his odorem, ſaporem, colorem, & in craſſitie aut tenuitate ſubſtantiæ modum. De odore ſatis habes, ſi ſcribas, thure, & tere-

binthina præſtantiorem eſſe, cætera non multum de eo te ſolicitum. At ſecus in hoc odoratorum examine egit Galenus, qui Caſiam, & Cinnamomum exploraturus, inter neceſſarias præcipuaſque notas odoribus intentus fuit. Equidem roſas, androſæmum fœtidum, anonidem luteam, dictamnum, caryophyllos, ſcrophulariam, coſtum hortenſem, inter mille plantas proprius odor facilè manifeſtat: neque id ſolùm cum integritatem, aut bonitatem reſpicimus, ut videri vis; ſed quoties inveſtigamus, & quærimus ipſas.

At hanc, inquis, *provinciam, tanquam optimè ſuperatam*, Stephano de Gaſparis te concedere. Fruſtra Pitori. Quàm vellem non ſuperaſſet; ſed cum P. Alpino, proprium Opobalſami odorem deſignans, in majore thuris, & terebinthinæ fragrantia, qua par erat moderatione, perſtitiſſet, quam veluti per gradus inſiti caloris vigor, ejuſdemque diſſolutio, intendit, ac remittit. Nunc contra ſenſum peritiſſimorum hominum, contra ſententiam tuam, ridiculâ penitùs hyperbole, rei, juxta tecum cum ſcriberet incognitæ, ſuavitatem affingit, non Indicis tantum odoratis mercibus majorem; ſed ut verbis ejus utar, ambra, moſco, zibeto, belzoino, & *quacunque re odorata, quæ in noſtro hemiſpherio ſeu à natura produci ſeu ab arte conſtitui poteſt.* Hoc tibi quidem probatiſſimum ſit aſſertum, hæc maximè miranda doctrina: ego Stephanum intra ſenſus, ac rectæ rationis gyrum revocandum, viris doctiſſimis libens permitto. Neque illum tamen apertè tibi adverſari perſpicis. Totam enim Opobalſami naturam in odore ponit, adeòque indelebilem ab eo vim exiſtimat: tu ne quidem inter ſigna, ſuccum hunc ab aliis diſtinguentia, odori locum relinquis. Ille infectionis abſentiam, condenſationem lactis, celerem diſſolutionem, & lacteſcentiam, non propria Opobalſami attributa; ſed ipſius balſamici *odoris germina, & immediatos effectus* pronunciare ſuſtinuit. Tibi nihil magis cordi, & curæ eſt, quàm ut ex iiſdem attributis differentiam extruas ſpecificam, quæ Opobalſamum ab omnibus, ut loqueris diverſi generis ſuccis diſtinguat: & in quam magis minuſque non cadat: quorum hoc quantum abeat à vero, ſuperius expendi.

Inter

Inter notas probi Opobalſami cum Dioſcoride requiris, ut ad acorem non vergeat, cui rei ratio conſtat evidentiſſima. Cave tamen exiſtimes, vetuſtatis tantum id vitium. Nam quodcunque vegetæ naturæ Opobalſamum, ſine cauſarum externarum gravioribus injuriis ad ſenectam ætatem pertingit, aciditatem nec guſtanti manifeſtat, neque odoranti. Præterea, ſcripſi ad Cl. Baldum, balſamicum liquorem lac non niſi debiliter coagulare; imò ne hoc quidem præſtare, niſi recens; niſi ſpiritu acidulo etiamnum prægnans fuerit: quorum poſtremum ſic te accepiſſe conjicio, ut notam ex eo collegeris, inter malas haud infimam, *quaque mediante*, ut ſcribis, *Dioſcorides, non optimum expertus fuiſſet Opobalſamum; ſed peſſimum.* Mihi verò Pitori nunquam in mentem venit, ut exiſtimarim, Opobalſamum recens optimæque notæ, quodque acido adhuc ſpiritu præditum aſſero, ſapore acidum eſſe, quem potiùs abeſſe debere, ſeriò cum Dioſcoride contendo. Equidem, quod fugere te non decet, ſeparat inſitus calor, ſubjectæque materiæ domitor, vaporis ſpecie ſubſtantiam aqueam tenuem, particulis acriis terreiſque ſubtiliſſimis permiſtam, quam ſpiritum Hermetici, & Mercurii nuncupant. Hanc recluſis quibus liquor continetur vaſis, qui naribus haurit, acrem percipit, atque evidenter acidam: imò & ſapore talem, ſiquidem arte exceptus halitus in ſubſtantiam priſtinam reſolvatur. Effundunt hunc ſpiritum copioſè, reſinæ omnes recentes, & præcipuè dulces ſucci, cum efferveſcunt, ut in muſto, melle, pomorumque ſucco notiſſimum eſt; ſalva tamen ſaporis dulcedine, quamdiu penes calorem ingenitum victoria ſteterit. Eundem quâ pyrotechnia tum ex reſinis ſucciſque dictis, tum ex miſtis corporibus cunctis educere liceat, paſſim in tyrociniis ſuis inculcant al Kimiæ magiſtri. Hoc itaque volui, & in recentis optimique balſami liquore, ſupereſſe adhuc, tenuem hanc acidulamque ſubſtantiam, celerioris penetrationis, majoriſque condenſationis præcipuam cauſam, quamvis ſaporem ipſe acidum non obtineat, quamdiu penes inſitum calorem dominium viget.

Porrò τὸ εὐδίετον Dioſcoridis, cum interprete per facilem dilutionem exprimis, addiſque rationem rei prorſus adverſantem:

nempe quia tunc facillime cum aqua miſceatur, forſan arrepto verbo, quod contra mentem Abenſinæ imprudenter interpres pro ſolvitur, invexit. Te verò ſcire decet, quæ facilè diluuntur ſolvunturque, promptitudinem quidem miſturæ ſortiri; non omnia tamen omnibus ſic affecta miſceri. Liquor de quo agimus reſina eſt, ſive Theophraſti verbis, ὀπὸς δακρυώδης πιότητα ἔχων.

Affers ex additamentis etiam translatorum nomen levitatis, cum λειότητος ſignanter meminerit Dioſcorides: quorum hoc, ut lenitatis, & lubricitatis nomine capias facilè permittitur; non item ut levitatis, cujus ſenſus aliorſum tendit.

Sed hæc minoris æſtimationis: accedis mox *ad facultates illas, quæ ut pudiciſſimam Opobalſami naturam valent revelare, neque in ſe ipſis mutationem ullam à loco, à tempore, à planta & ætate recipiunt.* Mirabar ſanè Pitori, cum hæc legerem, diuque ambiguum mihi fuit, an hæc dum aliò mentem ſenſuſque diviſas, calamo excidiſſent, niſi eadem, utcunque mutatis verbis, ante, retroque repetita cognoviſſem. Dum inquiro, quæ illa non mutabilium qualitatum ſyndrome, *Omni, ſoli, & ſemper Opobalſamo conveniens*, notas adducis Dioſcoridis, quibus liquorem hunc unguentis admiſtis vitiatum, à ſincero diſtinguit. Verùm in rem caducam, communes rebus caducis affectiones expetere, notius eſt, quàm probatione ulla ut indigeat,

— redolent ſemper ſua flumina piſces,
Hi fatuas ſtagni, ſalſas illi æquoris undas.

Quapropter quod ſcribis *Busbequii Opobalſamum, à Cæſareis Medicis in dubium verſum fuit, quod omnibus non ad amuſſim notis legitimo reſponderet, licet certo certius ex illo eſſe ſciret, quo in Matabariæ hortis collecto, ab Hali Baſſa donatus fuerat: talis defectus non cadebat in maculam; ſed vel in calorem, vel in craſſitiem, odorem, ſupernatationem, vel in alias notas:* tam facilè nego veritati conſentaneum eſſe, quàm tu chartis id committere potuiſti, totamque differentialem illam (ut verba tua referam) notarum ſyndromen, ex inhæſione, coagulatione, celeri fuſione, & lacteſcentia Opobalſami factam, non minus ex loci, tempo-

ris, ætatiſque mutatione, varietatem ſubire affirmo, quàm colorem, odorem, ſaporem, & alias his cognatas qualitates. Et ſubire quidem neceſſariò, quia cauſæ mutationem afferentes ſunt neceſſariæ. Nam cum affectus non inficiendi, lac denſandi, celeriter ſe diffundendi, temperamentum liquoris ejuſque ſyſtaſin perpetuò comitentur, utrumque autem, partim ob inſiti caloris in humidum ſibi ſubditum inceſſibilem actionem: partim aëris ambientis reciprocas noxas, mutari neceſſum ſit; neceſſum pariter fuerit, & ea mutari, quæ temperamentum, & habitudinem ſubſtantiæ conſtanter ſequuntur. Rem ipſam abundè nimis patefaciunt, quotquot hoc ævo, atque antiquitùs cognitæ fuerunt, odoratæ pingueſque lacrymæ, in quarum claſſe Opobalſamum Arabicum, nemine veterum prohibente conſtituo.

Sed ô bone, quàm in te Menandri illud monoſtichon convenit.

Ἡ γλῶσσ᾽ ἁμαρτάνουσα, τ᾽ ἀληθῆ λέγει.

Nam dum fateris, *facultates illas non inficiendi, lac cogendi, &c. nullam in ſe ipſis mutationem recipere, niſi quatenus craſſitiem ſuccus ſeneſcens acquirit, & ob difficiliorem ejuſdem diſſolutionem, tardiores quoque hujuſmodi effectus reddit:* quid aliud prodis, quàm magis minuſque admittere has Opobalſami notas, atque ut tardiores, ſic languidiores indies fieri; tandem etiam languidiſſimos, cum ſpiſſitudo liquoris ſic increvit, ut liquiditatem ſuam amiſerit Opobalſamum, quamvis optimum puriſſimumque extiterit. Memini recentioris, & ſinceri hujus ſucci portionem, vaſculo vitreo incluſam, cum in calidiore cubiculi angulo detineretur, intra annuum ſpatium, acquiſito lentore notabili, gnoriſmata Dioſcoridis propemodùm exuiſſe omnia. Hoc itaque cenſuræ tuæ temperamentum adhibe, & quotieſcunque Arabica hæc reſina, in tanto locorum intervallo, fortuitorum injuriis quàm plurimis expoſita, non omnibus notis qualitatum facultatumque ſuarum integritatem exhibet, non larvis protinus induendam & præcipitandam exiſtimes: denique non infectionis, coagulationis, diſſolutionis &c. notas; ſed etiam ſingularem ejus odorem, tum ſaporem, coloremque in exa-

examen adhibebis, quorum etiam in vetuſtiſſimo balſami ſucco veſtigia non difficulter agnoverit, quicunque in recentis Opobalſami theoria pluſculùm ſe excercitaverit.

Mones tandem ex Oddo & Matthiolo, ab artificialibus nomine tenus Opobalſamis, & *venalibus illis*, *maximè cavendum eſſe pharmacopolis*, *neque ea prius emenda*, *quàm omnia exactè experimenta ex Dioſcoride*, *aliiſque probatis auctoribus repetita fuerint*. Utrumque autem libens tecum amplector, eòque magis quo major hodiè cognatarum Opobalſamo reſinarum, in pharmacopoliis Europæis copia reperitur. Attamen experimenta ſic capienda ſunt, ut non repugnent rei ipſius naturæ, neque adeò ſenſui tum veterum, tum recentiorum, qui diuturna inter Arabes mora notitiam balſami exactiorem acquiſiverunt. Doctores item & interpretes non agant, qui docendi ipſi, quique Dioſcoridis, veterumque Græcorum ſcripta, nec legere poſſunt, neque intelligere.

Pergo ad cenſuram tuam, qua negas Opobalſamum verum, ac ſincerum fuiſſe, quod à Priore, & Conſiliariis Clariſſimi collegii Medicorum urbis Romæ, tum quatuor ejuſdem archiatris approbatum, theriacæ miſcuerant Manfredus & Panutius, primarii, peritiſſimique pharmacopœi. Hanc verò triplici ſtabilire tibicine conaris, *rationis*, *experimenti*, *atque auctoritatis*. *Rationem adducis*, *quoniam non omnibus differentialibus notis ab auctoribus aſſignatis convenit*, *eamque probatam remanere ſcribis*, *tum ex ſupra à Te dictis*, *tum ex infra dicendis*, videlicet experimento pharmacopœorum, quibus advocationem quæris, & veteris juſtitiæ proceſſu. Quæ ſuperius à te dicta ſunt, cum expendo, video partim ſententias te carpere doctiſſimorum virorum, B. Baldi, & P. Caſtelli; partim fidem adimere teſtibus, qui juxta cum illis contemptum à te liquorem, genuinum ex Arabia Opobalſamum aſſeverarunt. Mihi quidem, Pitori, propoſitum non eſt, cauſam agere virorum præſtantiſſimorum, tam rei medicæ theoria, quàm ſolida virtute ſpectatiſſimorum: multo minus proterviam eorum extollere qui frontem iis obvertere voluere. Tritum nimis eſt, etiam Andabatas ex pugna quæſiviſſe gloriolam, ſamque ab anti-

antiquiſſimis ſeculis Theocrito monitore,

Ὗς ποτ' Ἀθηναίην ἔριν ἤρισε ——

Illud tamen exploratum habeas, non alios in Opobalſami à te damnati examine, diligentius Proſperi Alpini orbitam preſſiſſe, quàm memoratos eximios Medicinæ profeſſores. Nec meliorem te auctorem nactum fuiſſe, per quem in ſucci balſamici cognitionem venires, cujuſque doctrinam ſubſterneres tuis fundamentis.

At, inquis, de eſſentia probati liquoris valdè dubius eſt Cl. Baldus, quum indeciſum reliquerit, per inciſionem corticis, an decoctionem frondium elicitus ſit. Fateor Pitori, dubitaſſe virum prudentiſſimum, nec ſine ratione dubitaſſe, cum non ſimplici tantum lacrymæ ploratu; ſed etiam ignis opera Opobalſamum colligi accepiſſet: maximè cum monitus à me fuiſſet, in aſſerto liquore præſtantioris, & defæcatioris Opobalſami odoram ſuavitatem, non adeò exactè deprehendi. Ea enim res effecit, ut cum optimi & perfectiſſimi ſucci ideam animo ſubjiceret, non omnia ad amuſſim huic noſtro convenire fateretur. Nunc, cum diminutæ nonnihil fragrantiæ cauſam planè accidentalem agnoverim, diſcuſſis ambiguitatum nubeculis, virum præſtantiſſimum ſecurum eſſe volo de hac cura, neque *ipſe dubitandi amplius* cauſam ullam habeo; per inciſionem balſamicæ ſtirpis comparatam, eſſe reſinam, quam cum doctiſſimis archiatris, theriacæ miſcendam duxeram. Collectionis autem modus, cum eſſentia ſuaveolentis cujuſdam lacrymæ tibi minimè confundendus eſt, cujus exiſtentiam qui conſenſu graviſſimorum teſtium confirmarat, eſſentiam amplius in dubium vocare nullatenus poterat. Quod *ſi tenebras hic objectas* exire voles, è *limine ſcholarum* metaphyſicarum facem *mutuabis.*

Properas ad *differentiales*, ut vocas, notas, inter quas primum & principale experimentum conſtituis, maculam poſt ablutionem *haud relinqui*, & cui adeò confidere quoſdam ſcribis, ut ex eo ſolo habeant de adulterato judicium. Sed habeant, Pitori, quicunque ſunt, & tibiam, talumque arbitrentur, ubi rectè ſentientes jugulum. Profectò Arabes, qui mercium

cium indigenarum peritiores ſunt æſtimatores, non à maculæ ſublatione; ſed guttulæ in aqua & lacte celeri diſſolutione, δοκιμασίαν Opobalſami ordiuntur, & præcipuum in ea integritatis ſpecimen collocant. Hos te potius ſequi par eſt, quam quos in ſucci hujus natura cognoſcenda, ſenſus & exactior ratio deſtituit. Jam de improbato à te opobalſamo ex animo teſtor, experimentum de macula fide optima ſuſtinuiſſe, meque laneo craſſoque panno, non impactum quidem; ſed inſtillatum hunc liquorem, in loco calido, aqua ſimplici calida ſic abſtuliſſe, ut notam ſui nullam relinqueret. Neque ambigo, viris inclytis idem obſervari potuiſſe, ſi balſami recentiorem lacrymam ritè pannis eluere tentaſſent. Rectè interim Dioſcoridem cum Proſpero Alpino interpretantur, qui referunt, Opobalſamum ob reſinoſæ ſubſtantiæ viſciditatem inhærere quidem veſtimentis; oleoſam tamen maculam, quæ profundius inſideat, latius indies ſeſe ſpargat, denique lotioni pertinaciſſimè reſiſtat, minimè producere, idque in rejecto tibi ſucco pariter evidentiſſimum fuit.

Jam poſthabito P. Alpino, potiùs Matthiolo, in materia medica exercitatiſſimo, ſtandum eſſe ſcribis, quia Opobalſamum ſe vidiſſe aſſerit, quod omnibus notis ab antiquis adductis reſponderit. Apage cum inerti hoc *livore*, cum *iſta* ingratitudine, o Pitori! Proſperum enim Alpinum notis omnibus legitimum Opobalſamum, non frequenter ſolùm vidiſſe, poſſediſſe, dynaſtis dono obtuliſſe; ſed etiam balſamicæ ſtirpis, plantarumque exoticarum cognitione, longè Matthiolo quamvis laude applauſuque poſterum digno præſtitiſſe, non ego; ſed monumenta illa loquuntur, quibus orbi jam Europæo notiſſimus, viam terit æternitatis. At quod in *Franciſci Calceolarii* theriaca tanquam legitimum Opobalſamum probarat Matthiolus, quodque ut genuinum laudat Carolus Cluſius à Jo. Pona ſibi donatum, atque celeritate ſolutionis, lacteſcentia, guttæ collectione, odoriſque privati criteriis examinatum, hoc ipſum fuiſſe, quod à rupe Tarpeia præceps dare minitaris, teſtatur Franciſcus Pona, Joannis filius, vir eruditiſſimus, & inter ævi hujus Machaones, ut ſeriò cum Homero loquar,

πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Alterum experimentum, quod in lactis condenſatione poſitum, laudato ab archiatris liquori defuiſſe putas, quoniam imperfectè, neque univerſum cui inſtillabatur lac coagulaverit. Te verò quis antiquorum docuit, pauculas Opobalſami guttas vas lacte plenum integrè perfectèque condenſare debere? nullus profecto. Nec modum igitur ex iiſdem facultatis ſtatuere potes, quem ſilentio prætereunt, nec in re vim agendi determinare, cujus differentias, cum cenſoriam ſumeres auctoritatem, nulla dum experientia præceperas. At Opobalſamum quamvis optimum, paucis guttis lac copioſum, ut arbitraris, afficere non poteſt. Nam ut ſcripſi jam ante, lacti nullatenus miſcetur; ſed in ſuperficiem tantum ejus celeriter explicatur. Tunc verò pari velocitate, exhalantibus cum calore ſpiritibus, partibuſque tenuioribus diminutis, non niſi in propinquas ſibi lactis partes agere poteſt, idque vel eò debilius fiet quo fuerit ætate provectius. Denſaſſe autem proximas lactis partes, proſcriptum à te Opobalſamum, certò, clarèque mihi compertum eſſe, confirmo.

Venis ad experimentum tertium, de celeri ſolutione, quàm negas in improbato tibi ſucco, conſpectam fuiſſe, quia lacti, aut aquæ permiſtus haud fuerit. Sed nihil tale in reſinoſam, pinguemque lacrymam convenire poteſt, nec motu, atque agitatione perfici in recenti, nedum vetuſto: ut in oleoſis aliis aquæ conjunctis, etiam pueris unguentariorum notum eſt. Nec Dioſcorides noſter miſtionis vocem ullam uſurpat, cujus filum, arrepto interpretis Abenſinæ alieno vocabulo, ſine piaculo non amiſiſti.

Duo tamen ſunt quæ objicis. Expanſionem ſuper aquam, ſuccis reſinoſis, qualis terebinthina, facilè accidere, adeoque communem eſſe; non differentialem notam. Plinium item, & ex eo Sethum, & Saladinum retuliſſe, *optimum etiam Opobalſamum petere fundum.* In quorum priore, largior tibi reſinoſis liquoribus communem eſſe ſupra aquas ſui dilatationem: modum tamen in Arabica lacryma, ab omnibus hactenus deprehenſis, diverſum eſſe refero. Nam vel guttula hujus recenti-

or, in tantum ſe exporrigit, in quantum vix integra terebinthinæ drachma: deindè momentanea velocitate eò diffunditur, quò terebinthinæ portio, non niſi tardè pertingit. Itaque non ſimplex ſuper aquas dilatatio; ſed τὸ ταχέως χεῖσθαι, celeriter fundi, Opobalſamum noſtrum ab aliis diſcriminat, ut cum Dioſcoride præcedentibus expoſitum. Atque hoc ipſum eſt, non olei more innatare, aut ſuperficiem in ſtellam radioſque ſeſe explicare. Id verò cum ſpreti a te balſami liquor habitio à me, viriſque clariſſimis examine, optimè præſtiterit, merità laude privandus non fuit, Alterum ex Plinio quod affers, vel tua confeſſione, non de recenti, adeòque viribus integro Opobalſamo; ſed propter partium tenuiorum diſſipationem, ad omnia deterius reddito, habendum eſt. Itaque, cum de priore quæſtio nobis ſit, miſſo Plinio, quantumvis egregio ſcriptore, Ariſtotelis illud ſequemur, ὅσιον εἶναι τῆς φιλίας προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν, ſanctius eſſe amicitiæ, auctoritati, veritatem anteferre.

De lacteſcentiæ experimento, quod Opobalſamum à te rejectum evidentiſſimè ſuſtinuit, rem pariter ſuſpectam reddere conaris, dum & reſinaceis aliis communem eſſe ſcribis, neque extra aquam tantum; ſed intra conſiderari debuiſſe, Hic verò, quemadmodum paſſionum, affectionumque communionem inter reſinas, jure tecum admitto; ſic illud ingenuè moneo, nullam hactenus cognitam reſinam, adeò repentè, latèque ſuper aquam explicari, nullam adeò celeriter, inſigniterque lacteſcere, quam hæc ipſa, quam Arabicum balſamum fundit lacryma. Cæterum intra aquam, vel extra, coloris mutationem quiſquam conſideret, nihil difficultatis exhibet, vel ambiguitatis. Certum enim eſt, quam ſtyli cuſpide recolligimus guttulam, jam ante pallorem induiſſe lacteum, quàm aquâ eximeretur.

Tandem ad teſtes procedis, quorum partem tacito, ut ajunt, pede præteris. Baldaſſarem, & Michaelem Campios, tum Joſephum Donſellum, non expenſis eorum ſcriptis, ſimplici plaga abſolvis. Me præcipuè, & celeberrimos viros, Aemylium Pariſanum, & Joannem Narpium in quæſtionem advocas, quia datis literis miſſum nobis Opobalſamum, verum

le-

legitimumque teſtati fuimus: & ſententiam eam in re noſtram ideò flocci facis, quia nec conſtare nobis, nec uniformiter loqui tibi videmur. At ego perlectis eorum literis, hoc unum conſtanter eos mecum aſſerere ſentio, verum, legitimumque fuiſſe Opobalſamum, quod archiatri Romani theriacæ indendum ſuaſerant. In cujus ſententiæ confirmationem, diverſis eos rationibus uſos haud nego; nego pugnantibus uſos, aut contrariis.

Me quod attinet, adducis prioris epiſtolæ meæ ad Cl. Baldum partem, verbis cùm tranſpoſitis, tum diminutis, in hunc modum. *Quod ad Aegypti proregem militumque præfectum, in donum ex Arabia mittebatur, quantitate exiguum. At non ejuſdem conditionis erat, quod communiter balſami nomine venditabant Aegyptii. Alterum nempè decoctione elitum, alterum plus & minus terebinthina, ſimilibuſque reſinoſis admiſtum, cujus longè major proventus, cujus, ſi seriò conſtet ex Arabia Cabirum, & hinc Venetias adductum eſſe, &c.* AT EGO SENSUM MEUM SIC EXPRESSERAM. *Non ejuſdem equidem conditionis erat, quod communi Opobalſami nomine venditabant. Nam ad Aegypti proregem, militumve præfectum, quod mittebatur, tenuius obſervavi, odore ſuavius, colore ex citrino albicans, quantitate exiguum. Reliquum ut copioſius, ita pretio parabilius, idque cùm æſtimatione, tum bonitate rurſus diverſum. Nam vel purius erat, atque ex plantæ ramis, fructibuſque ignis opera elicitum; priori tamen, & ſyſtaſi, & odoris fragrantia, & virium pariter incolumitate cognatum, quo in dyſpnœa, pulmonumque putredine, tum dyſuria, & vulneribus felici ſucceſſu uſum: vel terebinthina ſimilibuſque reſinoſis, plus aut minus permiſtum, cujus major longè proventus, &c. Quod veſtris Opobalſami nomine Venetiis tranſmiſſum eſt, ſi Alexandriæ, vel in Cabiro emptum, atque illac ex Arabia vicina allatum eſſe seriò conſtet, non temerè pharmacopœis rejicijendum fuerit, &c.*

Hic aſſignare me ſcribis, notas ab antiquis valdè diverſas, & locum etiam in crimine ponere. At hic, Pitori, valde erras. Nam neque notas explicare Opobalſami propoſitum meum eſt, neque affero quicquam, quod vetuſtis ſcriptorum mo-

 nu-

numentis haud [illegible]gnatum ſit. Meminerunt enim, & ſponte naturæ eliquati liquoris, & innoxio corticis vulnere eliciti: atque hujus quidem tum ſinceri, tum adulterati, particulariter admiſta terebinthina, ut ſuperius expoſitum. Parari idem artificioſa molitione, dudum inter Arabes ſcriptores Meſue prodidit. Atque utcunque hæc non ſint. Quis unquam prohibuit, veteris doctrinæ cenſum, acceſſione utilium obſervationum augere, quantumvis diverſorum; cum non unum nobis limitem ipſi deſignaverint, per quem eamus. Non domini noſtri; ſed duces fuerunt, adeòque non præripuerunt poſteris quæ inventis adjicerent; ſed aperuerunt. Taceo quæ de loco ſubjicis, quoniam Opobalſamum ex Arabia, & Cahiro accerſendum ſeriò contendo. Non enim aliud huic ſucco natale ſolum, nec me, teque fugit, variantibus pro climatum intervallo, rerum generabilium cauſis,

—— quas leges, æternæque fœdera certis
Intulerit natura locis, ——

Illud nos maximè omnium collidit, quod ex Epiſtolarum mearum altera ad Cl. Baldum, probare conaris, damnatam à te balſami reſinam, ex infimo eſſe genere à me deſignatorum: adulterari potuiſſe, denique artificialem non naturalem eſſe concludis. Scripſeram autem quæ ſequuntur. *Habui tandem à Clariſſimo Tomaſino, quem proximis ſpondebas literis balſami liquorem, cognovique ſimul atque odorem hauſi, illum ipſum eſſe, quem in Aegypto Venetis noſtris, reduces ex Arabia mercatores venum exhibent. Hoc præcipuè* τεκμηρίῳ *puritatem ejus aſſerentes, quod aquæ indita guttula, protinus in pelliculam ſeſe explicet, iterumque ſtyli cuſpide commota, colligi tota queat, ob tenuiſſimi ſpiritus deliquium pallidior: reliquas indolis notas, ætate plus minuſve provecta, facilius obſcurari. Quibus eò libentius ſuffragitum ivi, quo major ſucco, cum recentis carpabalſami ſapore, & odore cognatio fuit, in quo, ut cum Hermeticis loquar,* τὸ ἔμφυτον θεῖον, *innatum ſulphur, ſenſuum fidem evidentius provocat. Igitur, quamvis tranſmiſſus mihi balſami liquor, ſpontaneæ concretionis lacrymam ſuavitate non referat; quocunque tamen artificio ſit elicitus, legitimum balſami antiquis cogniti ſuccum, adeoque Opobalſamum*

mum

mum judico, etiamnum Arabibus dohen baleſan, unguen balſami dictum, &c.

Hic verò quid clarius eſt, quam de induſtria te quæſiviſſe lacunas, quibus eximium naturæ munus deturpares, bacchanalia vixiſſe, cum ſimulares Curium. Complexus enim ſum: communi Opobalſami nomine, non *illud tantum* quod *terebinthina permiſtum*; *ſed etiam purius*, adeòque vel inciſo cortice lacrymatum, vel ignis miniſterio plantæ ramulis, fructibuſque ſubductum: imò optimum omnium, & defæcatiſſium, quamvis huic κατ' ἐξοχὴν, & proximè opobalſami nomen conveniat, mox ſincero non defæcato: minus adulterato. Quare cum id ipſum quod rejeciſti purum aſſeram, legitimum, & antiquis cognitum opobalſamum, *licet* id ſub *communi ſtirpis* ſuæ nomine complexus fuerim, facilè animadvertiſti, non id infimæ claſſis eſſe me voluiſſe; ſed naturæ, viriumque integritate, vel optimo proximum conſtituiſſe.

Adulterari idem facilimè potuiſſe putas, admiſto vel thure, vel terebinthina: ſaporem etiam, odoremque fructuum balſami, & frondium adminiculo conciliari. Ego fieri hæc omnia poſſe minimè ambigo: factum autem fuiſſe in hoc noſtro, cui præcipitium minitaris Opobalſamo, conſtanter nego, pernego. Nulla enim *penitùs nota* defuit, *nulla* facultas, quibus indolem genuinæ ſubſtantiæ, ſimpliciſque naturæ patefacere debuit. Obſervaſſe me quidem profiteor, quod recentius, tenuius, clarius, odoratius, quale id quod tempeſtivè fæcibus ſuis ſejunctum, purius deindè concrevit. Hoc tamen ipſum de quo litem agitas, claritate, tenuitate, odore ſupra terebinthinam præſtantiore, quamvis longa itineris ambage *copioſis* fæcibus innataverit, abunde ſe mihi *tale præbuit*, ut id legitimi, veri, probique Opobalſami *Arabici nomine* privare & fama, nefas exiſtimaverim.

Cæterum de naturali balſami ſucco quæſtionem eſſe ſcribis, non artificiali. *Tanquam* verò naturalis eſſe deſinat, & liquor rei proprius, qui artificioſa quadam ratione eidem ſubductus eſt. Veteres utique optimum illum circumſpectâ valde, & perita inciſione eliciebant, quod adhibita ferri vi, ut lo-

quitur Tacitus, paveſcerent venæ. Plinius incidentis manum artifici temperamento libratam refert, nequid ultra corticem violaretur. Ita Solinus, plantam artifici plaga vulneratam fuiſſe ſcribit. Hæc animo obverſabantur meo Pitori, cum ſcriberem, *quocunque tamen artificio ſit elicitus, legitimum balſami antiquis cogniti ſuccum eſſe*, & artificioſum educendi modum in utroque ſpectabam, tam qui diviſo frondium cortice ploravit; quàm qui caloris ſynergia collectus eſt. Scio, majoris eſſe operæ, atque adeò pyrotechniæ non ignobile ſpecimen, reſinoſum hunc ſuccum, partibus terreis, aquoſiſque ſejungere. Eundem tamen, ut artis eſt, ſeparatum, neque additamentis heterogeneorum ullis vitiatum, haud minus naturalem balſami liquorem aſſero; quàm picem abietis, vel piceæ: ſaccharum harundinis, melleo ſucco farctæ: quàm naturales ſunt plantæ, quas blando hypocauſti calore, & arbitrariis irrigationibus, ad vigorem floremque perducimus: quàm naturales ſunt pulli, quos ſine matrum incubatu, miti furnorum calore Aegyptii ovis ſuis excludunt. Μιμεῖται ἡ τέχνη τὴν φύσιν, imitatur naturam ars, inquit Ariſtoteles, & quicquid illa viribus ſuis haud aſſequitur, innixa naturæ fulcris ars, æmula organorum applicatione perficit, & conſummat.

Te duo ſunt quæ involvunt: primùm, quod hermetica analyſi collectæ balſami lacrymæ, valdè à natura ſua diverſæ ſint, atque alteratæ vi ignis: de quo cum Plinio dubitas, plura ne pariat, an perdat. Alterum, quod Cl. Petrus Caſtellus, hanc quæ Vulcani beneficio peragitur balſami extractionem, in dubium vocet. De primo ſi tacuiſſes Pitori, te crediſiſſem in artificioſa miſtorum diſſolutione, de qua Plinio ſermo non eſt, ſaltem mediocriter verſatum. Noſti diverſum eſſe ignis effectum, ſi gradus caloris diverſus eſt. Hunc autem rebus in elementa ſua dirimendis, convenienter adhibere, non idiotæ, ſed artificis periti munus eſt. Quemadmodum & ἐμπυρεύματος ſive ſtilaginem corrigere, ſi qua per ignem validiorem contracta fuiſſet, ut abundè te docebunt, qui hæc enchiremata ſcriptis, & opere profitentur. In altero, facilè permitto doctiſſimum virum ſenſu ſuo abundare. Diverſum enim iiſdem in rebus tene-

re,

re, quos jucundo foedere ſtudiorum cummunio junxit,

Id licuit ſalva ſemper amicitia.

Audita tantum de artificioſo balſami apparatu refero, non viſa, quæ tamen, cur probabilia mihi viſa fuerint, tetigi ſuperius. Convenire nos in eo perſpicis, quod abjectum tibi liquorem, genuinum & ſincerum Opobalſamum veterum agnoverimus: nec ſuſpectum mihi amplius, an corticum ſtirpis artifici plaga elicitum fuerit.

Secundum cenſuræ tuæ fulcimentum eſt, examen Opobalſami nobis probati, factum è tribus Aromatariis, qui illud *turbidum, inodorum, inſuave, maculam relinquens, non coagulans, parum lacteſcens, minus liqueſcens, in ſuperficie ſe ad inſtar terebinthinæ diffundens: adeoque inane, falſum variiſque miſturis refertum judicarunt.*

Mallem ego Pitori, æſtimationi bonorum hominum conſuluiſſes, & factum ipſum prudenti potiùs ſilentio involviſſes; quàm in publicam lucem, & eruditi ſeculi cognitionem protuliſſes. Palàm enim eſt, judicium de Opobalſamo ex Dioſcoridis notis ferre non poſſe, qui naturam ipſius rei perſpectam non habet, quique nobiliſſimi ſcriptoris fontes integros haud acceſſit, aut ea ſaltem non cognovit, quæ Proſper Alpinus, ut hærentes in hoc plexu dirigeret, de balſamo, ejuſdemque lacryma literis divulgavit. In quorum neutro cum examinatores illi ſeriò ſibi conſtiterint, auſi tamen fuerint, rem à clariſſimis doctiſſimiſque medicis jam probatam, damnare & conviciis proſcindere, & veluti è Parnaſſo datis literis, ſacram Apollinis, Muſarumque ſedem illotis pedibus inquinare, quo pacto excuſes, videas; ego delendo huic nævo ſpongiam reperio nullam.

Quod ſi tamen pharmacopœis in materia medica cenſenda locum deberi contendas, oppono tribus illis, ex Veneto aromatariorum collegio plures, qui contrarium tuentur. Oppono Joſephum Donzellum, materiæ Medicæ accuratam cognitionem, merito laurus philoſophicæ brabeo illuſtrantem. Baldaſarum item, & Michaelem Campium, pharmacopœos integritate fidei artiſque ſuæ peritia minimè inferiores. Imò collegium phar-

macopeorum Neapolitanum univerſum. His enim miſſa liquoris portio, quem ſolum vertere jubes, verum legitimumque Opobalſamum habitum fuit: quibus ſubſcripſerunt Domæ, ex iis qui diutius inter Arabes degerunt, Joannes Molinus, linguarum orientalium interpres, Baptiſta Valtrotus, & Marcus Avamtius Chirurgus, præſentem in urbe liquorem explorantes. Quanquam parum obeſt approbato nobis Opobalſamo, quod illud aliquot pharmacopœi non cognoverint: quin ſumma potius accedit æſtimatio, quod occaſione commotæ litis, viderint, examinarint, laudarint, viri quos nunc fovet Italia, artis Medicæ gloria, rerumque naturalium cognitione præſtantiſſimi. Et è publicis quidem profeſſoribus, Clar. Petrus Caſtellus, Joannes Manelphus, Baldus Baldus totius Eccleſiaſtici ſtatus Archiater, & Alexander Menchinus. E practicis celeberrimis, Marius Schipanus regni Neapolitani protomedicus generalis. M. Aurelius Severinus ſeculi hujus Chiron alter, Baldaſar Bonannus, Paulus Zacchias, & Joannes Nardius, monumentis literarum, &

—— *fama ſuper æthera noti.*

Quibus album adjecit calculum Illuſtriſſimus eques, Caſſianus de Puteo, non tam ſplendore natalium, fortunæque muneribus; quàm cognitis phyſices lectiſſimis arcanis, & hominum eruditiorum patrocinio pauciſſimis comparandus. Ab his, quod cum Stephano de Gaſparis diſſentire volueris, nil detrahit quidem rei laudatæ: utrumque tamen veſtrum ex animo velim ὑγιαίνειν.

De fæcibus ſive miſturis, quas in fundo vaſis ſuperfuiſſe ſcribis, non eſt quod vel ſuſpicionem moveas corrupti ſucci, cum optimum etiam, & quàm accuratiſſima inciſione elicitum olim Opobalſamum, fæces ſuas depoſuerit, ut ex Galeno inter veteres docemur.

Tandem ultimum cenſuræ tuæ fundamentum inducis, & *unam præ omnibus aliis auctoritatem te afferre ſcribis, quæ ſicut in dubium verti non poteſt, ita controverſi liquoris naturam perbellè manifeſtare valet. Hanc eſſe proceſſum ab Illuſtriſſimo veteris Juſtitiæ magiſtratu formatum, inque eo conſtare Coſmum de Nigris,*

vas

vas liquore ſub opobalſami nomine plenum, a Mauro quodam Mecha redeunte accepiſſe, ſingulis pro qualibet libra argenteis impenſis, & mercatoribus Venetis ad quatuor coronarum inſigne vendidiſſe: indè illum tam pretioſum ſuccum Romam deduxiſſe, quem ex Veſlingii dictis, plus minuſve terebinthina, aliiſque rebus permiſtum, communi Opobalſami nomine venditabant Aegyptii.

Hic verò Juſtitiæ veteris proceſſus, quid de Opobalſami natura tibi manifeſtarit neſcio: hominibus ſanè, qui cum Menandro διπλῆν ὁρῶσι, planè manifeſtat nihil. Niſi, quemadmodum jam ante modum collectionis, ad eſſentiam balſamici liquoris pertrahere fruſtra conabaris, ita nunc ad naturam ejuſdem exiſtimes pertinere, quis vendiderit, quis emerit, & quanti. Quis denuò ſibi comparaverit, & venum dederit. Illud approbato viris eximiis ſucco abunde favet, quod ex Arabia delatus, à Coſmo de Nigris emptus, vendituſque fuerit, viro cognoſcendis Arabum odoratis mercibus, componendiſque medicamentis exercitatiſſimo, quem ob probitatem, fidemque tot annis compertam, Illuſtriſſimi viri Joannes Donatus, & Antonius Barbadicus, etiamnum cœleſti favore ſuperſtites, Aegypti quondam conſules, clariſſimique Senatus ornamenta, in amore, & inter familiares habent.

At libram, inquis, integram argenteo nummo comparatam eſſe. Quid tum verò? Mihi ſanè juxta cum doctiſſimis archiatris ſatis conſtitit, genuinum, & probum fuiſſe, quod vilius emptum eſt Opobalſamum. De Mauri venditoris facto non laboramus. Dextrè rem acquiſiverit; an ſiniſtrè. Inſcitia ejuſdem nobilem liquorem proſtituerit; an manciparit, & extorſerit pecuniarum indigentia. Immotum interim eſt, non ideò naturam ſuam exuiſſe Opobalſamum, quoniam vilius emptum eſt. Quemadmodum colorata Europæorum vitra, non ideò vitra eſſe deſinunt, quia pretioſis Indorum gemmis, ac merci bus ſæpè permutantur. Cætera quæ Juſtitiæ veteris proceſſui ſubjungis, technas potius tuas; quàm quodvis aliud manifeſtant. Nihil enim vel dictum a me, vel ſcriptum de hoc, quem exulare præcipis ſucco, quum intra vendentium manus detineretur: neque alium poſtquam vidi, viſumque examinavi, quam

cognitum antiquis, & legitimum Opobalſamum vel dixi, vel ſcripſi.

Plura non adtexo; ſatis enim habui, viris egregiis, qui dudum in pulvere hujus circi ſudarunt, potius applaudere, quàm pugnata jam pugna ventilationem ordiri. Doctos autem & prudentes materiæ medicæ perveſtigatores monitos velim, ne Arabicæ balſami lacrymæ fragrantiam ultra captum veterum extollant; ſed notas è fontibus Dioſcoridis petitas, eidem ſic applicent, ut reſinoſi liquoris naturæ, ſubſtantiæque non repugnent: denique non tam cultorum defectu; quàm incuria hominum nobis ſubductam, in uſum antidotorum, ſi non communium; ſaltem eorum quæ proceribus aut principi ſuo paraturi, ſtudioſè revocent. Philemonis illius memores,

Ἐὰν οἷς ἔχωμεν τοῖσγε μηδὲ χρώμεθα,
Ἃ δ' οὐκ ἔχομεν, ζητοῦμεν, ὧν μὲν διὰ τύχην,
Ὧν δὲ δι' ἑαυτοὺς ἐσόμεθ' ἐστερημένοι.

Si quæ habemus, iiſdem haud utimur, quæque non habemus quærimus: aliis nos per fortunam ſumus, aliis per nos ipſos privaturi.

Noi

Noi Reformatori del Studio di Padoa

HAvendo veduto per fede del Molto R. P. Inquiſitore del S. Officio di Padoa, che nel Libro intitolato Joannis Veſlingii Opobalſami Veteribus cogniti Vindiciæ, non ſi trova coſa alcuna contra la Sante Fede Catolica, inparimenti per atteſtationi del Segretario Noſtro, non vi ſi trova coſa alcuna contra Principi & buoni coſtumi, concedemo licenza, che ſia ſtampato, dovendoſi oſſervar quanto per legge in propoſito di ſtampe, con conditione che non ſia venduto ſe prima non vien preſentato uno per la Libreria publica, giuſta la parte dell'Eccell. Senato de 2. Decemb. 1622. In quorum fidem, &c.

Venetia a' 3. di Novembre 2643.
Batiſta Nanni Reff.
Pietro Foſcarini Reff.

Aluiſe Querini Seg.

Joanni Veſlingio Equiti, Viro clariſſimo, Aloyſius Quirinus S. P.

VIndicias tuas Opobalſami veterum, contra recentiorum quorundam inſcitiam vidi, legi, & approbavi. Veſlingii enim ſunt, hoc eſt, doctiſſimi viri, qui ſcientias omnes callet, & in his ſtudoſiſſimè ſummo poſterorum fructu ætatem conſumpſit. Laudent ii qui profitentur tanta hæc, cum illa deguſtarint, palatoque ſuaviſſima experimento comprobarint. Quare quantò citius effice ut edantur, &c.

Die 16. Octobris 1643.

OPus cui titulus Joannis Veſlingii Opobalſami Veteribus Cogniti Vindiciæ, quod fuit examinatum ab Excell. D. D.

Joanne Cottunio, & Octavio Ferrario, cujus initium, Quæ in florentiſſimo, &c. Et finis, Laboremus, &c. fuit pro impreſſione Paduæ viſum etiam & approbatum ſup. Die, & anno, cum nihil contra fidem, Principes, ſeu bonos mores in ipſo reperiatur.

Ita eſt, ego Fr. Antonius Vercellus à Lendenaria
Inq. Generalis Paduæ.

ERuditiſſimum hoc opus Præclariſſimi, & Excellentiſſimi Joannis Veſlingii Equitis, & in Patavina Univerſitate Botaces, & Anatomiæ Primarii Profeſſoris, Hortique Medici Præfecti; cui inſcriptio, Opobalſami Vindiciæ, Ego Joannes Cottunius diligentiſſimè, ac ſumma cum voluptate perlegi. Nec quicquam in eo reperi à Catholica pietate morumve probitate devium. Quin verò doctrinæ ſoliditate, & ſingulari elegantiæ candore ita ubique eſt firmatum, atque inſperſum, vt per manus, & ora doctorum hominum volitare mereatur. In quorum fidem, &c.

Joannes Cottunius
Philoſ. primi loci ordinarius
qui ſupra.

REverendiſſimi P. Hæreticæ pravitatis Quæſitoris juſſu, Vindicias Opobalſamo ab Joanne Veſlingio Viro Clariſſimo latas legere, pretium fuit. Quo in opere, non modo nihil occurrit quod Chriſtianum lectorem moretur, aut turbet, quodque politica torvitas ſecus dictum interpretetur: ſed ſuus ſuperis honos conſtat, qui in eo ſucco quoddam immortalitatis ſimulacrum poſuerunt: nec indignatur ſuperis æqua poteſtas. Regium liquorem in ordinem privati uſus cogi, qui omnem ſeculi morumque tabem procul habebit. Patavii VII. Kal. Novembris MDCXLIII.

Octavius Ferrarius,
Eloquentiæ, & Græcæ linguæ
Prof. ordinarius.

IN-

INDEX
RERUM &c.
IN
PROSPERI ALPINI
ET
JO. VESLINGII
Libros de Plantis Ægypti.

A.

Ab el Moſch 207
Abdellavi plantæ atque fructuum deſcriptio. 54. 198
Abdellavi melonis icon. 55
Abiſſina Caſſia quæ, & ejus uſus 4. 5
Abrus deſcriptio. 40
Abrus mira converſio. 184
Abrus ſeu Phaſeoli rubri icon. 46
Abſus herba. 43. 44. 191
Acacia quibus in locis proveniat. 6
Acaciæ arboris deſcriptio 6. 7
—— arborum differentiæ. 6. 7
—— ſuccus. 6. 7
—— icon. ib.
—— ſucci uſus apud Ægyptios. 7. 8
—— ſucci loco, quem ſuccum Itali parent. 8
Acaciæ ſuccus optime præparatus. 163. 167
—— maris, & fæminæ deſcriptio. 7
—— quando flores edat. 7
Acaciam eſſe arborem fœcundiſſimam. 7. 8
—— fert gummam, quam Arabicam medici vocant. 7
—— quæ ſpecies in Zacyntho Inſula proveniat. 64
—— Zacynthinæ deſcriptio. 65
—— Acetoſæ Zacynthinæ deſcriptio. 64
Achaovan deſcriptio. 56
—— uſus ad medicinam. 57
—— Icon. 56
Achaovan Abiat, ſeu Artemiſiæ albæ deſcriptio. 43. 44. 187
—— Cineraria, Jacobæa marina idem 43. 44
—— vires & uſus. 44
—— Icon. 44
Actuarius. 161
Ad Alvi fluxiones Acaciæ uſus. 9
Ad Anum Uterumque foras prolabentem Acaciæ utilitas. 9
Ad Articulos roborandos Acaciæ uſus. 9
Ad augendam Venerem Electuarium. 60
Ad Pectoris Pulmonumque morbos

 ſe-

INDEX.

ſemina urticæ conferre. 60
Ad cutis infectiones Nigellæ utilitas. ibid.
Ad mulieres, quæ non purgantur Nigellæ uſus. 59
Ad cutis infectionem valere ſemina Urticæ. ibid.
Ad febres omneſque calidos affectus aqua Anguriarum el Maovi utilis. 55
Ad Nervos ſiccatos, & ſcirroſos tumores ſeſami uſus. 47
Ad podagricos Acaciæ uſus. 9
Ad Renum calidos morbos Chatè uſus utilis. 55
Ad Somnum conciliandum Solani ſomniferi uſus. 60
Ad Uteri fluxum confert Acacia. 9
Ad Sanguinis ſputum confert Acacia. ibid.
Ad Ulteri duritiem Mumia. 44
Ad Ulcera canceroſa Cinerem ſeminum urticæ conferre. 60
Ad Articulos roborandos Acaciæ uſus. 9
Adamas inſignis in Mahometi ſepulchro. 175
Ægypti fertilitas. 157. 167. 188
—— aër roſcidus. 213
—— cultura. 160
—— hodierna facies. 159. 170
Ægyptiarum plantarum utilitas ad medicinam. 1
Ægyptios per Caſſiarum loca mane odoris gratia obambulare. ibid.
Ægyptii Caſſiis non utuntur ante quartum menſem. 4. 5
Ægyptii Caſſiæ pulpa ad quos morbos utantur. 4. 5
Ægyptii Mel Carnub ex ſiliquis expreſſum in uſu habent. 5. 6. 162
Ægyptii quæ condiunt melle Carnube parent, & eo ad quæ utantur. 6
Ægyptii Catarrhi expertes. 169
Ægyptiis Hydrocele familiaris. 198
Ægyptus Acacia excepta aliis arboribus gummas ferentibus caret. 8
Ægyptus arborum ferax. 160
Agiahalid arboris deſcriptio. 20. 21
—— foliorum uſus. 20. 21
—— an Lycium. 20. 21
—— Icon. 20
—— hodie non exſtat, 172
Ajugæ deſcriptio ex Dioſcoride Kellù an conveniat. 58
Alexandria Ægypti Cappares producit. 60
Alpini (Proſperi) inſtitutum. 158
Alpinus (Proſper) aſſeritur. 165. 174. 186. 214
—— explicatur. 213
—— emendatur. 166. 180
—— excuſatur. 213
—— laudatur. 164. 184. 193. 203
—— locupletatur. 186 195. 201. 209 214
Amaracum ſulveſtrem eſſe Marum Creticum. 68.
Amberboi Turcicum 213
Amomum Plinii, 203
An Æthiopia Veterum India. 169
Andreas Matthæolus in Acaciæ cognitione deceptus. 7
Anguriæ aquoſæ. 56
Anguriarum, Elmaovi aquæ facultas, atque uſus. 55
Anthyllidis ſpeciem Kellù eſſe. 59
Anguriis omnes Ægyptii libenter veſcuntur. 55
Animadverſio Veſlingii in Alpini ſtirpium figuras. 171. 172. 173. 201 211
Anthalium. 213
Apollonii hallucinatio. 176
Apocynum verum naſci in Italia. 63
Aquæ ex cucumeribus Chaté diſtillatæ utilitas. 54
Aquæ ex Anguriis deſtillatæ utilitas. 55
Aqua Anguriarum quos morbos juvat. ibid.

Aqua

INDEX.

Aqua Machalef. 35. 36.
Aquæ Calat facultas, ac uſus. 35. 36.
Aqua Anguriarum Diuretica. ibid.
Arabiam Felicem perpetuo fuiſſe locum proprium Balſami. 27
Arabes Ægypti incolæ. 209
—— Hydrocelen per lini uſtionem tollunt. 199
Arabum indoles. 175
—— victus. 176
Arabum vita, atque mores 175
Arbor Elhanne Tamarendi eſt Liguſtrum Ægyptium. 23
Archenda pulvis, quid, atque ejus uſus. 25
Arbor ab Ægyptis Sant vocata eſt vera Acacia. 6
Arbor Palmæ Dachel vocatur. 17
Arbores Carub in multis Italiæ locis vivere. 5. 6.
Artemiſia alba. 43
Aſpalatum in Creta naſci 69
Aſpalati Cretenſis deſcriptio. ibid.
Aſperam Similacem duas radicum differentias habere. 66.
Arle eſt Tamariſcus. 19
Athenæus. 163. 192

B.

Bahobab atque ejus uſus, 16. 37. 38
—— eſt fructus Æthiopis jucundiſſimus. ibid. & 180
—— icon. 37. 38
Bahobab idem cum Abacco. 173
Baldus mons. 213
Balnea Agyptiorum. 172
Balſami plantam Sabam Reginam primo Regi Salomoni dono tuliſſe. 27
Balſami plantæ, quas Ægyptus aluit unde venerint. 26
Balſami plantas multas ex Arabia in Ægypto inſertas. 27
Balſami feracem fuiſſe Arabiam Felicem. 26. 27. 28.
Balſami plantam nunc in Ægypto non vivere, 26
Balſami planta perpetuo in Arabia vivit. 27
Balſami ſolum proprium Ægyptum vel Judæam nunquam fuiſſe. 27
Balſami liquor. 174
—— mangonium. 174
—— vires. 177. 178
Balſamum Antiquos recte noviſſe, eſt dubium. ibid.
Balſamum in Arabia naſci, ex Pauſania, & Strabone. 28. 174.
Balſami plantas in monte arenoſo Arabiæ Felicis multas miraculo vivere peregrini affirmant. ibid.
Balſamum naſci in Arabia ex Diodoro Siculo atque multis aliis. ibid.
Bammiæ deſcriptio atque uſus. 44
Bammiæ facultas, & quos morbos curet. 44. 188.
Bammiæ icon ibid.
Ban ſeu Calaf deſcriptio. 35. 36
Ban ſeu Calaf icon. 35
Ban utilitas atque uſus. ibid.
Ban aliud ſeu Bon. 36
Batechæ al Maovi liquor ventriculo & jecori adverſus. 199
Bauhinus (Caſpar) 209
Beideloſſar deſcriptio. 43. 186
Beidelſar planta quid. ibid.
Beidelſar uſus. ibid.
Beidelſar planta lacticinoſa. ibid.
Beidelſar lactis facultas. ibid.
Beidelſar lactis uſus ibid.
Beidelſar icon. ibid.
Beidelſar fructus, atque icon. ibid.
Belliha, Dactyli maturi. 17
Bellus (Honorius) 180. 185
Biſciolæ error detegitur. 174
Bon ejus temperamentum, vires ac uſus. 179. 180
—— decoctum. 180
—— nucleus ſaccharo obductus. 179
Bon ſeu Ban deſcriptio. 36. 179
Bon icon. 36
Botanici recentiores notati. 189

ve-

INDEX.

—— veteres excuſantur 196
Braſſica ſpinoſa Ægyptia edulis. 208
Buncho Avicennæ. 179
Byſſus quid. 38
—— duplex. 176. 177
—— olim auro par. 176
—— Xylina ſubtiliſſima. 177

C.

Cadaverum conditura apud Aegyptios. 178
Calamus. 206
Calculi veſicæ miranda curatio. 162
Caleb. 178. 179
Camerarius. 186
Cammaronus. 190
Chamadrys arbores quo in loco proveniat, ejuſque deſcriptio. 163
Caovà decoctum menſes imminutos juvare. 36
Capitis ornatus apud Turcas. 214
Capitis affectibus remedium. 189
Caput roborans. 207
Cappares qui in Ægypto proveniunt. 60
Capparorum uſus qui. ibid.
Carbones, quibus Ægyptus & Arabia utitur, ex Tamariſco parantur. 18
Carub vel Carnub arboris deſcriptio. 5. 162
Carub arbores in multis Italiæ locis vivere. 5
—— icon. 5
Caſſias recentes immaturas Ægyptii condiunt. ibid.
Caſſiæ arboris deſcriptio. 2. 3. 161
Caſſiæ arborem nuci eſſe ſimilem. ibid.
Caſſiarum fiſtulæ. 2. 3. 4.
Caſſiæ arbores quo tempore florent. ibid.
Caſſiæ Cayri Alexandriæque naſcentes quales. ibid.
Caſſiæ Peluſii naſcentes quales. ibid.
Caſſiarum quæ cæteris bonitate præſtent. ibid.
Caſſiæ optimæ quæ ibid.
Caſſiam immaturam non colligi. ibid.
Caſſiarum recentium uſus noxius atque inutilis. ibid.
Caſſiarum uſus apud Ægyptios qualis. ibid.
Caſſiarum facultas, atque utilitas. ibid.
Caſſiarum differentiæ. ibid.
Caſſiæ quos morbos ſanent. 5
Caſſiæ fiſtulæ. 161
Caſſiæ fiſtulæ crepitantes. 161
—— deciduæ uſui ineptæ. 162
—— ligantur. 162
—— caſſiæ pretium. 162
—— corruptæ noxa. 162
—— flores conditi. 162
Caſſiarum vera icon. 8
Catarrhi remedium. 169
Cayrus Caſſias cæteris omnibus præſtantiores fert. ibid.
Ceronia Theophraſti. 199
Chatè. 198. 199
—— P. Alpini. 188
Chatè quid atque ejus uſus. 54
Chatè cucumerorum ad varios morbos uſus. ibid.
Chatè cucumerorum deſcriptio. ibid.
Chatè cucumerorum uſus apud Ægyptios qualis. 54
Chatè cucumis quos morbos juvet. ibid.
Cineres unde parent Ægyptii. 59
Cineris ſeminum urticæ uſus ad quæ. 60
Cluſius (Carolus) laudatus. 165. 180
Clyſterium ex decocto Acaciæ ejusque uſus. 9
Coccymelea Theophraſti. 165
Colici doloris præſidium. 204
Colocaſia. 192. 193
Colocaſia Aegyptia florens 198
Colocaſiam neque florem neque fructum ullum edere 48

Co-

Colocaſiam neque florem neque fructum ullum edere 48
Colocaſſia caule, floribus, fructibuſque caret. ibid.
Colocaſſiæ veræ icon. 48
——— Ari ſpecies, 179. 194
Conaarum Athenæi ſitne Nabca? 165
Contareni (Nicolai) encomium. 189. 202. 203. 209. 214
——— Hortus elegans. 199
Convolvulus Aegyptius 211
——— Septifolius. 162
Corchorum Plinii. 188
——— Cor confortans. 207
Corippus. 178
Coriandro herba Ægyptios veſci. 61
Coriandrum herbam virentem eſitatam nihil mali facere. ibid.
Coriandri herbæ ad cibum apud Ægyptios uſus. ibid.
Coriandrorum uſu neminem læſum. ibid.
Coriandri facultatem eſſe calidam. ibid.
Coriandrum homini venenum, falſum. ibid.
Coriarii Cayrini ſucco Acaciæ utuntur ad denigrandos pelles. 7
Corticum Capparis uſus ad medicinam. 60
Corticum fructuum Mauz uſus. 41
Cucumerorum Chaté uſus apud Ægyptios qualis. 54
——— quos morbos juvet. ibid.
Cucumis Ægypt. reticulatus. 199. 200
Cucumeris icon. 117
Culcas ſive Colocaſiæ deſcriptio. 48. 49. 192
Culcaſſiæ radicum uſum conferre ad venerem. 48. 49. 194
Cyperi rotundi deſcriptio. 53. 54
Cyperi radicum facultas atque uſus. ibid.
Cyperi rotundæ radices quos morbos juvent. ibid.
Cyperi rotundæ multam copiam Nilum flumen producere. ibid.
Cyperi rotundæ Icon. 53
Cyperi deſcriptio ex Plinio. ibid.
Cyperi minoris radices edules. 189
Cyperus rotunda ad morbos frigidos utilis. 25
Cyprum Plinii eſſe Liguſtrum, & Elhanne Ægyptiorum. 25
Cyperus. 198
ejus diverſitas. 199
Cyperus rotundior Antidotis receptus. 199

D.

Dachel vocant Arabes Palmam. 14. 168.
Dactylorum differentiæ. 14. 168
Dactylorum immaturorum uſus ad medicinam. 16
Dactylorum maturorum ad medicinam uſus. ibid.
Damiata Muſarum fæcunda. 40
——— Contarena. 203
Damiata olim Peluſium. 40
——— civitatis ſitus. 51
Datura. 203. 203
Decocti El vocati utilitas, & uſus. 36
Decocti ex Muſis utilitas. 41
Decocti Tamarici utilitas atque uſus. 18
Decocti ex Siliquis dulcibus parati utilitas, & uſus. 18
——— ex ligno Tamarici utilitas & uſus. 18
Decoctum vel infuſum pulpæ Tamarindorum ad quos morbos Ægyptii uſurpant. 20
Democriti peregrinatio. 158
Democritus tangitur. 164
Dialogus de Balſamo Cayri conſcriptus. 26
Donatus (Anton.) Botanicus. 213
Diodorus Siculus balſamum naſci in Arabia ſcripſit. 28
Dioſcorides explicatus. 168

Rr ——— pro

—— probatus. 166. 192. 196. 198. 203
Dux involucrum dactylorum. 17

E.

Electuarium ad augendam venerem. 60
El hanne, ſeu Tamarendi in quo differat à Liguſtro. 24
El hanne Ægyptiorum ejuſdem eſſe facultatis cum Liguſtro. ibid.
El hanne ex foliis Arhenda vocata pulvis paratur, atque ejus uſus. 52. 173
El hanne ſeu Liguſtri Ægyptii icon. 23
El Mataria hortus. 162
Emplaſtrum ad tumorem lienis. 60
Epithymi, & Epithymbræ utilitas, ibid.
Epithymum. 66
Equi Arabes. 176
Equites Arabum. 176
Error quorundam. 170

F.

Faba Ægyptia an Culcas ſit. 48. 49
Fabæ Ægyptiæ ſeu Colocaſſiæ uſus veneri confert. ibid.
Fæcem olei Seſami maxime pinguefacere. 47
Fænugræci uſus apud Ægyptios. 63
Fatima filia Mahometi. 175
Felfel tavil. 190
Ficus Ægypti, Sycomorus idem. 12
Ficum Ægyptiam eſſe vaſtiſſimam arborem. ibid.
Ficuum Sycomori uſus atque utilitas. 13
Fiſtularum Caſſiarum differentiæ atque præſtantia. 2. 3. 4
Fiſtulas Caſſiarum non colligi immaturas. ibid.
Florum Calaf utilitas. 35
Flores Gelſimini Arabici. 39
Flores Caſſiarum odorati. 3
Folia quarum plantarum Solem in Ægypto ſequuntur. 20
Folia Tamarindi ſolem continuè ſequi. ibid.
Foliorum Palmarum uſus apud Ægyptios. 15
Foliorum Liguſtri commercia. 24
Fructus Bahobab Icon. 37
Fructus Mauz facultas, & uſus. 41
Fructus Mauz noxii ſtomacho. ibid.
Fructus Mauz quæ corporibus mala inducant. ibid.
Fructuum Mauz ſeu Muſæ utilitas ad tuſſientes ſuſpirioſoſque. ibid.
Fructuum Sebeſten uſus ad medicinam. 17. 18
Fructuum Tamarici uſus. 18

G.

Galenus. 175
Galenum non rectè Opobalſami uſus videri noviſſe. 32
Gabrielem Falopium cognoviſſe aſperam Smilacem eſſe Salſam parillam. 64. 65
Græci Ægyptiis Romani. 190
Gramen ad Crucis Ulcera, Vulneraque utile eſſe. 56. 57
Graminis Crucis deſcriptio. 56 57
Graminis Crucis ad medicinam uſus. ibidem.
Graminis ſeminum decoctum ſecretum eſſe ad juvanda Exanthemata in Febribus Peſtilentibus. ibid.
Graminis Radicem ſudorem movere. ibidem.
Graminis Crucis Icon 56
Graminis decocto mulieres ad Variolas & Morbillos puerorum, atque Menſtruorum ſuppreſſionem uti. 57
Gramen ſtellatum Aegytium. 201
-- Veſicæ calculum non frangit. 201
Gelſimini Arabici Icon. 39
Gelſimini Arabici deſcriptio. 39
Gelſimini florum uſus apud Ægyptios

ptios. ibidem.
Goſſipii ſeminum uſus. ibid.
Giumez Ægyptiorum eſt Sycomorus. 13
Goſſipium arborum. 38. 181
Goſſipii arborei Icon. 21
Goſſipium, quo utuntur Ægyptii aliunde advehunt. 38. 181
Groſſulariæ ſuccus. 162
Gumma Acaciæ qualis ſit. 8
Gumma Arabica non tota eſt vermicularis ac alba. ibid.
Gummæ Arabicæ cognitio. ibid.
Gummam Arabicam eſſe gummam Arboris Acaciæ. 8
Gummam Arabicam in Ægypto veram colligi ex Acaciis. ibid.
Gummarum copiam quæ ex Alexandria advehitur eſſe totam Acaciæ. ibid.

H.

Hab el moſch. 207
Hab el Salim. 198
Hæmorrhagiæ remedium. 204
Heliodorus. 160. 195
Herbarum copia in Aegypto. 188
Herniarum multarum per Ægyptum vagantium cauſæ. 55
Herniæ aquoſæ cauſa. 199
—— Remedium. 199
Herodotus. 187
Hippomanes Cratevæ. 203
Hiſtoria peregrinorum Meccham, & Medinam euntium. 29
Homerus. 190
—— explicatur. 158
Horatius. 203
Hyoſcyamus albus qui in Ægypto provenit. 61. 204

I.

Icones plantarum Ægyptiarum nullum recte prodidiſſe. 1
Iecoris abſceſſui remedium. 177
Imperatus (Fer.) 190
Iuventutem conſervare opobalſamum, & quomodo illo utantur. 34
Ioſephi puteus. 160
Itineris Aegypto in Arabiam Felicem narratio. 29

K.

Kalli geniculatum. 58. 59
Kalli album. ibidem.
Karob. 162
Kellù ſeu kalli tertiæ ſpeciei deſcriptio. ibidem.
Kellù omnes ſalſas, & acres guſtui. ibidem.
Kellù Kalli tres ſpecies. ibid.
Kellù ſub qua Anthyllidis ſpecie reponatur. ibidem
Kellù facultas purgatrix. ibidem.
Kellù ſeu kalli primi icon. 59
Kellù ſecundi icon. 60
Kellù tertii, quod Ægypti proprium videtur, icon. 60
Kernab. 162
Κερωνία veterum. 162

L.

Laab. 183
Lablab eſt Phaſeoli ſpecies atque ejus uſus. 39. 183
Lablab ſeu Phaſeoli nigri icon. 39
Lac Beidelſar dyſenterias facere. 43
Lactis Beidalſar utilitas ad cutis infectiones. 43
Lactis Beidelſar uſus. ibid.
Lactis Beidelſar facultas ſolutivæ quæ. ibidem.
Ladani plantæ Cretenſis deſcriptio. 69
Ladanum plantam eſſe plane differentem ab ea quæ hactenus herbariis fuit

ſuit cognita. 69
Ladanum eſſe ciſtum fœminam. ibid.
Ladanum in quo à ciſto fœmina differat. ibidem.
Lapides Renum atque Veſicæ cur Ægyptiis ſint familiares. 56
Laſerpitium. 73. 74. 309. 310
Libri Sacri Medinæ. 175
Ligni Balſami uſus. 35
Liguſtrum Ægyptium. 24
Liguſtri Ægyptii icon. 23
Liguſtri foliorum atque florum eſt uſus apud Ægyptios. 24
Liguſtri utilitates ex Dioſcoride. 25
Linimentum ex Acacia pro articulis debilitatis. 9
Linum Indis arboreum. 200
Lipſii ſententia de Byſſo. 177
Lobelius (Matth.) 215
Loti Ægyptiæ flos coronis inſertus.
Loti mirabiles ad ſolem converſiones in Margheræ lacubus obſervari. 50
Loti caules Ægyptii crudos mandunt. ibidem.
Lotum in Italiæ locis copioſe provenire, & in quibus 50
Lotum Ægyptiam eſſe Nymphæam. ibid.
Lotus Ægyptia quid. 49. 50 77. 78. 307. 308
Lucretius. 209
Luffa Arabum. 199. 203.
Lupinus Ægyptius ſilveſtris. 209
Lycii Indi arboris deſcriptio. 22
Lycii, quo utuntur Ægyptii, adulterati notæ. ibidem.
Lycii facultas. 23
Lycii ſucci uſus. ibid.
Lycio vero non uti Ægyptios. 22. 23
Lycium Indum, quo in loco Ægypti proveniat. ibidem.

M.

Mahemetis pſeudoprophetæ Turcarum ſepulchrum ubi ſit. 29. 175
Malinathalla. 198
Marum Ægyptium. 212. Creticum quid. 68. atque ejus deſcriptio ibid.
Marum Cretenſe eſſe Amaracum ibid.
Mattheolus de Ladano deceptus. 69. 166
Mauz ſeu Muſæ deſcriptio. 40. 41
Mauz foliorum mira magnitudo. 184
Mauz fructus venerem augere. ibid.
Mauz icon. 40
Meccha civitas Arabiæ Fælicis. 28
Mel ex ſiliquis dulcibus Carub Aegyptios colligere. 5
Mel dulcium Siliquarum ſive carub quos morbos juvet. ibid.
Melanthii ſeu nigellæ uſus apud Ægyptios. 60. 61
Melle ſiliquarum dulcium ſacchari loco Aegyptios uti. 5
Meliloti Ægyptii deſcriptio. 57
Melililoti ſeminum apud Ægyptios eſſe uſum. 57
Mellis Carub uſus, & utilitas. 8
Melochiæ deſcriptio. 45. 185
Melochia in cibis nihil Ægyptiis familiarius. ibid.
Melochiæ facultas atque uſus. ibid.
Melothiæ uſus quas offenſas faciat ibid.
Melochiæ Semina purgant. ibid.
Melochiæ icon. 45
Melones Abdellavi quid. 54. 55
Melonum Abdellavi ſeminum facultas, & utilitas. 55
Memphis arx. 160
——— Aquæ ductus. 160
Meningum doloris auxilium. 204
Methel nux 203
Morphæa Ægyptiis frequens. 200
Moſch Arabum. 208
Moſchi ſuccedaneum. 208
Mucagine, ſeu mucilagine Pſyllii Ægyptii ad quos morbos utantur. 61

Mucilaginem Pſyllii conferre ad diarrhœas bilioſas, & dyſenterias. 38
Mucilago ſeminum Goſſipii quos morbos ſanet. ibid.
Mucilaginis ſeminis Goſſipii uſus. 38
Mulieres Ægyptiæ quomodo ſterilitatem amoveant. 33. 34
Mulieres urticæ ſeminibus utuntur ad promovendos menſes. 60
Muſam eſſe inſitionem Cannæ Saccharinæ ſupra Colocaſiam. 13
Muſæ fructus qui. 40. 41
Myrobalani arboribus diſtincti. 205
foliis a Perſico diſſident. 205
caput & ventriculum roborant. 206
Myrobalanus Chebulus. 205
apud Arabes in uſu. 205
ejus locus natalis. 205

N.

Nabca fructus apud Turcas eſſe in magno pretio. 10. 11
Nabca ſpinoſa, & non ſpinoſa. 165
Nabca bis in anno fructus edit. ibid.
Nabca, Paliurum, Canorum, idem eſſe. ibid.
Nabca eſt Paliurus Athenæi. ibid.
Nabcæ icon. 10
Nabcæ poma in Febribus putridis. 165
Nejem el Salib. 201
Nepenthes. 158
Nicander. 168
Nigella, quæ in Ægypto provenit. 60
Nigellæ ſemina vermes necare. 60
Nigris (Coſmus de) laudatus. 164. 194
Nufar a Nymphæa noſtrate diverſa. 195
Nux Methel eſt Stramonium. 62
Nympheæ vel Loti Ægyptii uſus ad Medicinam. 50
Nympheæ uſus ad ſomnum conciliandum. 50
Nympheæ radicis uſus pro ſecreto ad Gonorrhœam, & ad Dyſenteriam. 51

O.

Ocymi Ægyptii deſcriptio. 62
Ocymum Ægyptium odoris jucunditate aliis præſtare. 62
Ocymi Ægyptii uſus. 63
Olei ſeſami uſus ad multas cutis infectiones. 48
Olei Gelſimini ex floribus uſus. 39
Oleum Gelſiminum uteri affectibus multis conferre. 39
Oleum ex Gelſimini floribus quomodo paretur. 39
Om el heſſen. 211
Operis occaſio, & forma. 215
Opobalſamum vulnera ſimplicia glutinat. 177
Opobalſami hiſtoria. 37
Opobalſami notæ. 31
Opobalſami facultas. 32
Opobalſami uſus apud Ægyptios cogniti. 32
Opobalſamo Petrum Marianum ex vulnere capitis effatu digno curatum. 32
Opobalſamo quomodo utuntur mulieres ad juventutem in facie ſervandam. 34
Opobalſamum quos morbos ſpeciatim ſanet. 32
Opobalſamum ſterilitatem curat. 33
Origanum Creticum. 189
Oxalis Zacynthina in quo ab Italica differat. 63

P.

Paliuri fructuum deſcriptio à Serapione 11
Paliuri fructuum facultas ex Serapione

 ne

ne. 11
Paliuri uſus. 11
Paliuri deſcriptio ex Agathocle, 11
Paliuri Athenæi deſcriptio. 11
Paliuri Athenæi Icon. 11
Paliurum novit Athenæus ex Agathocle. 11
Paliurus Athenæi eſt Napca Ægyptiorum. 11
Palmæ fructuum ſeu Dactylorum differentiæ. 14
Palmæ Icon. 15
——— cerebrum. 168
Palmæ uſus apud Ægyptios. 14. 168
Palma mas, & fœmina. 14
Palmæ ſteriles quæ in Ægypto. 15
Palmæ foliorum utilitas. 16
Palmæ caudicis uſus. 16
Palmæ fructuum utilitas atque uſus. 16
Palmæ partes ad uſum medicinæ. 16
Palmæ deſcriptio. 14. 160. 167. 168
Palmam fæminam ſine mare non concipere, neque fructus edere. 14
Palmas fœcundas quomodo Ægyptii efficiant. 15
Palmam aëre nutriri putant Egyptii. 14
Palmam breviſſimis radicibus conſtare. 14
Palmarum conceptiones non fieri radicum contactu. 14
——— quando fructus ferant. 14
Panarum faciei remedium. 213
Papaver. 162
Papyri deſcriptio atque uſus. 53
Papyri aqua ad oculorum ſuffuſiones, caligines, & obſcuritates. 35
Papyri Icon. 53
Papyrus. 197
——— ejus uſus. 197
Partes palmarum, quibus Ægyptii ad medicinæ uſum utantur. 16
Pauſanias defenditur. 174
——— laudatur. 176
Pediculorum remedium. 197
Pelufii nunc Damiatæ civitatis viridaria. 51
Peluſium Caſſias fert bonitate Cayrinis inferiores. 3
Petrus Marianus ex vulnere effatu digno opobalſamo ſanatus. 33
Peſtes infectis opobalſamum auxilio eſſe. 33
Phaſeoli rubri Abrus vocati deſcriptio. 76
Phaſeoli rubri icon. 40
Phaſeoli nigri Lablab vocati deſcriptio. 39. 40
Phaſeoli nigri arborei icon. 39
Phaſeolorum rubeorum uſus. 40
Phaſeolorum nigrorum uſus. 40
Philoſtrati lapſus. 176
Pingueſcere mulieres uſu ſeminum Seſami. 47
Piper longum, facultas, uſus, atque ejus icon. 46
Plantæ Ægyptiæ. 1
Plantæ Ægyptiæ, ſoliſequia. 20
Plantarum Ægyptiarum ad medicinam utilitas. 2
Plantarum Ægyptiarum icones veras nullos delineaſſe. 2
Plantas peregrinas in viridariis cuſtodiri. 27
Plantas locorum patrias ubique naſci. 59
Pleuritidis remedium. 204
Plin. laudatur. 177. 182. 189. 192. 196. 200
——— explicatur. 166
——— emendatur. 167
——— notatur. 198
Podagricos dolores maximè juvari Acacia. 9
Pona (Io.) 209 213.
Prunus Ægyptia Plinii. 165
Proclus. 160
Proverbium in amaritudinem. 187
Pſyllium copioſiſſimè in Ægypto provenire. 59
Pſyllii uſus ad medicinam. 59

INDEX.

Pſyllium in Ægypto non eſſe venenum. 59
Pueris in variolis palmarum decocti uſus. 17
Pulmonis ulceribus remedium. 177
Pulpæ Caſſiarum uſus & utilitas 4
Pulpæ Bahobab uſus ad medicinam 37
Pyramides Ægypti majores. 204
Pythagoræ *peregrinatio.* 158

R

Rauwolſus. 172
Ramich vocant Dactylum pene immaturum. 17
Renum abſceſſus auxilium. 177
Rhapontici plantæ deſcriptio. 125
Rob. 163
Roſſetum, aliis Heraclea. 201. 209
Rhabarbari plantæ deſcriptio. 63
Rotob Dactyli ſubputridi. 17

S

Sadar Serapionis eſt Nabca Arabum ac Aegyptiorum. 11
Sacerdotum Ægyptiorum veſtes. 181
Salſa parilla Lugdumi nata. 215
Salſa parilla Zacynthi quomodo inventa. 65
Samarrhich quid. 17
Sambac. 182
Sanguinem expuentibus ſuccum Acaciæ auxilio eſſe. 9
Sant arborem ab Aegyptijs vocatam eſſe veram Acaciam. 6
Sarbet quid. 195
——— ejus compoſitio. 195
——— condimentum. 195
Sarbet Nuphar. 195
Scorſonera Orientalis. 201
——— Alexipharmaca. 202.
Sebeſten arboris duplex genus. 17
Sebeſten arboris domeſtici & Sylveſtris deſcriptio. ibid.
Sebeſten icones. 17
Sebeſten. 169
Secamone deſcriptio. 62. 63
Secamone ſucci facultas. ibid.
Secamone quid. ibid.
Secamone an ſit Apocynum. ibid.
Secamone icon. 63
Secretum ad pruritum tollendum ex oleo ſeſami. 48
Semina Abdellavi Melonis in refrigerando cæteris præſtare. 55
Semina Loti ſeu Nymphææ homines ad venerem impotentes reddere. 51
Seminum Seſami uſus ad cibum. 47
Seminum Coriandri uſus. 62
Seminum Bon facultas, & uſus. 37
Seminum Goſſipii uſus. 38
Seminum urticæ uſus. 60
Semina urticæ quos morbos ſanent. ibid.
Seminum Pſyllii uſus apud Ægyptios. 59
Seminum Meliloti facultas, & uſus. 58
Sempervivum aquaticum. 196
Seneca. 176. 183
Seriph, Arabum Princeps, trucidatus. 176
Seriph Mecchæ Dominus. 29
Seriph Mecchæ quæ munera mittat Turcarum Rex. 29
Seſami Plantæ deſcriptio. 47. 191
Seſami foliorum, ſeminumque facultas. 47
Seſami decocto in quibus morbis utantur. ibid.
Sami ſive Sempſem icon. ibid.
Seſami uſus apud mulieres. ibid.
Seſamo pingueſcere corpora. ibid.
Sesban deſcriptio. 42
Sesban uſus in Ægypto. ibid.
Sesban ſeminum uſus. ibid.
Sesban icon. 42
Siliquas Tamarindorum Arabes condiunt earumque uſus. 19. 20
Siliquarum Caſſiæ differentiæ, & præſtantia. 2
Siliquas Caſſiæ immaturas non colgi. 2
Siliquas Caſſiæ recentes & parvas Ægy-

gy-

gyptii condiunt. 2
Siliquarum conditarum utilitas, & uſus. 2
Siliquas Caſſiæ recentes ad uſum puerorum Ægyptii condiunt. 2
Siliquas Carub apud Ægyptios eſſe in uſu. 5
Siliquarum dulcium Carub vocatarum uſus ad medicinam. 6
Sinapi Antiquis Ægyptiis inter Numina habitum. 210
Sinapi marinum Ægyptium. 210. 211
Smilacis aſperæ Zacynthinæ deſcriptio. 65. 66
Smilacis aſperæ duæ radicum differentiæ. ibid.
Smilacem aſperam in Zacyntho provenientem ab ea quæ in Italia naſcitur eſſe differentem. 67
Smilacis aſperæ Zacynthinæ icon. 64
Smilacem aſperam eſſe Salſam parillam. 65
Smilaces aſperas Italas à Salſa parilla differre. 66
—— non ſemper ἀνάῤῥοπος. 186
Smilax aſpera minus ſpinoſa. 214
Smilacis aſperæ radices Zacynthi craſſas & oblongas ſpectari; contra in Italia. ibid.
—— Zacynthi cum Salſa parilla Hiſpanorum eadem. 214
Smilax aſpera in ſiccis duriſque locis inventa cur non repreſentet Salſam parillam. 66
Smilax aſpera quibus notis Salſa parilla eſſe dignoſcatur. 65. 66
—— ab Indica differt. 215
Solani radicum corticibus ad quæ Ægyptii utantur, 60
Solanum in Ægypto quadruplex. 208
Solanum ſomniferum quod provenit Alexandriæ. 60
Solani ſomniferi uſus. 61
Stramonium. 203
Stratiotes. 196
—— vulneraria. 196
Stratiotes ex Dioſcoride. 51. 52
Stratiotis Dioſcoridis icon. 51
Stratiotes quibus in locis Ægypti naſcatur. 51
Stratioten quomodo Ægyptii atque Arabes appellent. 51
Stratiotes ad ſiſtendam quamcumque humoris fluxionem multum valet. 51
Stratiote ad quos morbos Ægyptii utantur. 51
Stratiotis facultas, & uſus. ibid.
Strabo Balſamum ait in Arabia naſci. 28
Stramonii uſus. 61
Styrax in Creta Inſula. 69
Succo ex prunis Sylveſtribus Italos pro Acacia uti. 4
Succus Acaciæ quomodo ab Ægyptiis paretur. 8
Succi Acaciæ præcipuæ vires. 9
Succi Acaciæ uſus apud Ægyptios. 10
Succus Acaciæ quos morbos ſanet. 9
Succi fructuum Paliuri Athenæi uſus. 11
Sues liene carere qui cibum in vaſis ex Tamariſco paratis aſſumunt. 58
Suffitus ex ſeminibus urticæ ad promovendos menſes. 60
Sycomori deſcriptio. 12. 166.
Sycomori Gal. meminit. ibid.
Sycomorum eſſe inſitionem Fici ſupra Morum. 13
Sycomorum cur in arenoſis Aegypti locis Deus produxerit. 13
Sycomorum apud Matharea nunc vivere, qui olim Chriſtum puerulum texit, Aegyptij dicunt 13
Sycomorus fructus non fert, nisi prius verberibus multis laceretur. 13
Sycomorus quo modo propagetur. 13
Sycomori ficuum uſus, & utilitas. 14

Sy-

Sycomori Icon. 12
Syrupum ex Dactylis immaturis Aegyptii, parant, atque ejus uſus. 16

T

TAcitus explicatur. 174. 175.
Talla quid. 60
Tamar Dactyli ſicci maturi. 20
Tamarindi arboris deſcriptio. 19. 20. 170
Tamarindum Arabes vocant Derelſide. ibid.
Tamarindi folia ſolem ſequi. ibid.
Tamarindi arborem ali in deſerto D. Macharij. ibid.
Tamarindi foliorum uſus. ibid.
Tamarindorum ſiliquas condiri ad uſus viatorum per Africæ loca. ibid.
Tamarindorum pulpæ uſus. 20
Tamarindi arboris Icon. 19
Tamariſcus luis Venereæ remedium. 170.
Tamariſcus Italiæ qui ignotus. 18
Tamariſcus ſilveſtris ubi proveniat. ibid.
Tamariſcus domeſtica quibus in locis proveniat. ibid.
Tamariſci arboris deſcriptio. ibid.
Tamarici fructus, qui. ibid.
Tamarici arboris uſus. ibid.
Tamarici foliorum utilitas. 19
Tamarici Icon. 18
Tatura. 203.
Theophraſtus Ereſius emendatur. 174
—— excuſatur. 182
—— exponitur. 159. 164. 168. 192.
—— laudatur. 160. 180. 181. 184. 196. 198. 200.
Theriaca hujus temporis cur ea quæ antiquitus parabatur ſit imperfectior. 36
Theriacam hujus temporis morſos à ſerpentibus non curare. ibid.
Theriaca hujus temporis nemo venenatos curare confidit. ibid.
Thymi Cretenſis deſcriptio. 68
Thymus ſecundus in Creta inventus. ibid.
Thymbra. ibid.
Tineas (ad) veſtium remedium. 213.
Tuſſientibus conferre oleum Gelſiminum. 6
Tumores duros Seſamum ſanare. 47
Turcas, & Arabes omnes affirmare innumeras Balſami plantas ali in Arab. 2
Turcæ quomodo angurijs utantur ad cibum 55

V

VAnitatis typus. 187
Variolarum remedium. 179
Velum in ſepulcro Mahometis. 175
Venenatis Opobalſamum auxilio eſſe 33
Venerea lues Ægyptiis mitior. 169. 170.
—— ejus remedium. 170. 215
Veneni Alexpharmacum. 189
Ventriculum roborans. 189. 207
Veronenſis agri Cyperus. 198
Veſlingii (Jo.) excuſatio. 215
—— Obſervatio. 163. 168. 172. 173. 174. 176. 182. 183 184. 185. 192. 196. 198. 201. 203. 205. 214
—— animadverſio. 185. 186
—— Conjectura. 200
—— Inventio. 168
—— Sententia. 168
Viperæ Arabibus ſacræ. 174
Virgilius. 186
Uugues mulierum in Ægypto picti. 173
Viſci ex fructibus Sebeſten præpara-

ratio. 17
Viſci hujus facultas, atque uſus. 17
Ad quos morbos Ægyptii eo utantur. 17
Vitiligo Ægyptiis familiaris. 200
—— ejus remedium. 201
Vorſtius (Everhardus) 215
Urtica quæ Alexandriæ provenit. 60
Urticæ ſeminum uſus. 60
Uteri duritiem ſanari Bammia. 44
Uzeg arboris deſcriptio. 21. 22
Uzeg eſſe Licium Indum. ibid.
Uzeg vel Lycii Indi icon. 21

X.

Xabra Rhaſis. 190
Xylobalſami uſus Ægyptiis noti. 32

Z.

Zaaf ſunt folia palmarum. 17
Zatar endi Icon. 46
—— deſcriptio & & uſus. ibid.

IN-

INDEX SECUNDUS,

SIVE

INDEX

MEMORABILIUM IN VINDICIIS OPOBALSAMI &c. JO. VESLINGII.

A.

Abenſina accuratè rem medicam tractavit. 272

Abenſinæ de opobalſami caliditate ſententia. 258

Abenſinæ interpres de verbo Solvi notatus. 267

Abenſinæ interpres de opobalſami quantitate explicatus. 250

Abenſinæ interpres de condenſatione notatus. 267

Abenſinæ interpres accuſatur. 241

Abdalla dux Saracenorum. 233

Abietis, & pini lacrymæ opobalſami ſuccedanea. 281

Acidus ſpiritus an in opobalſamo. 291

ineſt etiam dulcibus. 291

facilè reſinis educitur. 291

Ægypti hortus balſamum alens. 240

Ægyptus non eſt balſami natale ſolum. 243 quare educando balſamo non idonea. 244

Ægyptus ſacchari copiam producit. 287

Aëria & terrea non jung...ar. 267

Ahmet Habibus laudatus. 249

opobalſamum ignis opera colligi prodidit. 249

Albedo opobalſami per aquam diffuſus. 237

Alpinus, (Proſp.) plantarum exoticarum peritus. 297

balſami illuſtrator. 230

rectè veteribus ignorantiam objecit. 282

an opobalſamum triviale fere. ibid.

opobalſamum magnis Hetruriæ Ducibus donavit. ibid.

Proſperi Alpini de adhæſione opobalſami dubium. 262

ab eodem recognita ſublatum. 263

Antiqui de opobalſamo pugnantia ſcripſere. 288

iiſdem non immerito ignorantiam objecit Alpinus. ib.

pleraque auditu de opobalſamo accepèrunt. ib.

exotica medicamenta in antidotis uſurparunt. 285

falsò Judæam balſami patriam inſtituerunt. 235

Antiquarum diligentia in rerum utilium inventione. 227. 228

luxus in unguentis diſperdendis. 160

proclivitas in opobalſamis adulterandis. 160

Aquarum fontis Matabariæ virtus. 244

Arabes maxima gens. 232. 233

multis victoriis clari. ibid.

hodie Turcis rebelles. ibid.

quomodo balſami ſuccum colligant.

cur olim balſamum colere deſierint. 236

cur denuo excolant. ibid.

thuris & myrrhæ arbores celarunt

 en.

exteros. 234
an decoctione opobalſamum parent. 249
opobalſamum quo ordine examinent. 252. 282
balſami arborem quando & quoties incidant. 248
Arabia quare felix habita. 232
pluribus locis balſamum alit. 234
ab Auguſto Cæſare expetita. ibid.
ab Alexandro M. deſiderata. ibid.
odoratis gignendis apta. ibid.
ſerpentes habet lethiferos. 239
Arabes odorata lædebant. 232
reges circa ſterquilinia ſepeliebant. 232
Arabes exarſerunt in tumultus. 288
Arabibus unde divitiæ 232
Arabes pigri, & diſſoluti. 236
Arabes infeſti Chriſtiano nomini. 285
Ars naturam imitatur. 302
Ars naturam perficit. 156
Arte producta ſunt ſecundum ſe naturalia. 302
Aſperitas plantarum unde. 245
Augmenti lætioris in plantis cauſa. 251
Marcus Avantius Chirurgus opobalſamum agnovit. 304

B.

Baldus Baldus opobalſamum Patavium mittit. 241
Balſamum facile propagatur. 287
Balſami arboris magnitudo. 242
quare fruticoſa. ibid.
folia cur rutæ comparata. ibid.
folia an perennia. 243
foliorum color quomodo mutetur. 243
Judæa ubi balſamum aluerit. 243
an duobus tantum hortis. ibid.
Exilitatis ramorum balſami cauſa. 245
Balſami differentiæ in longitudine; aſperitate; tenuitate. 245
Balſami plantam quis ex Arabia ad extera detulerit. 235
Balſamum quare perditum viſum. 228. 229
Inciſio balſamici corticis non ſemel tantum facta. 248
quibus inſtrumentis facta. 248
Ferrum quomodo reformidet balſamum. 248
Balſami planta difficulter apud Arabes cognoſci poteſt. 234
qui revelarint iterum Europæis. 236
Lacryma balſami raro & parcè ſtillavit. 248
eſt ſpontanea vi elicita. ibid.
Lacrymam balſami quomodo exceperint. 249
Lacryma balſami maculam parit, & non parit. 262
non reſolvitur in ſpiritus. ibid.
Lacrymæ balſami terebinthina vitiatæ cognitio 259. 260
Lacryma balſami veſtibus inſtillanda. 262
neceſſariò adhæret. 262. 263
non diffundit ſe ut oleum. ibid.
ablutione tollitur. ibid.
quæ facilè vel difficilè lotione auferatur. ibid.
Liquor. balſami vitiatus velut oleum innatat. 256
non vitiatus quaquaverſum expanditur. 269. 270
craſſeſcens fit deterior. ibid.
ſincerus non petit fundum. 270
Succus balſami facilè ſolubilis quis ſit. 257
Liquor balſami facile ſolubilis quare laudetur. 257. 258
Liquoris balſami levitas laudatur. 258
Balſami ſuccus neceſſario mutabilis. 270. 271
per quas cauſas mutetur. ibid.
Balſami ſuccus celerius funditur aliis reſinis. 268
celerius funditur terebinthina. 268
Succi balſamici boni notæ. 252
recens quare laudetur. 252
recens quis nobis habendus. 252
Succus balſami quomodo lac denſet. 264

quando.

quando fortiter, aut imbecilliter denſet. 264
Succus balſami adulteratus quis propriè habendus. 255. 256
Balſami ſuccus quomodo calidiſſimus, 257
non eſt tam calidus ut arbitrabantur. 258
Balſami ſilveſtris ſemen. 275
Lignum & fructus balſami adulterari negat Galenus. 275
Fructus balſami quo adulteretur ſemine. 275
Baſſæ Ægypti balſamum ex Arabia petunt. 235
eorum incuria cauſa perditi balſami. ibid.
Bellius (Honorius) balſami plantas aluit. 229
Bellonius (Petrus) balſami obſervator. 229
Bonannus (Balthaſar) opobalſamum defendit. 304
Busbequii opobalſamum cur medicis ſuſpectum. 292

C.

Calceolario opobalſamum quale fuerit. 296
ejusdem laus, & induſtria. ib.
Caliſſi balſamum in Ægyptum retulerunt. 235
Carpobalſami deſcriptio. 237. 238
affertur ſæpè recens. ib.d.
ex eo natæ in Italia plantæ. ib.
Carpobalſami examen & uſus. 273
ſit flavum aut rufum. ibid.
plenitudo ejus quæ ſatis ſit. ibid.
amplitudo & pondus. ibid.
ſimilitudo cum terebintho. ibid.
ſit guſtu fervidum. 275
Opobalſamum redoleat. ibid.
ejus calor quatenus intenſus. ibid.
ſecundariam habet agendi vim. ibid.
odoratum admodum. ibid.
cur odorem diutius ſervet. ibid.
quomodo odoratius ſucco. ibid.
Carpobalſamum viribus opobalſamo ſimile. 278
variis pectoris affectibus conducit. ibid.
an peripneumonicis conveniat, & quando. ibid.
Iſchiaticis & epilepticis qua ratione opituletur. ibid.
Carpobalſami ſuccedaneum. 281
Cephalici pulveres antiquis probati. 279
a L. Septalio, cum Magato rejiciuntur. 279
quomodo & quando proſint. ibid.
Chalcanthum quomodo concreſcat. 265
Chymica arte elicita, an naturales re partes. 256
Chymicè elicitorum differentia. 256
Chymicè præparata an à natura ſua valdè diverſa. 304
Chymici eſt empyreum ab igni contractum auferre. 304
Cleopatra, balſami regione donata. 244
Coagulare propriè quid. 264. 265
Coaguli natura & vires. 264. 265
Coagulum lacti facillimè miſcetur. ibid.
Coagulatio opobalſami eſt imperfecta. ibid.
Coagulatio non poteſt è reſinoſis fieri. ibid.
Coagulationem lactis quid in opobalſamo impediat. 272
Coloris mutati in corpore humano cauſa. 269
Concretionis cauſa Ariſtoteli. 265
Concretio lactis non eodem tempore abſolvitur. 266
Condenſationis cauſa Chymicis. 265
Conſtans Imperator ab Arabibus victus. 233
Conſtantinus an ex ſola Ægypto opobalſamum habuerit. 250
Conſtantinus opobalſamum templis dicavit. 246
Cornelius (Aloyſius) conſul opobalſami acris cenſor. 238. 239

Corruptioni Sublunaria ſunt obnoxia. 271
Creta ſubminiſtrabat herbas ad antidota. 259
Cretææ plantæ infinito præſtare aliis viſæ. 284
Curæ vanæ quo impellant homines. 227
Caſtelli (Petri) de opobalſamo decoctione elicita dubitatio. 302

D.

Daniotus balſami plantas aluit. 237
Denſare non eſt coagulare. 263
Denſatio in lateribus, melle, & opobalſamo non eſt coagulatio. 263
Dioſcoridis ex Galeno encomium. 240
Dioſcoridis laus in manifeſtandis fraudibus opobalſami. 261
Dioſcorides omnium optimè de materia medica ſcripſit. 273
quædam ex hiſtoriis aliorum hauſit. 289
de caliditate opobalſami explicatus. 258
de quantitate opobalſami explicatus. 249
nomen levitatis opobalſamo non tribuit. 291
quo modo de macula opobalſami interpretandus. 295. 296
Ipſi quid vox ἐνδίετος ſignificat. 291
Divinis poſſe & eſſe idem eſt. 271
Doben quid Arabibus. 247

E.

Effectus temperamentum conſequentes cum eo mutantur. 292
Engaddi oppidum in valle Hierichuntis comprehenſum. 243
Εὐδίετοι quid Dioſcoridi. 257
Expenſio ſuper aquas reſinis & opobalſamo quomodo communis. 298

F.

Fœtor (Mortalibus) cognatus. 259

G.

Galenus opobalſami adulterationem ſubticet. 259
Galeni ſtudium in cognoſcenda materia medica. 284
Galenus Palæſtinam opobalſami cauſa acceſſit. 284
Gallus (Ælius) Arabes invadit. 232
Gaſparis (Stephanus de) patronus pharmacopæorum. 231
naturam opobalſami in odore ponit. 289
extollit odorem ſuper omnia noſtri hemiſphærii odorata. ibid.
Giggejo quid Rotolo. 264
Guilandinus (Melchior) balſamum in Ægypto vidit. 229

H.

Heliogabalus opobalſamo abuſus. 246
Hemus (Georgius) conſul Venetus. 230
Heraclides Tarentinus quos præconibus compararet. 285
Herbarii imperatorum in Creta. 284
Hermeticorum de concretione ſententia. 265
Hierichuntis vallis amœnitas. 243
balſamum poſſidebat. ibid.
Homogenea tantum miſcentur. 267
Hyperici ſeminis ſimilitudo cum terebintho. 275

I.

Ignis plura perdat an generet, dubitat Pitorius. 302
Ignis pro gradu intenſionis diverſimodè operatur. 302
Incuriæ damna. 228
Indi opobalſamo ſimiles reſinas decoctione parant. 249
Difficultas inveniendorum non abſterret generoſos animos. 283
Joſephus de Sabæ regina explicatus. 235

Joſephus à contradictione vindicatus. 243
Joſepho cur opobalſamum pretioſiſſimum. 253

L.

Lacteſcere num opobalſami proprium ſit. 298
Locus quomodo ſit mutationis cauſa. 299

M.

Manelphus (Joannes) opobalſamum laudat. 57
Manfredi (Antonii) laus. 230
Cognitio medicamentorum ex auctorum lectione eſt inſufficiens. 262
Mel Hymettium & opobalſamum Romæ obvium fuit. 259
Menginus (Alexander) opobalſami aſſertor. 304
Meſue opobalſamum coctione colligi ſcribit. 249
Mercurius Chymicorum eſt ſpiritus. 265
Miſturæ vox de opobalſamo non uſurpata. 297
Joannes Molinus linguarum Orientalium interpres. 304

N.

Nardius (Joannes) opobalſamo aſſertor peritiſſimus. 304
Nigris (Coſmi) de laus. 240
opobalſamum damnatum Venetias attulit. ibid.
opobalſamum vili emere potuit. 251. 252
opobalſamum à quo, & quanti emerit. 305
ejusdem virtus æſtimata. ibid.

O.

Oculus ſolis Abenſinæ, hodie hortus el Matabaria. 244
Odor aromatum magni à Galeno habitus. 289
Odor manifeſtat non bonitatem tantum plantæ, ſed & ipſam. 289
Odorato an cephalalgian curent. 276
Mediocria optima. 276
Odor validus quid indicet. 253
Odor & ſapor in examine opobalſami, non negligendi. 294
Oleum juniperi celeriter diffunditur. 269
Mauritanicum oleum pro opobalſamo venditum. 260
ejus differentiæ à balſami ſucco. ibid.
Oleum aliter maculat, quam opobalſamum. 296
Cauſæ opobalſamum neceſſario mutantes. 393
Opobalſami controverſia ubi & à quibus diſceptanda. 231
Opobalſamum eſt Seri, cujus in ſacris literis ſit mentio. 236
ab antiquiſſimis ſeculis in Palæſtinam & Syriam delatum. 236
Opobalſami conſiſtentia varia. 239
odor acris recluſo vaſe. ibid.
odor ejus circa fæces. ibid.
uſus in theriaca. ibid.
Opobalſamum quomodo coctione frondium paretur. 249
Lana abſterſum opobalſamum. 248
Opobalſami copia tempore Plinii & Solini. 236
Opobalſamum in & extra aquam lacteſcit. 298
Opobalſami fragrantia non eſt nimium extollenda. 306
notæ debent ejus naturæ conſentire. ibid.
De opobalſamo quis optime judicare queat. 288
Opobalſamum facile inter Arabes abundare poſſe. 287
Sincerum opobalſamum quod. 255
Opobalſamum improprie ἔλαιον *oleum dici.* 247
Opobalſamum an ſemine adulteretur. 256
Recens opobalſamum non petit fundum. 298

Ca-

Caniculæ ortus Opobalſamo colligendo aptus. 247

Opobalſamum intra annum inſigniter denſari. 293

Opobalſamo nil obeſt quod ab aliquot pharmacopœis non fuerit cognitus. 304

Opobalſamum eſſe reſinam. 247

Eſſentia opobalſami non conſiſtit in collectionis modo. 305

non in conditione emptoris aut venditoris. 305

non in pretii magnitudine aut vilitate. 305

Opobalſami gutta multum lactis non denſat. 297

denſat partem lactis quam attingit. ibid.

ſoluta ſtatim debilior fit. ibid.

Opobalſamum eſſe ſuccum pinguem, eſſe viſcidum. 247. 248

Opobalſamum etiam optimos fæces deponit. 247. 248

Acidum opobalſamum ſapore Veſlingio non perceptum. 291

Opobalſamum decoctione parari quare facile. 249

Opobalſamum arte elicitum eſſe genuinum ejus ſuccum. 302

Opobalſamum ſpiſſamentis inguentorum additum. 277

Odor opobalſami rutæ ſimilis. 253

terebinthina & thure præſtantior. 254

ſuavior reſinis veteribus cognitis. 254

Opobalſamum vino & homini quomodo ſimile. 252

Læve opobalſamum unde, & quale ſit. 257

Adſtrictio & mordacitas opobalſami qualis. 257

Odor opobalſami qualis veteribus habitus. 253

cur eximius Theophraſto. ibid.

Odor opobalſami non ſuperat ambræ fragrantiam. ibid.

non Jaſmini & Bammiæ moſcatæ. 254

Odora ſuavitas opobalſami varia. 254

pro ratione ætatis, collectionis, conſiſtentiæ. 254. 255

ratione loci, & vecturæ. ibid.

Odor in Syriaco opbalſamo an ſuavior, quam Arabico. 255

Subacidum opobalſamum improbatur. 256

propter quas cauſas tale fiat. 256

Syriacum opobalſamum facilius aceſcere potuit. 257

Opobalſamum recens ſubacidum vaporem ſpirat. 257

Opobalſamum quando defuit. 250

Othmannus Abutalib opobalſami examinator. 238

Arabicum opobalſamum habet notas omnes ſinceritatis. 273

eſt idem cum illo, quod Judæa quondam produxit. 273

Arabes Opobalſamum an adulterent. 260

Arabes cur non adeò copioſum opobalſamum colligant. 251

Opobalſamum ex Arabia nunc temporis petendum. 285

Arabicum opobalſamum lac denſat 267

Arabicum opobalſamum lotione aufertur. 263

Arabicum opobalſamum habet omnes bonitatis notas. 258

Adulteratio opobalſami quibus facta fuerit. 258

antiquiſſimis ſeculis recepta. 258

Cabiri opobalſami vitiatus. 259

Byzantii aliquando opobalſamum deeſſe. 288

Opobalſamum rarò in Græcia purum reperiebatur. 259

Venetiis opobalſamum ſatis obvium. 286

Opobalſamum vetus non ſuſtinet examen recentis. 286

Patavii qui opobalſamum poſſederint. 286

Opobalſamum multa ſimul poſſidet, quæ in aliis ſingula. 269. 270

Opobalſamum recens non manet ſub

aqueis. 267
Opobalſamum an hodiè tam copioſum dubitatur. 268
Opobalſamum ſecundum ætatem variat. 272
quando fundum petat, & ob quàm cauſam. 272
quando ſurſum remeet, & quando non. 272
Odorem opobalſami parvi ducit Peregrinus Pitorius. 289
quomodo à Proſpero Alpino ſit determinatus. ibid.
ture & terebinthina ſuaviorem eſſe. ibid.
Opobalſamum non parit maculam. 262
lac denſat, & quomodo. 263. 264
lacti & aquæ non miſcetur. 264
non adſtringit fortiter. 264
expanſione debilitatur. 264
ſalem habet coagulantem. 264
Notæ opobalſami puri an immutabiles. 270
an conſtituant differentiam ſpecificam. 271
Lacryma unica opobalſami latè ſuperficiem occupat. 268
Lacrymæ opobalſami artificioſa plaga elicitæ. 303
Craſſitiem opobalſami ſequitur pertinacior adhæſio. 270. 271
Opobalſamum quodnam habendum genuinum. 269
quodnam bonum, & incorruptum. 269
Senectus in opobalſamo omnia deteriora facit. 270
Expanſio opobalſami eſt æqualis. 268
Solutio opobalſami non indiget agitatione. 268
Solutionis repentinæ cauſa. 269
Solutionem opobalſami quid retardet, & tollat. 268
Solutionem opobalſami conſequitur ejus condenſatio. 268
Opobalſamum denſatum lacteſcit. ibid.
cauſa lacteſcentiæ in opobalſamo. 269
Dilationem opobalſami quid impediat. 272
Opobalſamum celeriter funditur. 268
Opobalſami celerior fuſio ſignum Arabibus præcipuum. 266
Fundi opobalſamum idem eſt quod ſolvi & liquari. 266. 267
Solutio opobalſami non eſt miſtio. 267
Opobalſamum Syriacum an magis denſet quàm Arabicum. 266
Syriacum opobalſamum temperatius. 266
Succedanea opobalſami quæ. 280
Opobalſamo ſubiſtuta myrrha ſtacte. 280
Opobalſami uſus in vulnere temporum cum fractura oſſis. 279
Opobalſami vis adverſus aconita & viperæ venenum. 278
Opobalſami utilitas in affectibus ventriculi, & uteri. 276. 277
in difficultate reſpirandi. ibid.
in calculis renum. ibid.
Opobalſamo Tolutana & Peruana lacryma ſubſtituta. 280
oleum ex terebinthina flavum deſtillatum. ibid.
oleum nucis moſcatæ plurium conſenſu adhibitum. ibid.
Opobalſamum quomodo vim habeat efficaciſſimam. 276. 277
oculorum affectibus quibus & quomodo medeatur. ibid.
capitis dolores mirè mitigat. ibid.
Opobalſami adverſus peſtem vires. 278
in vulneribus. 240
Opobalſamum defunctis datum. 251
Opobalſami unguentis vitiati cognitio. 262
Turcarum Imperatori quantum opobalſami mittatur. 289

P.

Pamphili herbarii ſcriptoris vanitas. 285

Vincentii Pamutii diligentia. 230
Partum & ſecundinas quæ promoveant. 277
Peruana lacryma balſami ſucco ſubſtituta. 280
Pharmacopæos quid impulerit ad opobalſamum damnandum. 231
Pharmacopæorum impetus in opobalſamo damnando. 230
Philoſophiæ anſa. 288
Philemonis Comici ſententia laudata. 306
Pinguia ſemper ſuperſtant aqueis. 274
Peregrinus Pitorius pharmacopæorum propugnator. 299
epiſtolis Veſlingii abutitur. 299
Peregrinus Pit. fruſtra dubitat an carpobalſamum deferatur. 286
quantitate opobalſami offenditur. 286
Peregrini Pitorii impetus in oppugnando balſami ſucco. 282
blanditiæ erga Baldum. ibid.
judicium de Donzellio. ibid.
Cenſura P. Pitorii quibus fundamentis nitatur. 287. 288
P. Pitorius rationes Cl. Baldi infirmas docuit. 281
negat Manfredo uſurpatum opobalſamum fuiſſe ſincerum. ibid.
experimentum de macula principale exiſtimat. ibid.
Alpinum ſubſternere cogitat fundamentis. ibid.
Peregr. Pit. à venalibus opobalſamis cavendum cenſet. 294
Per. Pitor. Alpinum Matthiolo poſtponit fruſtra. 298
Peregr. Pitorius teſtibus de opobalſamo fidem abnuit. 298
P. Pitorii proceſſus veteris juſtitiæ nil derogat opobalſamo. 308
Peregr. Pit. opobalſamum ſpiſſius fieri conſitetur. 294
Peregr. Pit. notæ ſinceritatis ſunt immutabiles. 291. 293
Peregrinatio ſolemnis Meccham. 237
quare Geſtatio Veſtis dicta. ib.
quando & quot diebus abſolvitur. ib.
Pharmacopæorum de opobalſamo judicium. 302
Pharmacopæi neque Dioſcoridi neque Alpini ſcripta intellexere. 303
iidem ob proterviam vix excuſabiles. ib.
iiſdem opponuntur pharmacopæi rectiùs ſentientes. ib.
Plinius ſcribit quæ Dioſcoridi adverſantur. 289
Plinius multis mendis fœdatus. 273
Plinius de ſubſidentia opobalſami rejicitur. 272
in materiæ medicæ æſtimatione Dioſcoridi poſtponitur. ib.
Plinius cur odorem extulerit opobalſami. 253
Ponæ patris obobalſamum idem cum noſtro. 296
Ponæ filii teſtimonium de opobalſamo Arabico. 296
Idem laudatus. ib.
Petra oppidum Arabiæ. 275
Πήγνυται quid Dioſcoridi: quid Theophraſto, & Ariſtoteli. 264
Pulli in furnis excluſi ſunt naturales. 304
Pulmonibus obſtructis quæ remedia meliora. 278
Caſſianus de Puteo eques laudatiſſimus. 304

R.

Rotelo quid Arabibus. 250
Reſinoſi liquores omnes qualitates variant. 293
Ruellius de effuſione, & inbæſione opobalſami anſam præbuit dubitandi. 261
Ruellius de cera Cypria notatus. 260

S.

Sabæ regina Salomoni balſamum donat. 235

an

an Æthiopum Regina & Ægypti fuerit. 235
fuit Regina al Jamini. ibid.
Saccharum eſt ſuccus naturalis calami ſui. 304
Saccharum quomodo concreſcat. 265
Sal chymicis quomodo accipiatur. ibid.
Sal eſt cauſa proxima concretionis. ibid.
Jo. Dominicus Sala laudatus. 286
Saladinus & Sethus de opobalſami ſubſidentia rejiciuntur. 272
Cl. Salmaſii laus. ibid.
animadverſio in Plinium de generibus balſami. 246
Marius Schipanus opobalſamo ſubſcribit. 304
Veterum ſcripta quis ſpernat. 289
Selim Imperator Ægyptum & Arabes domat. 233
Seriffi munera ad imperatorem Turcarum. 237
Marcus Aurelius Severinus Chiron alter. 304
Ludovicus Septalius notatus. 279
Petri Servii opinio. 254
Gulielmus Sobierus laudatus. 237
Strabo de viribus Opobalſami. 276
Succus ὀπὸς quotuplex Theophraſto. 246
Succi lacrymati quales. ibid.
Lacrymati ſucci ſunt odorati. 246
Suffuſioni quæ remedia apta. 276
Sulphuris balſamici effluxus pallorem efficit. 268. 269
Sulphur inſitum opobalſami in quo copioſius. 303
Sylæi Arabum legati aſtutia. 233

T.

Tacitus de inciſione balſami explicatus. 248
Tempus fabro malo comparat Crates. 270
Oſſis temporum perforatio. 279
Tenacia difficilius abluuntur. 272
Terebinthina odoratiſſima Theophraſto. 253
Terebinthi cum balſamo ſimilitudo. 281
ejus lacryma, oleum, fructus, & ramuli balſami ſuccedanea. 281
Expertis & oculatis teſtibus credendum. 294. 295
Theophraſtus opobalſamum ex aliorum relatione deſcribit. 288
Arbor thurifera Deo ſacra. 234
Tolutana lacryma cur opobalſamo ſubſtituenda. 280
quæ non eligenda pro ſuccedaneo. ibid.
Turcæ unguentis non ſunt dediti. 251
eorum fœminæ ſtybio & liguſtro contentæ. 251

V.

Valtrotus (Joannis Baptiſta) opobalſamum probavit. 304
Veſlingius de controverſo opobalſamo quid ſenſerit. 305
Veſlingium balſamum controverſum legitimum aſſerere. 300
nullis heterogeneis admiſſis vitiatum. 301
odore tantum conſueto paululum deflexiſſe. ibid.
Epiſtola Veſlingii ad Baldum Baldi prior. 299
ejusdem epiſtola altera. 300
Veſlingium à veteribus diverſa aſſerere nil prohibet. 302
Opobalſamum decoctione elici fando tantum accepit Veſlingius. 302
Veſtimenta quibus inſtillatum opobalſamum varia. 262
Veteres duces noſtri non domini fuerunt. 300
Gratitudo veterum adverſus benefactores. 227
Viſcida adhærent tenacius. 261
Vitra Europæorum magno pretio redimunt Indi. 305
Unguenta præſtantiora veterum qualia fuerint. 253
Luxus veterum in unguentis. 259

Unguenta quibus opobalſamum vitiatum. 260
Urbani VIII. Pontif. Maxim. prudentia. 231
Exemplum curati periculoſi vulneris adhibito opobalſamo. 280

X.

Xylobalſami deſcriptio. 237. 238
odor facilè reſolvitur. ibid.
Xylobalſami ſuccedaneum. 281
Xylobalſami examen. 273. 274
Xylobalſamum requiritur recens. ibid.
citò reſolvitur, & quare. ibid.
ſit tenui ſurculo, & rufum. ibid.
ſpiret opobalſamum. ibid.
affertur ſæpè recens. ibid.
ſemine ſeu fructu balſami debilius. 278
quibus morbis medeatur. 278
quomodo convulſis auxilietur. 278
Convulſioni cauſæ quæ ſint. 278
Xylobalſami uſus in vulneribus. 278
pulvis ad oſſium læſorum deſquamationem confert. 279
pulvis unguentis additus. 279

Z.

Zacchias (Paulus) opobalſami vindex. 304
Zacconis oleum opobalſami titulo venditum. 260
quale ſit, & quomodo paretur. 260
ejus differentia ab opobalſamo. 260

LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH ... SOCIETY

00055047

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 July, 2018